

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ΔΗΜΟΣΙΑ ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ
ΒΕΡΟΙΑΣ
Αριθ. εἰσ. 633 263
ΔΩΡΕΑ Αγοραβάν

GRVER-00088

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI

CATILINA, IUGURTHA,

HISTORIARUM FRAGMENTA.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI

CATILINA, IUGURTHA,

HISTORIARUM FRAGMENTA.

RECOGNOVIT ET SUCCINCTA ANNOTATIONE

ILLUSTRAVIT

FRIDERICUS KRITZIUS,

PROFESSOR ERFURTENSIS.

LIPSIAE.

SUMPTIBUS LIBRARIAE HAHNIANAE.

MDCCCLVI.

Αρ.Εισ 263 1856.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNERI.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

IOANNI SCHULZIO,

PHILOSOPHIAE DOCTORI,

REGI BORUSSORUM IN MINISTERIO INSTITUTIONIS PUBLICAE MODERANDAE AB INTIMIS IISQUE SUPERIORIBUS CONSILIIS,

ET

LUDOVICO WIESIO,

PHILOSOPHIAE DOCTORI,

REGI BORUSSORUM IN EODEM MINISTERIO AB INTIMIS CONSILIIS,

HANC SALLUSTIANORUM OPERUM EDITIONEM

PUBLICUM PIETATIS ATQUE OBSERVANTIAE DOCUMENTUM

EXSTARE VOLUIT

FRIDERICUS KRITZIUS.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Quamvis pervulgato more fecisse videar, Viri Illustrissimi, ut splendidissimis nominibus Vestris gratiam huic libro atque commendationem conciliarem, tamen minus ambitiosas caussas neque extrinsecus quaesitas, sed ex animo profectas habui, cur hanc operam meam in Sallustii scriptis explicandis positam Vobis sacram esse vellem. Nam Tu, IOANNES SCHULZI, ex quo adolescens in Tuam notitiam veni, tantam mihi benevolentiam atque favorem praestitisti, tantam in munere obeundo alacritatem assensu, approbatione, auctoritate addidisti, ita in meis temporibus humanitate me et animo vere paterno erexisti atque recreasti, ut beneficiorum Tuorum memoriam non sim nisi cum ipsa vita dimissurus. Tu vero, LUDOVICE WIESI, quem ante hos quinque et triginta annos in ipso studiorum Tuorum ingressu iucundissima necessitudine Tibi coniunctum sincero amore amplexus es, eundem me ad hunc diem amare non desiisti, pristinumque animi affectum non modo conservasti mihi integrum, sed summa humanitate auxisti atque re comprobasti; quae voluntas erga me Tua quanto mihi gaudio sit, animumque non solum suavissima praeteriti temporis recordatione per-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

fundat, sed etiam praesentis benevolentiae Tuae gratissimam cogitationem excitet, verbis vix dici potest. Profecto nunquam dubitastis, Viri Illustrissimi, quin favorem Vestrum homini non ingrato tribueritis; sed tamen animus subegit, ut non tacita mente Vestram benignitatem colerem, sed, si fieri posset, publica aliqua testificatione gratum in Vos animum declararem. Neque commoda eius rei occasio multum quaerenda fuit. Nam licet ludi magister fere nihil habeat, quod aliquo numero atque honore sit, praeter litteras suas, hoc ipsum tamen tantum est, ut, si quid ex hoc inexhausto summae praestantiae fonte depromatur studiose elaboratum atque expolitum, non verendum sit, ut viris doctrina pariter atque muneris dignitate insignibus recte offerri possit. Quare sic habete, saepe me, quum conficienda hac editione tenerer, de Vobis cogitasse, neque maius atque acrius incitamentum habuisse ad summum studium labori meo impendendum, quam quod mihi semper in animo fuit, ut talem operam egregio scriptori navarem, quae Vobis, intelligentissimis antiquarum litterarum existimatoribus, probaretur.

Quid autem maxime secutus sim, paucis Vobis exponam.

Vitatis tum criticarum disputationum salebris tum quaestionum grammaticarum ambagibus, ac simul ingrato errorum refutandorum negotio inutilique doctrinae ostentatione, quibus rebus plerumque id efficitur, ut invitati ad coenam pulcherrimam hospites non paratis dapibus frui possint, sed quasi in culinam compulsi confectioni epularum ipsi interesse cogantur, iis imprimis consultum volui, quorum interest recta eaque simplicissima via ad iustum scriptoris intellectum pervenire. Quare id operam dedi, ut, quae obscuriora essent, aut aliquam difficultatem haberent, accurata, brevi et quam maxime perspicua explicatione illustrarem, usum dicendi Sallustio proprium ubique monstrarem, sententiarum nexum, sicubi perplexior esset, expedirem, cetera omnia, quae attentum lectorem non morantur, etiamsi vel commodissimam disserendi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

occasionem praeberent, plane non attingerem. Ac verba recte intelligere quamquam in lectione veterum scriptorum primum est, quo neglecto parum illa procedit, tamen in verbis non putavi haerendum esse, sed parem atque illis curam etiam rebus adhibendam, in quo id maxime spectavi, ut, qui Sallustium legant, universam operum formam animo complecti possint, neque singulis particulis magis, quod haud raro fit, quam toti operi intenti sint.

Quod consilium, non inutile, ut opinor, et multorum assensu comprobatum, quum per se invitaret ad studia mea denuo Sallustio dicanda, tum alia caussa accessit, quae me, ut impigre id persequerer, permovit. Quae olim enim tum de constituendis Sallustii verbis, tum de explicandis commentatus sum, tantum abest, ut mihi etiamnum probentur omnia, ut alia prorsus falsa, alia minus recta, alia parum commoda esse intellexerim. Quorum partim ipse reperi, dies enim diem docet, multo plura me virorum doctorum, qui post me Sallustium ediderunt, intentior cura et pervestigatio edocuit. Ex iis primo loco mihi nominandus est Rudolphus Dietschius, cuius eximia latinae linguae scientia, diligentissima Sallustiani dicendi usus observatio, subactum in re critica iudicium, incomparabilis in enotandis vocabulorum notionibus sollertia plurimis me locis, ubi a vero aberraveram, in rectam viam reduxit. Alia debui Wilhelmo Fabro, viro accuratae doctrinae optimeque de Sallustio merito. Denique novissimorum editorum Rudolphi Iacobsii et Gustavi Linkeri sagacitas et acumen complures locos expedivit, in quibus frustra laboraveram. Quum igitur, quae in priore editione non amplius satisfacerent, mutata cuperem, non solum ab aliis inventa religiose in meum usum converti, sed reliqua omnia ad accuratam censuram vocavi itaque pertractavi, ut confidam maturiorem quandam et emendatiorem hac recognitione prodiisse operam. Quibus de caussis autem singulis locis a priore editione discesserim, nusquam exposui, sed id egi, ut ubivis ipsa

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

explicatione prodita planissime pateret, quibus rationibus vel recepta lectio vel inita verborum interpretatio niteretur. Quare, quamquam hic liber minime criticam speciem prae se fert, tamen, quorum interest ad eam rem animum attendere, facili negotio cognoscent has editoris partes me non neglexisse.

Quod Catilinae et Iugurthae Historiarum Fragmenta addidi, Vos, Viri Illustrissimi, putavi non improbaturos esse. Nam quae iis continentur orationes et epistolae integrae, vel maxime egregia sunt artis Sallustianae monumenta, quibus non cognitis nemo Sallustium plane cognovit. Reliqua autem, quibus multi facilius careant, tum ex parte et ipsa sunt admodum iucunda cognitu et utilia, tum universa multum valent ad auctoris peculiarem dicendi consuetudinem accuratius demonstrandam. Ad hoc quum commoda Fragmentorum dispositio etiam eam vim habeat, ut deperditi operis, plerumque prorsus ignorati, forma quaedam et imago animo concipi eiusque praestantia intelligi possit, id satis caussae visum est, cur has reliquias non omitterem.

Quamquam autem et cupio et spero, multos fore, quibus haec editio commodum neque inutilem usum praebeat, duo tamen prae ceteris sunt studiosorum genera, quibus potissimum prodesse volui. Alterum est eorum, quibus in suprema gymnasiorum classi (nam secundae ascriptos tam gravi scriptori, Thucydidis aemulo et Tacito comparando, impares iudico) Sallustius praelegitur. Scio equidem nihil difficilius et magis arduum esse, quam auctores veteres probabili et fructuoso scholarum usui adornare, ac non solum iustum modum tenere inter nimium et parum, sed etiam interpretationis formam proposito convenientem inire, eamque ob caussam aliis aliter videri. Sed tamen ita mihi persuasum est, si qui discipuli domi accurate cognoverint, quae de verborum usu et potestate, constructionum ratione, sententiarum nexu, rerum condicione a me annotata sunt, eos recte praeparatos ad doctorum institutiones accessuros cum fructuque audituros, quae illi vel

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quaestiones movendo, vel rationes explicando, vel breviter significata uberius persequendo proponant. Certe peritus docendi praeceptor iis insistens, quibus Sallustium illustrare studui, plurimam habebit copiam ingenii discipulorum excitandi et ad accuratam linguae latinae cognitionem informandi; neque hoc verendum erit, ne, quae adiuvando atque promovendo intellectui destinata sunt, torpedinem potius quam alacritatem ingeniis iniiciant; nam qui sperent subitum se in scholis praesidium ignaviae suae aut inscitiae occultationem ex annotationibus quaerere posse, vel plurimis vel omnibus locis oppido fallantur. Alterum genus est non adolescentium litteris operam dantium, sed virorum, qui in gyrum negotiorum compulsi et muneris occupationibus distenti tamen ingenium torpescere nolunt, sed insito veterum auctorum amore ducti ad refovenda antiquitatis studia praeter alios scriptores etiam Sallustium ad manus sumere cupiunt, quo legendo animum recreent. Nihil honestius hoc genere ac laude dignius. Sed si nihilominus pauciores desiderio suo satisfaciunt, caussa eius rei non in ipsis, sed in incommoda editionum, quibus uti coguntur, condicione posita est. Tantum enim abest, ut idoneis ad auctorem sine molestia intelligendum adminiculis excitentur, ut mirum non sit, si vel incidant in spinosas disputationes de variis lectionibus, vel in longis quaestionibus grammaticis haerere cogantur, de locis autem difficilibus frustra explicationem quaerant, valde eos refrigerari, et plerumque taedium magis quam voluptatem ex instituta lectione capere. His igitur si, quantum possem, subvenirem et simpliciore eaque magis astricta interpretandi ratione eorum studiis consulerem, operae pretium me fecisse putavi.

Haec fere sunt, quae Vobis, Viri Illustrissimi, de instituti mei consilio breviter exponenda habui. Opella mea ut certe ab externa specie, chartarum bonitate et typorum nitore effecta, aliquam commendationem haberet, bibliopolae honestissimi liberalitate provisum est. Quam formae elegantiam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ut confido Vobis non displicituram esse, ita nihil magis expeto, quam ut non nimis cum ipsa libri dote discrepare videatur. Qualecumque autem est munusculum, quod Vobis offero grati Vestraeque benevolentiae memoris animi testem, ut benigne excipiatis, enixe Vos oro rogoque. Valete mihique favete.

Dabam Erfurti Kal. Mai. MDCCCLVI.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

PROLEGOMENA.

Cap. I.

De Sallustii vita, ingenio ac moribus.

C. Sallustius Crispus Amiterni in Sabinis a. 86. a. Chr. n. (668. u. c.) familia plebeia natus est, quo tempore Marianis partibus summa vi omnia in urbe tractantibus respublica iam admodum concussa erat, quas turbas mox, Sulla ex bello Mithridatico reverso, cruentae clades et gravissimae rerum conversiones consecutae sunt. De eius iuventute, institutione, rebus domesticis ac cetera vita tum privata tum publica haud dubie certiora nobis constarent, si Asconii Pediani liber, quem teste schol. ad Horat. Sat. I, 2, 41. de eius vita conscripsit, aetatem tulisset. Quo deperdito tum ex ipsius scriptis tum ex raris ac dispersis veterum auctorum testimoniis colligenda sunt, quibus tenuis quaedam neque satis illustrata vitae eius imago conficitur. Igitur egregiis naturae dotibus doctrinaeque praesidiis instructus adolescens acre studium ad historiae cognitionem contulit, ut ipse in Cat. 4, 2. profitetur; sed mox studiis litterarum relictis morem aetatis suae secutus ad rempublicam latus est (Cat. 3, 3.), quo honorum viam sibi aperiret. Quae quum in diversas partes pateret, ut aut in optimatium castra se conferret et paucorum potentium consiliis obtemperando illorum gratia et favore extolleretur, aut eorum partibus se adiungeret, qui contra nobilitatis avaritiam, superbiam et dominationis cupiditatem perpetuo pugnabant, aequi bonique sensu, quem natura ei ingenuerat, ductus et summo libertatis amore flagrans eos in republica gerenda secutus est, qui populi iura contra optimatium arrogantiam defenderent. Ita quum iam ab initio gravibus contentionibus, quibus tum respublica exagitabatur, implicaretur, neque

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

magnos in magistratibus gerendis eventus habuit, et multa tum inimicorum invidia tum ipsorum temporum iniquitate expertus est adversa (cf. Cat. 3, 3.), quae res effecisse videtur, ut non solum priore tempore parum sibi in rerum publicarum tractatione placeret, sed postremo tanto earum taedio caperetur, ut aetatem procul a republica agendam decerneret (Cat. 4, 1. Ing. 4, 3.). Quaestura, quam bis gessit, primum (cf. Pseudo-Cic. declam. in Sall. c. 5.), si consueto et legitimo tempore obtinuit, a. 59. a. Chr. n. (695. u. c.) functus est. Tum a. 52. a. Chr. n. (702. u. c.) tribunus plebis factus acerrime Milonem, qui initio illius anni Clodium occiderat, impugnavit, eique et Ciceroni, studiosissimo eius patrono, inimicissimas contiones cum Q. Pompeio et Munatio Planco, tribunatus collegis, habuit (cf. Ascon. in Milon. p. 38. 39. 45. 49. 50. 51. Orell.). Quod qui factum esse dicunt propter summum Sallustii in Milonem odium ex gravi et ignominiae plena offensione de re uxoria conceptum, incertam rem pro certa habent; sed multo potiores et graviores tanti impetus caussae quaerendae sunt in studiis partium civilibus, quae iam tum adeo exarserant, ut, quum Milo, homo profligatissimus et audacissimus, nobilitatis propugnatorem se gereret, Clodii caedes haud ingrata eius adversariis occasio videretur auctorem tanti facinoris aggrediendi. Quibus contentionibus mirum non est Sallustium in magnam optimatium invidiam venisse. Quae quum eo augeretur, quod, quum iam antea animi sui iudicio Caesaris consiliis favisset, gravescente in dies magis Pompeii insolentia senatuque paulatim atrociora in Caesarem moliente, apertius iam et studiosius huius partes sequebatur, Pompeiani quovis modo infestum sibi hominem opprimere et a republica arcere studuerunt. Igitur quum a. 50. a. Chr. n. (704. u. c.) Appius Claudius et L. Piso censores multos Caesaris amicos, morum labe quidem non immunes, sed ceteris senatoribus non probrosiores, alium alia de caussa senatu moverent (Dio Cass. XL, 63.), Sallustius quoque sub hoc praetextu eiectus est, quod dissolutis esset moribus, quae res nonnullis eo spectare visa est, quod in suspicione erat cum Milonis uxore, Fausta, Sullae filia, in adulterio deprehensus et a Milone flagellis caesus esse, ut tradit Varro apud Gell. XVII, 18. Schol. ad Hor. Sat. I, 2, 42 et 48.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Serv. ad Virg. Aen. VI, 612. Adversariorum factioni cedere coactus in Galliam ad Caesarem, in quo, ut ipse ait Cat. 54, 3., miseris erat perfugium, se contulit, eique fide, officio ingeniique solertia ita probatus est, ut, bello civili non multo post exorto, in multis ille opera eius uteretur, eumque honoribus et gratia extolleret. Anno enim 49. a. Chr. n. (705. u. c.) iterum quaestor factus et in senatum restitutus (cf. Pseudo-Cic. declam. c. 6. et 8.) Romae remansisse videtur, dum Caesar in Hispania contra Pompeii legatos Afranium et Petreium bellum gerit. Anno post (48. a. Chr., 706. u. c.), quantum coniicere licet, Caesarem in Epirum secutus est, fortasse legati munere functus. Certe post pugnam Pharsalicam, quum reliquiae Pompeiani exercitus ex Thessalia in Illyricum se recepissent, legioni ibi praefuit (Oros. VI, 15.); sed Caesaris copiis, quibus Q. Cornificius quaestor pro praetore praecerat, a M. Octavio et L. Scribonio Libone valde pressis, aliquoties male pugnavit, donec Vatinii adventu Octavius victus fugatusque est. Haec acta sunt hieme, quae inter annum 48 et 47 intercessit, ut patet ex Auct. B. Alex. c. 43—46. Extremo anno 47. a. Chr. n. (707. u. c.) praetor designatus in exsequendo gravi et admodum periculoso negotio, quod Caesar ei dederat, parum prospero successu usus est. Vixdum enim mense Octobri reverso ex bello Alexandrino Caesare, quum instaret Africanum novum, a Iuba rege et Scipione et M. Catone motum, quod propter magnas adversariorum copias haud mediocrem apparatum poscebat, legiones in Campania seditionem coeptantes in Africam ire recusabant, nisi antea sibi pecunia aliquoties a Caesare promissa soluta esset. Missus est a dictatore Sallustius, qui novis promissis legiones deliniret et ad officium reduceret; sed tanta militum ferocia et ira fuit, ut parum abesset, quin ab illis interficeretur (cf. Appian. B. C. II, 92. Dio Cass. XLII, 52.). Infectis rebus quum Romam rediisset, primo quidem Caesar iniquius tulisse videtur, quod parum exspectationi suae responderat; sed mox, re accuratius cognita, non solum ei ignovit, sed etiam legiones in Siciliam traducere iussit (Cic. Epp. ad Attic. XI, 20, 2.). Statim post ei imperavit cum parte navium Cercinam insulam, quam adversarii tenebant, occupare, quod ibi magnus frumenti numerus erat (Auct.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

B. Afric. c. 8, 3.). Id negotium pari dexteritate atque felicitate exsecutus est (ib. c. 34, 3.); neque dubitari potest, quin in reliquo etiam bello valde strenuam atque utilem Caesari operam praestiterit. Confecto enim bello et Iubae regno in provinciae formam redacto victor Sallustium pro consule cum imperio ibi reliquit (Auct. B. Afric. c. 97, 1. Dio Cass. XLIII, 9.); quem Caesar favorem illi non tribuisset, nisi magnis eius de se meritis gratiam reddendam putasset. Totum igitur annum 46 a. Chr. n. (708. u. c.) in Numidia versatus proximo Romam rediit cum magnis divitiis in provincia collectis. Ac fuerunt, qui cum arguerent non satis legitime eas sibi comparasse, adeoque repetundarum iudicium non effugisse (Auct. decl. c. 7. Dio Cass. XLIII, 9.); sed rem parum certam esse infra videbimus. Opibus ex provincia reportatis ad vitam usus opulenter et cum elegantia instituendam, in Quirinali intra portam Salariam et Collinam atque collem hortulorum (cf. Tacit. Hist. III, 82.) hortos amplissimos et pretiosissimos emit, aedificiis, thermis, porticibus splendidissimis instruxit, omnique genere signorum atque artis operum exornavit. Cuius luxuriae et splendoris summi non solum documentum hoc habetur, quod complures imperatores, velut Vespasianus, Nerva, Traianus, Aurelianus, amoenitate hortorum invitati, in illis habitarunt, sed pristinam eorum magnificentiam planissime etiam testantur multae et praestantissimae statuae signorumque reliquiae in illis locis effossae; quamquam non abhorret a verisimilitudine aliquantam ornamentorum, quibus horti Sallustiani instructi fuerunt, partem posterioribus eorum possessoribus debitam fuisse. De cetera eius vita, quam inde a reditu ex Africa usque ad obitum suum peregit, nihil plane constat; nam quod Hieronymo auctore (in Iovin. I. p. 52. ed. Bas.) narratur Terentiam Ciceronis, cum qua ille a. 46. a. Chr. (708. u. c.) divortium fecerat, uxorem duxisse, quamquam potuit fortasse fieri, tamen per se tam incredibile est, ut in summo ceterorum scriptorum de ea re silentio Hieronymus exiguam fidem mereri videatur. Nam quum divortii tempore Terentia minimum quinquagenaria esset, quippe quae iam circa annum 79. a. Chr. n. Ciceroni Tulliam peperisset, annis tam impar fuit Sallustio, ut is, nisi singulares quasdam caussas habuerit matrimonii cum illa ineundi, vix

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

putandus sit integra aetate et re familiari florentissima tam inaequale coniugium quaesivisse. Eo magis autem de rei veritate dubitandum est, quod auctor declamationis in Ciceronem, a Sallustii aetate parum remotus, eam plane ignorat, quippe qui eum ita de Terentia loquentem faciat, ut eam in non minore odio quam ipsum Ciceronem habuisse videatur. Utut est, quum Caesare interfecto gravissimae turbae civitatem concuterent, ac cruentissima certamina non iam de libertate restituenda, sed de imperio parando exorirentur, tanto Sallustius taedio rerum publicarum captus est, ut aetatem procul a republica habendam decerneret, otiumque sua sponte sumptum ad adolescentiae studia, diu quidem negotiis intermissa sed nunquam contempta, conferret (cf. Cat. c. 4.). Quae ne ad solam sui delectationem aut miseriarum publicarum solatium pertinerent, sed aliquam etiam civibus suis utilitatem afferrent (cf. Iug. c. 4.), totum se memoriae rerum gestarum cognoscendae tractandaeque dedidit, laborum in ea re suscipiendorum adiutore usus Atteio Philologo, qui teste Suetonio de Ill. gramm. c. 10. eum breviario rerum Romanarum, ex quibus, quas vellet, eligeret, instruxit. Ita quum composuisset tria opera, de coniuratione Catilinae, de bello Iugurthino et Historias, praestantissima omnia, sed aliud alio perfectius et elaboratius, quinquagesimum primum annum agens a. 35. p. Chr. n. (719. u. c.) mortuus est. Liberos quum ipse vel non genuisset, vel natos sibi amisisset, sororis nepotem adoptavit, qui delicatae et luxuriosae vitae deditus honores quidem nunquam gessit, sed vigore animi et consilio eximius magna gratia et auctoritate apud Augustum atque Tiberium floruit (cf. Tacit. Ann. I, 6, 3. II, 40, 2. III, 30.), rebusque gravissimis exsequendis adhibitus a. 20. p. Chr. n. obiit.

Haec quamquam valde manca sunt, quae de Sallustii vita exposuimus, neque ulla ex parte sufficiunt ad plane cognoscendum, quomodo ille in republica gerenda versatus sit, quid gesserit, quibus amicis inimicisve usus sit, quas res adversas habuerit, quomodo post Caesaris mortem in otio vixerit, tamen pauca illa certis scriptorum testimoniis nituntur. At quae de moribus eius traduntur, admodum sunt incerta, auctoritate idonea destituta et prorsus dubia; ac nihilo minus pro verissimis et exploratissimis creduntur,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

fatali quadam fortuna, ut Sallustius non solum aequalium invidia vexaretur, sed etiam apud posteros fama laboraret. Paucissimis enim exceptis, quibus verum ingenium est, quique praeiudicatis opinionibus non impediuntur, omnes uno ore clamant moribus eum corruptissimis atque effrenatarum cupiditatum fuisse, omnibusque libidinibus ita deditum, ut nullum esset flagitium, a quo abhorruerit, nullum scelus, quod non commiserit; quam infamiam turpissimae vitae eo augeri, quod in scriptis suis malos civitatis mores gravissime insectatus non erubuerit in aliis vituperare, quae ipse plurima et pessima fecerit. Quae tanta crimina si a probis neque sublestae fidei auctoribus in Sallustium coniicerentur, profecto de eius fama actum esset. Sed fluxerunt illa ex fonte turbido ac lutulentissimo, quo accuratius examinato quantum vel malignis obtrectationibus vel ineptis declamationibus tribuendum sit, facile intelligitur. Princeps enim auctor iniquorum ac falsissimorum de Sallustio iudiciorum fuisse putandus est Lenaeus, Pompeii libertus et paene omnium expeditionum comes, ut tradit Sueton. de Ill. gramm. c. 15. Qui quum caeca quadam et superstitiosa teneretur admiratione patroni sui, vanissimi hominis et incredibili atque immerita felicitate ita elati, ut orbis terrarum dominum se putaret, post miserabilem eius et inglorium casum summo omnium, qui a Caesaris partibus stabant, odio impletus fuit, aegreque ferebat, quod Sallustius, perpetuus Pompeii, dum vivus erat, adversarius, ita eius foedo exitui superstes esset, ut securus vitam opulentam omnibusque munditiis affluentem degeret. Sed postquam is Historias edidit, in quibus de Pompeio quum alia verissima quidem, sed parum honorifica, tum hoc dixisset „oris eum improbi, animo inverecundo“ fuisse, adeo homo veritatis impatiens ira exarsit, ut teste Suetonio l. l. Sallustium „acerbissima satira laceraverit, lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans, et vita scriptisque monstrosum, praeterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem“. — En, habes egregium illud testimonium, quo comprobatum eunt, Sallustium fuisse profligatissimum! unde, si vere aestimare volumus, hoc unum patet nebulonem maximum ac maledicentissimum calumniatorem fuisse Lenaeum ipsum. Nam si nihil plane ex Sallustii scriptis ad nos pervenisset, quis dubitaret Lenaeo au-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ctore illum pro pessimo et corruptissimo scriptore habere? At de scriptis res sarta tecta est; ipsa pro se loquuntur, nihil esse iis praestantius, nihil perfectius. Vitâ autem si pariter monstrosus fuisse insimulatur Sallustius atque scriptis, quis non videt hoc non minus esse quam illud falsissimum? Fieri enim non potuit, ut Lenaeus uno ore atque uno eodemque vocabulo alterum mentiretur impudentissime, alterum diceret verissime; sed utrumque necesse est aut verum sit, aut falsum. Quare nihil agunt, qui, quamvis concedant modum fortasse in vituperando excessisse Lenaeum, tamen veri aliquid subesse eius criminibus affirmant. Scilicet qui tantopere a vero et honesto abhorreret, ut auctorem castissimum ob rarum veritatis amorem ingeniique libertatem *scriptis monstrosum*, ob antiquitatis quendam colorem ex Catone petitum *Catonis verborum ineruditissimum furem* appellaret, eundem, quia splendide habitabat, et victu cultuque non sordido, sed eleganti opulentoque, ut divitem decet, utebatur, *lastaurum*, *lurconem*, *popinonem* dicere non dubitavit. Hoc est igitur, quod illi Lenaei patroni volunt, conviciatorem verisimilitudinem aliquam in satira sua secutum esse. Quem ut mirum non est ira atque odio incensum et rerum adversarum suarum iniquitate exasperatum inimicissimas criminationes in Sallustium effudisse, ita vel maxime mirum et prorsus incredibile videri debet, homines doctos harum rerum tam incuriosos tantaque iudicii levitate fuisse, ut futilissima calumniatoris convicia pro exploratis atque indubitatis veritatis testimoniis haberent.

Sed iidem inconsultiores etiam reperiuntur in fide declamationi adiungenda, quae sub Ciceronis nomine in Sallustium circumfertur, veritatis respectu multum etiam Lenaei libello inferior. Nam quum de simultate, quae Ciceroni cum Sallustio intercessisse dicebatur, aliqua fama etiam ultra eorum tempora propagata esset, ea res idonea visa est, quae declamationi argumentum praeberet. Tam inepte autem homo insulsus, quisquis eius auctor fuit, in ea caussa tractanda versatus est, ut, quum alteram orationem Sallustio in Ciceronem, alteram Ciceroni in Sallustium tribueret, nulla personarum, morum, rerum, temporum, omnino nullius rei ratione habita hoc unum ageret, ut quantum conviciando, criminando, calumniando, probra iaciendo, petulanter et impudenter dicendo, pla-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

nissima in pravum detorquendo praestari posset, periclitaretur. Quum igitur utraque declamatio nihil aliud sit, nisi miserabilis umbratica exercitatio conviciandi, hoc tamen interest inter Lenaei satiram et declamatoris opus, quod ille consilio saltem, quamquam maligno, in Sallustium scripsit, hic personam, quam petit, susque deque habens, voluntate plane nulla ducitur, animoque Sallustium plane non curat. Nam quum id unice propositum haberet, ut componeret, quaecunque proterve, malitiose, impudenter in adversarium dici possent, tam parum haec contra Sallustium ipsum aut Ciceronem dixit, ut eadem in quoslibet alios dicturus fuisset, quos personas conviciantium inter se sustinere ipsi forte placuisset. Quam putidum enim et absurdum sit eius institutum, vel eo patet, quod Sallustius fere eadem Ciceroni obiicit, quae hic illi crimini dat, ut paucis mutatis nominibusque transpositis, quae nunc Sallustii est in Ciceronem declamatio, eodem iure huius in illum, et contra, esse possit. Quae quum ita sint, non modo mediocrem aut dubiam, sed nullam omnino ineptissimorum libellorum fidem esse posse ad Sallustii mores infamandos, luce clarius est. At quid factum videmus? Quum personatus Sallustius Ciceroni obiicit „*nihil eum flagitiosum corpori suo putasse, quod alteri collibuisset, eloquentiam pudicitiae iactura perdidicisse, uxorem sacrilegam, filiam matris pellicem habere*“, non creditur. At quum idem declamator, Ciceronis personam sustinens, Sallustium „*impudicum et procacem*“ appellat, „*immensae eius gulae impudicissimi corporis quaestum sufficere non potuisse*“ dicit, „*cupiditatibus infinitis elatum esse, ut, quae ipse corpori suo turpia non duxisset, in aliis experiretur*“ incusat, docti homines, quasi testis religiosissimus testimonium dixisset, credunt. Quum Sallustius personatus inimicum arguit „*domum vi et rapinis comparasse, opulentiam ex sanguine et miseriis civium quaesivisse, linguam vanam, manus rapacissimas, gulam immensam, pedes fugaces, quae honeste nominari non possunt, inhonestissima habuisse*“, non creditur. At quum Pseudo-Cicero narrat „*eum domum paternam vivo patre turpissime venalem habuisse, ipsum patrem mori coegisse, omnibus matrum familiarum viris opprobrio fuisse, in senatu adulterium confessum esse*“, nemini ne in mentem quidem

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

venit dubitare, num haec vera sint; omnes credunt. Quum Cicero insimulatur *coniurationis Catilinariae occultus auctor fuisse, quo liberator urbis esse posset, in testamenta locupletium irrepsisse, summa crudelitate in cives saeviisse*, non creditur. At quum Sallustius arguitur tanquam alter Catilina non solum *pessimorum omnium socius fuisse, sed exemplar, quicquid impudicorum, cillonum, parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuerit in urbe, municipiis, coloniis, tota Italia, ad hoc Africam provinciam rapinis ad internecionem vastasse*, credunt, tanquam nihil certius esset atque exploratius. Sed nolumus singula ulterius persequi. Res enim sic se habet: aut pariter vera sunt, quae declamator de Cicerone habet, aut si illa falsa sunt, falsa etiam, quae de Sallustio leguntur; si qui autem sunt, qui alterum falsum putant, alterum verum, profecto magis etiam insipiunt, quam ineptiarum illarum auctor, qui fuit insipientissimus.

Non intra scrinia pressas fuisse illas declamationes, sed mature divulgatas et pro genuinis habitas, eo cognoscitur, quod altera, quae Sallustii in Ciceronem fertur, iam a Quintiliano IV, 1, 68. memoratur. Haud parum igitur auctoritatis simul cum Lenaei libello nactae, profecto contra auctoris mentem plurimum contulerunt ad malam famam de corruptis Sallustii moribus excitandam, confirmandam atque propagandam. Eo factum est, ut seriores, qui, qualis Sallustius fuisset, non ex accurata illorum temporum cognitione eiusque actionum vitaeque domesticae notitia speciali didicissent, sed haustam ex turbidis illis fontibus de eo opinionem animo imbibissent, sicubi de eo mentio incideret, sponte quasi et sollenni modo veterem cantilenam de eius morum infamia canerent. Ita Lactant. Inst. Div. II, 12. *Quod quidem*, inquit, *non fugit hominem nequam Sallustium, qui ait: sed omnis nostra vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur. Recte, si ita vixisset, ut locutus est. Servivit enim foedissimis voluptatibus, suamque ipse sententiam vitae pravitate dissolvit.* Macrob. Saturn. II, 9. *Haec Sallustius, gravissimus alienae luxuriae obiurgator et censor.* Symmach. Epp. V, 68. *Statuerit hoc scriptor stilo tantum probandus; nam morum eius damna non sinunt, ut ab illo agendae vitae petatur auctoritas.* Quibus testimoniis qui

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

utuntur ad famam Sallustii labefactandam, videant, ne rem parum compertam levissimis argumentis, quae nullam vim ad persuadendum habent, probare conentur. Nam quum Lenaeus et declamationum auctor per se omni fide destituantur, quae illi vel malignitate ingenii vel iudicii perversitate mentiti sunt, non veriora fiunt, si post aliquot secula ab aliis prolata rursum ingeruntur.

At alia sunt eaque multo certiora atque graviora, quibus, quam flagitiosa fuerit Sallustii vita, demonstretur, adulterium cum Fausta, Milonis uxore, commissum, et Africa provincia foede expilata. Quae num tam explorata sint, quam videntur et putantur, accuratius quaerendum est. Iam de Fausta quod narratur, tam dubium est totque rebus inter se repugnantibus impeditum et obscuratum, ut non temere illi famae fides habenda videatur. Rem aperte tradit Gellius XVII, 18. his verbis: *M. Varro, in literis atque vita fide homo multa et gravis, in libro, quem scripsit Pius aut de pace, C. Sallustium, scriptorem seriae illius et severae orationis, in cuius historia notiones censorias fieri atque exerceri videmus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone loris bene caesum dicit, et, quum dedisset pecuniam, dimissum.* In promptu est autem Gellium hoc referre ut rem miram, insolitam et valde memorabilem; in quo non negligendum est hominem rerum Romanarum scientissimum et saepissime Sallustii mentionem facientem nusquam de eius moribus ut dissolutis ac perditis dicere; unde coniicias, quum vel ignoraret vel improbaret, quae maligni aut inepti divulgaverant, rem ex Varrone cognitam ut valde notabilem Noctium Atticarum commentariis inseruisse. Varronis fidem in litteris nemo in dubium vocaverit; sed quum non solum homo doctus, sed etiam Pompeianus esset (cf. Caes. B. C. II, 17—20.), non incredibile est, sibi temperare non potuisse, quominus adversarum partium homini sibi inviso maculam aliquam ex vago urbanorum rumore inureret. Audivit igitur, illum in flagitio deprehensum et loris caesum pecunia data dimissum esse. Quum id nonnisi vel ex Sallustio ipso, qui caesus pecuniam dederat, vel ex Milone, qui pecuniam acceperat, resciri posset, — nam coram testibus rem actam esse nemo dixerit —, utrum incredibilius sit, difficile dictu est. Sin levi auditioni atque rumori rem debuit, scilicet aestimari

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

potest, quantum talibus narrationibus tribui possit, otiosorum atque malignorum urbanorum industria propagatis. Ad hoc si reputaveris Sallustium post veras et longe gravissimas contentiones, Clodii caede ortas, tamen cum Milone in gratiam rediisse (cf. Ascon. in Cic. p. Mil. p. 39. Or.), multo minus credi potest tantam alteri ab altero contumeliam illatam fuisse, quae omnem reconciliationem impedire debebat. Frustra autem viri docti confugiunt ad Horatii testimonium, quo Varronis narrationem confirment. Qui quum in Sat. I, 2, 40 sqq., ubi varia moechorum pericula describit, haec habeat: „*ille flagellis Ad mortem caesus;* fugiens hic decidit acrem Praedonum in turbam; *dedit hic pro corpore nummos*," Acrone auctore Sallustium significari volunt, quod falsissimum est. Nam quum Horatius aperte inter duos distinguat, caesum alterum, alterum nummis e periculo ereptum, ad Sallustium respicere non potuit, qui *simul et caesus et pecunia redemptus* creditur. Sed ne cogitasse quidem de Sallustio, ex eo patet, quod idem argumentum uberius persequens versu demum 64 sqq. de Faustae adultero Villio haec profert: „Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno Nomine deceptus, poenas dedit usque superque Quam satis est, pugnis caesus ferroque petitus." Nam si vix paucis versibus ante Faustae amores Sallustio improsperos memorasset, prorsus inepte ad eosdem pari modo Villio evenientes reversus esset. Quare falsum est, quod Acro ad v. 41. annotavit: „Hoc de C. Crispo Sallustio dicitur, qui deprehensus ab Annio Milone in adulterio cum uxore Fausta, Sullae filia, flagellis caesus esse dicitur, ut refert Asconius in eius vita." In errorem enim induxit scholiastam notitia de Sallustii adulterio ex Asconio hausta, qui ipse Varronis narrationem in libro de Pace secutus videtur; quamquam ipsa Acronis verba ad id ducunt, quod supra probare studuimus, totam rem incerta potius fama, quam facto comperto niti, siquidem scholiasta auctore Asconius refert, non caesum *esse*, sed caesum esse *dici*. In maiorem etiam eumque duplicem errorem Acro incidit ad v. 47 sqq. „Tutior at quanto merx est in classe secunda, Libertinarum dico. Sallustius in quas Non minus insanit quam qui moechatur," ad quem locum haec annotavit: „Fertur Sallustius Crispus tanto ardore insanivisse in libertinas, quanto moechus in matronas. Quod quum illi in se-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

natu a censoribus obiectum esset, respondit se non matronarum, sed libertinarum sectatorem esse; quare ex senatu eiectus est, quod ipse excusat in Catilinae libello.“ Nam vetus Horatii interpres non solum confudit rerum scriptorem cum sororis nepote, de quo supra dictum, sed etiam quae de *minore* Sallustio fama erat respectu libertinarum, eam caussam fuisse tradit, cur Sallustius *maior* ignominiosam notam censoriam pateretur, qua alii ob aliam caussam (v. supra p. 2.) eum affectum narrant; unde patet totam illam rem suspicionum tenebris potius esse involutam, quam clara veritatis luce collustratam. Quae quum ita sint, quamquam ex confusis et repugnantibus scriptorum narrationibus verum non satis eruas, hoc tamen vix dubitari potest, quin malignorum studiis levia quaedam, quae fortasse suberant, supra modum aucta sint et in malam partem detorta, iique errent, qui veritatis argumentum in eo conspiciunt, quod Sallustius senatu motus est; nam aliis de caussis id factum esse, supra demonstratum est. Ceterum haud ab re fuerit meminisse, Appium Claudium, qui tam furiose censuram ageret variisque criminibus adversarios opprimeret (v. Coel. in Cic. Epp. ad Famm. VIII, 14, 10. Dion. Cass. XL, 63.), omnium fuisse longe flagitiosissimum; quo quamquam Sallustii culpa, si qua fuit, non minuitur, tamen illi e senatu eiectioni per hominem impurissimum (v. Coel. in Cic. Epp. ad Famm. VIII, 12, 6.) factae non tantum tribuendum est, quantum vulgo fieri videmus.

Quod si iam quaeritur, unde expilatae Numidiae crimen fluxerit, quo Sallustius vel maxime premitur, rursus declamationis auctor (c. 7.) princeps eam infamiam movisse reperitur. Ineptissimis autem verbis usus, quasi Sallustius alter Verres fuisset, aliud rapinarum argumentum non novit, quam quod ille magnas ex provincia divitias retulit, quo rursus probatum ivit repetundarum eum crimini fuisse obnoxium. Quod qui putido conviciatori temere credunt, rerum Romanarum aut prorsus ignari aut parum memores videntur. Quis enim nescit ingentes illas divitias, quibus Roma paulatim abundabat, non ex ipsa urbe provenisse, sed omnes ex provinciis eo confluxisse? Scilicet nemo non eorum, qui provinciis praeerant, locupletatus redibat; neque id ex consuetudine Romana inhonestum aut poena dignum habebatur; iniuriae modo pro-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

vincialium atque vexationes prohibebantur, et qui rapinas, crudelitates, flagitia in socios commiserant, iudicia et poenas exspectare debebant; ceterum nemo dubitabat, quin magistratus eum in provinciis locum tenerent, ut iure aliquantum ex reditibus ad eos pertineret. Neque id a rerum condicione abhorrebat. Nam quum provinciarum rectores regum instar essent, qui ubique et ipsi magno subditorum sumptu alebantur, profecto flagitium neque habitum est neque fuit, si illi, reges imitati, ex annua provinciae administratione collectas opes Romam referrent. Sallustium quoque retulisse certum est, sed rapinis atque expilationibus eas parasse incertissimum et nullo modo probatum. Neque negligendum est, non pacatae eum provinciae praefuisse, sed ei, quae Pompeianis partibus adhaerens contra Caesarem arma tulerat, eiusque inimicos militibus et pecunia adiuverat. Cui quum victor graves multas iniunxisset (cf. Auct. B. Afric. c. 97. Dio Cass. XLIII, 9.), vix mirum videri potest, si proconsul castigandis urbibus ab eo relictus solito plus ex iis, quo ipse augeretur, exegit. Sed in eo omnem modum excessisse inde patere volunt, quod Romam reversus repetundarum accusatus esse dicitur. Quod argumentum quam per se infirmum sit, facile intelligent, qui cognitum habent, plurimas Romae accusationes provinciarum rectoribus intendi solitas esse ab iis, qui vel odii explendi occasionem quaererent, vel claro aliquo viro convellendo nomen sibi comparare studerent. Quare, nisi culpa aliis rebus probatur, eo, quod lis alicui ex provincia revertenti intenta est, non efficitur noxium fuisse. Sed de ipsa Sallustii accusatione ne certa quidem res est. Nam quum auctor declamationis c. 7. haec habeat: „*ne caussam diceret* sestertio duodecies cum Caesare paciscitur," aperte dicit, accusatum non esse, sed inepte comminiscitur magna mercede, ne in ius vocaretur, a Caesare mercatum esse. A declamatore autem ita discedit Dio Cassius l. l., ut accusatum quidem referat, sed a Caesare dimissum, ac simul magna ex eo infamia oneratum, quod, quum in scriptis suis multa et severa de aliorum avaritia tulisset iudicia, ipse verba sua parum secutus esset. Quae unde rescierit Dio, non liquet; nisi et ipse temere collecta nec satis intellecta pro ingenii sui captu protulit, adeo in ea re a vero aberrans, ut Sallustii scripta ante provinciae administrationem edita putaret.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Igitur quum aequalium scriptorum testimoniis plane nihil certi de corruptis Sallustii moribus constet, seriorum autem prava iudicia non maiorem fidem mereantur quam priorum calumniae atque ineptiae, nisi praeiudicatis potius opinionibus duci malumus quam id sequi, quod recta ratio suadet, statuendum est, nullo eorum, quorum memoria ex antiquitate ad nos pervenit, quique vel ob res gestas vel ob ingenii monumenta clari habentur, Sallustium fuisse moribus inferiorem. In scriptis vero sententiarum gravitate ac severitate, iudiciorum veritate, aequi bonique sensu validissimo, verae libertatis, alienissimae illius a libidine, summo amore, animo rerum humanarum semper memore, denique omnis turpitudinis et malarum artium odio talem se praebet, ut fere omnibus scriptoribus superior appareat, et ad Taciti praestantiam solus quam proxime accedat. Concedunt hoc omnes; sed quo praestantior hoc nomine reperiatur, eo contemptiorem ac detestabiliorem esse dicunt, quod vitâ tantopere a scriptis discrepuerit. Quod ut verum foret, si, quae illi vitio dantur, vera et comperta essent, ita res ipsa docet, Sallustii vituperatores, quum eum dissolutae vitae accusant, et tamen honeste scripsisse dicunt, parum ad ingenii humani naturam animum attendisse, neque reputasse, aliud esse solerter et ingeniose scribere, aliud honestatem in scriptis sequi. Illud haud raro in eos cadit, qui morum levitate et cupidinibus in pravum abstrahuntur; hoc frustra exspectes ab iis, qui totos se ad vitae turpitudinem demiserunt, ac prorsus ad libidines pessumdati sunt. Quippe ex tanta labe emergere nequeunt, et quod in vita semper secuti sunt, id in scriptis non deserunt. Quodsi ex omni antiquitate neminem constat morum nequitia infamem in scriptis veri, iusti, honesti assertorem et patronum exstitisse, profecto Sallustius ab ingenii humani natura deflexisse putandus foret, si talis fuisset, qualem iniqui et inconsulti vituperatores eum fuisse volunt. An credibile est, quum veritatis, qui fons et principium est omnis honestatis, per omnia retinentissimus reperiatur, veri sensum tam incorruptum tamque validum in eo vigere potuisse, si turpissimis libidinibus obnoxius, gravissimis flagitiis fuisset inquinatus? Qui autem dicunt, non ex vero animi affectu fluxisse illam, quam in eo admiramur, iudiciorum severitatem, sed tanquam fucum quendam inductum esse

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

eius scriptis, quo facilius verborum sonitu inani obtegeret factorum malam famam, videant, ne, quod ita probatum eunt, iam pro probato habeant, ac simul parum speciosam caussam suspicioni suae praetendant. Nam qui fallere student ac simulando pariter atque dissimulando criminibus, quibus laborant, se purgare, iis artificio ad id composito opus est multum a Sallustii simplicitate abhorrente, cuius idem est per varia scripta color, idem ubique honestatis animus, nihil ut quaesitum videatur, sed omnia dicta ex rebus ipsis provenisse et cum rebus congruere appareat. Quod autem in iis, quae Cat. 3, 5. de se ipse dicit, confessionem culpae cognoscunt, quam severa aliorum censura diluere studuerit, primum non vident aut videre nolunt illa verba unice ad invidiam ex contentionibus partium civilium ortam spectare, neque ulla ex parte de moribus infamatis capi posse; tum ne quaesiverunt quidem, iustamne caussam et necessitatem habuerit Sallustius defensionis morum parandae, et, si habuit, num idoneam et probabilem sui purgandi viam inierit. Utrumque negandum. Nisi enim monstrum quoddam vitiositatis fuit, quod ne obtrectatores quidem affirmant, etiamsi vera essent, quorum insimulatur, vix poterat in illis temporibus et in illa urbe prae ceteris flagitiosus videri, et quum haud dubie plurimi essent, qui vel simili vel longe maiore culpa tenerentur, non perspicitur, cur in communi corruptela ceteris purgatior videri vellet; sin vero nihilo minus famae affectae consulendum putasset, profecto homo acerrimi iudicii, quique naturam ingenii mortalium acutissime perspectam haberet, rem suam tam male tantaque stultitia et imperitia egisset, ut non solum id, quod spectasse arguitur, non consecutus esse putandus esset, sed etiam pro vanissimo, ineptissimo et impudentissimo haberi deberet.

Possemus haec uberius persequi; sed satis dictum puto ad demonstrandum parum firmo fundamento niti, quae de Sallustii vita atque moribus circumferuntur, magis ex inconsulta consuetudine credita, quam rationibus et certis argumentis stabilita. Quare, ut paucis comprehendamus, quamquam non ea nobis mens est, ut Sallustium prorsus sanctum hominem, verum sapientem et perfectum stoicum haberi velimus, tamen hoc satis probabiliter ostendisse videmur, nullam caussam esse, cur eum ceteris claris scriptoribus,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quorum famae nulla insignior macula aspersa est, vita moribusque credamus deteriorem.

Cap. II.

De Sallustii scriptis et dicendi genere.

Iam antiquitus magnam fuisse scriptorum Sallustii auctoritatem atque admirationem plurimis cognoscitur probatissimorum auctorum testimoniis, velut Quintil. X, 1, 101. Martial. XIV, 189. Tacit. Ann. III, 30. Quam egregii historici laudem quum duabus potissimum rebus consecutus sit, ingeniosa rerum tractatione et orationis praestantia, quales eae fuerint, paucis dicemus.

Iam quo intelligatur quantum Sallustius priores rerum scriptores post se reliquerit, recordari iuvabit, a quibus apud Romanos initiis profecta historia quo illa aetate progressa fuerit. Igitur quum antiquitus utili sane consilio institutum esset, ut pontifex maximus quotannis in album sive annales, qui inde maximi vel pontificii dicebantur, referret, qui magistratus maiores fuissent, qui dies festi celebrati, quaeque res memoratu dignae actae, quumque ii annales fere unicus fons esset, unde per complura secula tum publicarum rerum tum privatarum memoria repeteretur, evaluit, ut postero tempore, qui ad res scribendas animum appellerent, annalium formam fere tanquam unicam normam sequerentur. Quorum quamquam procedente tempore pro cuiusque ingenio magna diversitas fuit, ut inter primos, quales fuere Fabius Pictor, L. Cincius Alimentus, Piso Frugi, et Ciceronis aequales, velut L. Sisennam et Licin. Macrum, aliquantum interesset, omnes tamen ieiuni quiddam et exile sectabantur, neque quicquam praeter nudam temporum, hominum, locorum gestarumque rerum notitiam habebant. Quae quum paulatim non amplius neque argumento neque oratione satisfacerent, Sallustius has angustias egredi primus ausus maius quiddam et perfectius molitus est. Omissa enim priorum consuetudine res varias et inter se discretas nullo nisi annorum ordine conserentium, quae nexu interno cohaererent, arte comprehendit, factorum caussas saga-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

citer exquirit, quibus quidque consiliis gestum sit, dilucide explicat, eventus cum consiliis accurate componit, magno rerum usu et peritia instructus nihil, quod aliquo momento est, praetermittit, et, quod in quaque re maximum est et praecipuum, lectorum animis tanquam luculentam imaginem obiicit. Haud postremum autem in tantis eius virtutibus locum obtinet veritas, cuius se studiosissimum ac diligentissimum esse ita sibi est conscius, ut ne Tacitus quidem hoc nomine ei praeferendus videatur; nam quod ille egregie dicit *sine ira et studio* se scribere, *quorum caussas procul habeat*, idem Sallustius non minore iure sibi vindicat, in Historiarum proemio *non se divorsam partem in civilibus armis movisse a vero* professus. Non falso eum hoc de se praedicare, scripta eius satis superque ostendunt; quippe nihil celat, nihil obtegit, quaeque vel in civitate delicta sunt, vel a singulis prave acta, ita notat, ut unice res, non personas spectasse appareat. Tanta autem in eo aequitas, tanta moderatio, ita animus ab odio et cupiditate liber, ut, quamvis ingenuitate sibi insita caussae plebis i. e. libertati faveat, nihilo minus ipsam plebem sive ex secundis rebus insolentem (Iug. 40, 5.), sive rerum novarum cupidam (Cat. 37, 3 sqq.) pravitatis arguat, ac turbulentos eius duces (Cat. 38. Iug. 42, 2. Fr. Hist. I, 11. IV, 57.) vituperet. Rursus nobilitatis quidem iniquitatem et iniurias in plebem ubique graviter castigat, et quanto in odio illorum inveterata vitia, insolentiam, superbiam, arrogantiam, vanitatem, avaritiam et dominandi cupiditatem habeat, nunquam non declarat; neque tamen caeco adversae partis odio ita abripitur, ut non, quod in nobilitate sanum, verum, egregium fuit, agnoscat. Ita Catonis virtutem summis effert laudibus, Metellum iusto praeconio non privat, Catulum, quamquam non in omnibus sibi probatum, quod rogationi Gabiniae obviam ivit, bonum dicere non dubitat, quin in ipso Sulla, quae in eo eximia erant, haud invitus praedicat; Marii vero laudes prudens atque certo iudicio ita moderatur, ut minus eum ornarit quam ipse Cicero, qui, quem prorsus damnare debebat, pro vanitate sua atque ingenii mobilitate haud raro eximie celebraverit. Ad hoc quum summus sit artifex mores hominum describendi, regionum naturam atque locorum situm illustrandi, gentium populorumque atque temporum accuratam et luci-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

dam imaginem proponendi, tanta sui admiratione lectores implet, ut mirum non sit eum iam antiquis visum esse omnes superiores historicos longe superasse.

Neque tamen sola rerum tractatione eam laudem consecutus est, sed non minus orationis praestantia meruit, ut praeclarissimis scriptoribus annumeretur, quamquam plane diversam viam iniit, ut dicendi virtute inclaresceret. Nam ut in rerum componendarum arte longe suae aetatis consuetudinem praegressus est, ita in oratione conformanda non solum eum morem non tenuit, qui usu quasi stabilitus et receptus fuit, sed relicta aliqua ex parte aequalium dicendi consuetudine ad pristinorum scriptorum exemplum sese applicans antiquitatis potius colorem quendam et asperitatem quam politae dictionis elegantiam sectatus est. Quae res non magis ex peculiari eius natura atque indole quam ex temporum, in quae incidit, tristitia, et reipublicae corruentis afflicto statu, cui implicatus fuit, repetenda est. Acri enim ingenio animoque ingenuo praeditus atque summo libertatis amore incensus quum primo ad res populi romani florentis cognoscendas totum se dedisset, veterisque virtutis romanae vividam imaginem animo concepisset, ubi ad rempublicam accessit, infestissimis contentionibus exercitus adversariorum machinationibus ita vexatus et circumventus est, ut, quum sine successu in republica laborasset, valde sibi in negotiis gerendis displiceret. Neque postea, quamvis et Caesaris gratia floreret et summa eius admiratione teneretur, ubi illum ad evertendam libertatem tendere intellexit, animum mutasse putandus est; quam aegre enim ferret libertatem a dictatore paene sublatam, ex eo patet, quod eo adhuc vivo a negotiis plane recessit, otioque voluntario molestiam ex rebus publicis captam lenire studuit. Postquam vero Caesare interfecto respublica ita lacerari coepta est, ut salva esse nullo modo posset, non solum in consilio suo perseveravit, sed reipublicae interitu, quem instare intelligebat, adeo commotus est, ut plane omissa rerum praesentium cura animo se ad antiquitatem referret, virtutis, fortitudinis, continentiae exemplis, quae frustra tum quaerebantur, abundantem. Quorum contemplatione quum se consolaretur animumque erigeret, tum maxima admiratione M. Porcium Catonem Censorium, scriptis factisque perfecti Romani ima-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ginem praebentem, amplexus est. Cuius studii admirationisque ea vis fuit, ut, quum res populi Romani scribere decrevisset, praesentia ab omni parte perosus ac despiciens etiam dicendi genere ab aetatis suae usu deflecteret, tersam, elegantem, ornatam atque mollem orationem tanquam corruptionis testem simul et ipsam corruptricem evitaret, et lacertos potius quam carnem quaerens antiquam simplicitatem, gravitatem, vim et quasi quandam duritiem effingeret. Quas antiquitatis virtutes non minore studio quam peritia imitatus prudenter tamen cavit, ne in ieiunitatem, languorem et inelegantiam, qua multi priorum artis expertes laborabant, incideret. Brevitatis studiosissimus nunquam pluribus verbis utitur, quam quibus ad res accurate designandas opus est, quamquam eius brevitas, iam veteribus intellecta et laudata (cf. Quintil. IV, 2, 45. X, 1, 32. X, 1, 102. Seneca Epp. 114. Gell. III, 1, 6.), non magis in verbis cernitur, quam in coartata et pressa rerum narratione; omissis enim levioribus, quae vel minus ad rem pertinent vel a circumspecto et prudenti lectore facile intelliguntur, potioribus rebus cum cura insistit, celeriter in narrando progreditur, et iudiciorum severitate, sententiarum crebritate, verborum pondere dignitatem orationi ita conciliat, ut tamen neque obscura neque impedita evadat. Vitata enim artificiosa verborum comprehensione atque ambitu plerumque per brevia incisa procedit, enuntiata saepe magis iuxta collocat quam inter se nectit, et omnino nudam ornatuque quaesito destitutam antiquiorum dicendi rationem sequitur. In singulorum verborum et locutionum usu ita discedit ab aequalium consuetudine, ut multa prisca et insolita quum ex aliis tum ex Catone asciscat, alia, sed multo parcius et minus aperte, quam vulgo creditur, ex Graecorum usu exprimat, alia, quae plerumque translato sensu usurpantur, propria potestate ponat (cf. Gell. X, 20, 10.), quo fit, ut vel novata vel nimium declinata videantur. In universa autem vocabula scribendi ratione, quam orthographiam appellant, eam viam iniit, ut revocato priscorum more antiquitatis colorem scriptis suis induceret cum ipsa dictione congruentem.

Quod si haec omnia colligimus ad iustam Sallustiani dicendi generis imaginem animo informandam, negari nequit in summa eius praestantia artisque perfectione tamen aliquid inesse, quod non natum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

sed factum videatur, et consilium magis atque industriam quam liberae integraeque naturae impetum prodat, et hoc nomine Sallustium aliquantum a Caesaris nativa simplicitate et venustate incomparabili discrepare; quamquam hoc discrimen non magis peculiari utriusque natura et ingenio, quam rerum, quas scripserunt, diversitate nititur.

Quum iam aequales Sallustii sentirent haud uno eum modo a ceteris scriptoribus differre, complures fuerunt, quibus oratio eius ita displiceret, ut non solum valde vituperarent, sed auctorem ipsum gravissimis conviciis onerarent. De Lenaeo iam supra diximus p. 6. Cum eo fere congruit incerti auctoris epigramma a Quintiliano VIII, 3, 29. allatum: „Et verba antiqui *multum furate* Catonis, Crispe, Iugurthinae conditor historiae.“ Minus acerbum, sed tamen improbans Augusti de eo fuit iudicium, qui Suetonio teste c. 86. in epistola ad M. Antonium haec scripsit: „Tuque dubitas, Cimberne Annius, an Veranius Flaccus imitandi tibi sint, ita ut verbis, quae C. Sallustius *excerpsit ex Originibus Catonis*, utaris?“ Praecipuum Sallustii vituperatorem exstitisse Asinium Pollionem intelligitur ex Gellio NN. AA. X, 26. „Asinio Pollioni in quadam epistola, quam ad Plancum scripsit, et quibusdam aliis C. Sallustio iniquis, dignum nota visum est, quod in primo historiarum maris transitum tramissumque navibus factum *transgressum* appellavit, eosque, qui fretum transmiserant, quos transfretasse dici solitum est, *transgressos* dixit.“ Eandem rem tetigit etiam Suetonius de ill. gramm. c. 10. cuius haec sunt verba: „De eodem (Atteio) Asinius Pollio *in libro*, *quo Sallustii scripta reprehendit*, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, ita tradit: In eam rem adiutorium ei fecit maxime quidam Atteius Praetextatus, nobilis grammaticus latinus.“ Cui Pollionis sententiae aliqua ex parte occurrit ipse Suetonius l. l. haec adiiciens: „Quo magis miror Asinium Pollionem credidisse, antiqua eum (Atteium) verba et figuras solitum esse colligere Sallustio, quum sibi sciat nihil aliud suadere, quam ut noto civilique et proprio sermone utatur, vitetque maxime obscuritatem Sallustii et audaciam in translationibus.“ Sed ad universum obtrectatorum genus refutandum imprimis valent verba Gellii NN. AA. IV, 15. „Elegantia orationis Sallustii verborumque fingendi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

et novandi studium cum multa prorsus invidia fuit, multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare. *In quibus plura inscite aut maligne vellicant.*“ Scilicet res sic se habet: vel iudicii pravitate non potuerunt illi concoquere, quae in Sallustio aliter legerent, quam sua ferret consuetudo et trita dicendi ratio, vel malignitate mentis caecum odium suum, ex partium contentionibus conceptum, quemadmodum infamandis Sallustii moribus, ita etiam calumniandis eius scriptis explere studuerunt.

Restat ut de singulis operibus pauca dicamus.

Catilinam primum fuisse Sallustii opus ipse haud obscure testatur c. 4. Non multo autem post Caesaris mortem scriptum esse quum pateat ex c. 53, 6. et 54., satis probabile videtur anno 43 vel 42 a Chr. n. prodiisse. Quibus fontibus auctor usus sit ad res accurate cognoscendas quamquam ipse non dicit, tamen, quin valde certi et probati fuerint, quum *verissime* se de illa coniuratione expositurum profiteatur, dubitari non potest. Ante omnia igitur hausisse putandus est ex actis publicis senatusque decretis, quibus gravissima illarum rerum testimonia continebantur. Alia haud dubie comperta habuit ex narrationibus aequalium Catilinae, quorum haud pauci illo adhuc tempore vivebant, quo de eius coniuratione scribere instituit. Eo facilius autem diiudicare potuit, quid eorum auctoritati atque fidei tribuendum esset, quod ipse adolescens trium et viginti annorum, qua aetate ingenio satis iam valebat ad animum ad publicas res advertendum, omnia viderat, quae ad illud facinus pertinerent. At Ciceronis orationibus quum in Catilinam ipsum, tum post consulatum habitis, ad hoc commentario eius de consulatu suo graece scripto, ac poemate, quo eandem rem celebravit, unde sane singula multa peti poterant ad coniurationem spectantia, non ita usus videtur, ut magnam ea vim habere putaret ad gravitatem operi suo conciliandam. Quod ne negligentia factum credamus, consilii, quod secutus est, peculiaris ratio prohibet. Hoc enim propositum habuit, ut ruentis reipublicae causam in corruptis civitatis moribus positam esse illustri exemplo doceret, et quid depravato rerum statu fieri necesse fuerit foeditate patrati facinoris demonstraret. Quod intuens in idque intentus, non hoc suum esse duxit, ut minuta quaeque referret et infructuosa

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

cura singula conquireret, quae aliquo loco aut tempore in coniuratione facta essent, sed prudenti consilio ea comprehendit, quibus summa rerum continetur, quaeque vividam ac veram temporum imaginem conficiunt. Ut igitur multa, quae pluribus illustrari poterant, paucissimis verbis significat, alia, quae apud Ciceronem, Asconium, Plutarchum, Dionem Cassium leguntur, quia exigui momenti videbantur, plane omisit, ita etiam in ordine dierum atque temporum, quibus quidque actum est, constituendo et tradendo non admodum anxius fuit, in nonnullisque iustum rerum progressum, aliunde nobis cognitum, non accurate observavit. Quod quamquam in aliquo vitio est ponendum, tamen non gravius videri debet, quam est, neque Sallustius prae ceteris negligentiae arguendus, aut suspicio movenda, librariorum culpa aliquid in codicibus esse turbatum. Omnino enim veteres in temporibus notandis aliquanto incuriosiores fuerunt quam nostri homines, qui pervulgato calendariorum atque horologiorum usu omnia minute metiri, consignare et describere soliti in rebus gestis ad singulos dies atque horas revocandis interdum magis solliciti sunt, quam in recte aestimandis. Quemadmodum igitur Caesar, ut uno exemplo defungar, in ceteris accuratissimus, tempora tamen rerum suarum in commentariis de bello gallico et civili obiter tantum et valde indefinite notat, ut haud raro hoc nomine haereas, ita Sallustius quoque summam rerum cum cura persecutus in singulis vel ab errore vel ab negligentia sibi non plane cavit.

Tum quod sunt, qui eum arguunt invidia atque odio commotum minus Ciceronem, quam pro eius meritis, celebrasse, et malignitate multa reticuisse, quae ad eum ornandum pertinerent, nihil hoc iudicio inconsultius esse potest. Nam quum volunt Ciceronem tantis laudibus efferri debuisse, quantas et ipse sibi tribuit, et ab omnibus vel exspectavit vel postulavit, profecto indicant se nescire, quid sit historiam scribere. Ut paucis dicam, Cicero pro incredibili vanitate sua et gloriae cupidine coniurationem Catilinariam unice ad personam suam retulit, fato datam opportunitatem putavit, qua ipse clarescere posset, ea detecta et oppressa tantum suum meritum haberi voluit, ut nemo neque priorum neque aequalium se aequaret; Sallustius, quae summa eius virtus est, personis omissis

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

res modo spectavit, eae quales essent, non quales homines in iis videri vellent quaesivit, rempublicam pluris quam singulorum ambitionem habuit. Quantum igitur abfuit a laudatione Ciceronis scribenda, tantum abfuit etiam ab inhonesta invidia et maligno rerum ab eo gestarum silentio, quippe qui in Tullio commemorando eum modum tenuerit, quem et res poscebat, et ipse nunquam deseruit. Nam ut veritatis fuit studiosissimus, ita ubique a nimiis et inflatis laudibus etiam bonorum virorum abhorruit.

Catilinam excepit Iugurtha sive de bello Iugurthino liber, quantum coniici potest ex c. 3. circa annum 41 a. Chr. n. compositus. Ad quod bellum scribendum ut animum appelleret, primum eo inductus videtur, quod, quum in Numidiae administratione regione, locis, urbibus curiose cognitis memoriam memorabilis illius belli accuratius recoluisset, dignam materiam iudicavit, quam iusto opere tractaret. Quam eo libentius amplexus est, quod intelligebat, id bellum non solum rerum vicibus et pugnarum atrocitate insigne fuisse, sed etiam caussam exstitisse, ut Romae ea fierent, quae incensis partium studiis primo nobilitatis potentiam labefactarent, deinde eo insaniae progrederentur, ut lacerata bellis civilibus respublica postremo corrueret. Ad quarum rerum explicationem quum Sallustius ingenii sui natura ferretur, facile perspicitur, cur illi bellum Iugurthinum idoneum studiis suis argumentum videretur.

De auctoris fontibus historiaeque eius belli condendae adminiculis haec fere probabili coniectura videntur dici posse. Actis publicis et imperatorum ad senatum missis litteris de rebus in Africa gestis haud dubie plurima continebantur, quibus tanquam fundamento accurata illorum temporum descriptio superstrui posset. Praeterea nonnullorum exstabant libri, eadem tempora attingentes, quorum auctores haud exiguas in illo bello partes sustinuerant. Ex eo genere fuerunt M. Aem. Scauri libri tres de vita ipsius acta (Cic. Brut. 29, 112.), qui primis belli annis avaritia, dolo, astutia quam maxime Iugurthae rebus implicatus erat. Item P. Rutilii Rufi, viri honestissimi, integerrimi et valde docti, qui Metelli legatus fuit, libri habebantur de sua vita scripti (Tacit. Agric. 1.), quibus consentaneum est etiam de universis Metelli rebus in Africa gestis

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

actum esse. Denique longe maximi momenti erant Sullae commentarii de vita rebusque suis, non graece, quae multorum opinio est, sed latine duobus et viginti libris compositi (Gell. I, 12, 15. XX, 6, 3.), et rebus a Mario et Sulla gestis cognoscendis utilissimi; quamquam non diffitendum est cautione aliqua et acri iudicio in eorum usu opus fuisse, quum Sullam ita de rebus suis egisse probabile sit, ut et simultati suae cum Mario indulgeret, et felicitatem suam, qua maxime gloriabatur, omnibus probaret. Haec omnia a Sallustio adhibita esse, pro eius summa in rebus tradendis religione dubitari nequit. Annalium quoque scriptores, velut Claud. Quadrigarium, Valerium Antiatem, Licin. Macrum, alios, qui historiam belli cum Iugurtha gesti habebant, inspexisse putandus est, quamquam horum auctoritas exigua fuit prae illorum, qui ipsi rebus interfuissent. Quae vero de Africae natura atque incolis, de locorum situ, de nonnullorum hominum Afrorum ingenio tradit, ea ipsum, quum in Numidia esset, percontando collegisse in promptu est.

Absoluto Iugurtha Sallustius Historias, iniuria temporum deperditas, scribere aggressus est, maius opus et duobus prioribus celebratius, neque ante annum 40 vel 39 a. Chr. n. inceptum, ut ex eo intelligitur, quod in Iug. c. 95, 2. declarat alio loco se de Sulla non esse dicturum, et tamen in Historiarum prooemio multa de eius bello civili, dictatura morumque foeditate disputavit. Paucis igitur ante mortem Sallustii annis, quae in a. 35 a. Chr. n. incidit, Historiae confectae editaeque fuerint. Iis auctor, quantum testimonio Ausonii Idyll. IV, 61 sqq. et fragmentorum indole cognoscitur, duodecim annos (78—67 a. Chr. n.) ita complexus est, ut universas populi Romani res belli domique gestas accurata narratione quinque libris persequeretur. Sumpsit autem illius potissimum temporis memoriam sibi illustrandam, quod non solum forma civitatis, quam Sulla per vim induxerat, per eos annos paulatim concussa, debilitata et sublata est, quae res illi potentiam nobilitatis peroso admodum gravis videri debuit, sed etiam, dum illud perficitur, respublica Romana tantis periculis domesticis atque externis laboravit, ut vix unquam maioribus malis undique ingruentibus conflictaretur. Nam primum Lepidus statim post Sullae mortem tantas turbas concitaverat, ut aegre opprimeretur. Tum Sertorius in Hi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

spania per decem annos plurimum negotii optimatibus et senatui facessebat. Quo nondum victo gravior exstitit hostis Mithridates, ad internecionem populi Romani pugnaturus. In Macedonia et Thracia ferocissimae gentes continuo rebellantes domandae erant, eodemque tempore piratae maria omnia ipsamque Italiam infestabant, et servi cruentissimo bello eandem devastabant. Ad hoc in urbe plebes fame et tributorum gravitate pressa aestuabat invidia nobilitatis et studio tribuniciae potestatis restituendae. Haec igitur omnia, in paucorum annorum spatium coartata, quum per se Sallustium ad scribendum invitabant, tum haec caussa accessisse videtur, quod illud tempus nondum a quoquam ea cura atque diligentia enarratum fuerat, quam poscebat rerum singularis natura atque gravitas. Tantum autem abfuit, ut L. Sisennae opus de bello sociali atque Sullae civili continuaret, quae nonnullorum est opinio, ut, quum ab eo tum in reipublicae rationibus tum libero ore multum discreparet, minime cum eo aut coniunctus esse aut comparari voluerit.

Quibus fontibus usus sit, eo difficilius cum aliqua probabilitate constitui potest, quod et ipsum eius opus periit, neque ullus scriptorum, qui de illis temporibus dixerunt, velut Valerius Antias, Licinius Macer, Aelius Tubero, Q. Hortensius, L. Lucceius, alii, nobis superest. Ut igitur plane dici nequit, quantum Sallustius ex iis hauserit, ita dubium non est, quin summa cura omnia cognoverit, unde certa notitia illorum temporum peti posset. In iis autem acta publica non extremum locum obtinuisse per se patet; neque sine magno usu ei fuisse tum orationes, quae quidem ex illo tempore exstabant, tum maiorum natu narrationes haud absurde coniicias. Certe tanto consilio tantaque arte in rebus tradendis iudicandisque versatus est, ut summam Historiis laudem atque admirationem sibi pararet, neque immerito Thucydidi compararetur (cf. Vell. II, 36, 2. Quintil. X, 1, 101. X, 2, 17.).

Quae huius operis praestantia fuerit, non fama tantum et scriptorum testimoniis constat, sed satis adhuc ex fragmentis numerosis et ex parte admodum amplis perspicitur, quippe ex quibus universis recte compositis de singulorum librorum argumento atque ambitu, ex maioribus vero et latius patentibus de egregia oratione haud improbabilis coniectura iniri possit. Praemisso enim prolixo

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

prooemio, quo supra repetens bellum sociale et Sullanum civile breviter persequitur, primo libro Lepidi turbas, Sertorii res gestas usque ad Pompeii in Hispaniam adventum, bellum Macedonicum ab App. Claudio gestum et P. Servilii expeditionem contra piratas susceptum narravit. Secundo libro, absoluto tumultu Lepidano, Sertorii cum Pompeio et Metello pugnas, bellum Macedonicum a Scrib. Curione, piraticum a Servilio continuatum, initia Mithridatici tertii, in urbe famem, turbas, tribunorum concitationes de potestate tribunicia restituenda complexus est. Tertio libro contentus fuit funestus Sertorii exitus, flagrans bellum Mithridaticum usque ad regis fugam ad Cabira, Curionis in Macedonia progressus ad Danubium, segne M. Antonii contra piratas, gravissimum in Italia servorum bellum, denique tribuniciae contentiones acrius quam antea in urbe motae. Quartus liber habuit continuas Luculli de Mithridate victorias, quibus ille ad Arsacis auxilium petendum adigebatur, belli Thracici et servilis finem, Pompeii consulatum et restitutam potestatem tribuniciam. Quinto denique libro, reliquis bellis et motibus compositis, Luculli tantum res adversas in Asia exposuit, cum summo imperio Pompeio lege Manilia dato opus terminans.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI

CATILINA

SIVE

DE CONIURATIONE CATILINAE

LIBER.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ARGUMENTUM.

1. Auctor exorsus a natura hominum, quae animo et corpore constat, ingenium, potiorem eius partem, imprimis exercendum dicit.

2. Eius vis et praestantia non solum bello et parando imperio cernitur, sed etiam pace plurimum valet. Desidia res humanae corrumpuntur, industria, quae sola homines decet, florent.

3. In iis rebus, quae ingenio perficiuntur, haud postremum locum obtinet rerum gestarum memoria, difficilior quam plerique putant. — Ab eius studio abstractus Sallustius et ad rempublicam latus multa ibi adversa habuit.

4. Igitur taedio rerum publicarum ad pristinum studium regressus statuit de rebus populi Romani memorabilibus, in iisque de Catilinae coniuratione prodere.

---

5. Catilinae ingenium atque mores adumbrantur. — Adiungitur digressio de priore statu reipublicae et de moribus paulatim ita corruptis, ut, quomodo tandem illud facinus suscipi potuerit, pateat. c. 6—13.

---

6. Romae initia et incrementa sub regibus.

7. Civitatis adepta libertate incredibiliter aucta alacritas, virtus, reipublicae studium.

8. Ea res minus celebrata, quia Romanorum animus magis ad agendum, quam ad dicendum et scribendum promptus fuit.

9. Romanorum antiquorum simplicitas, iustitia et fortitudo bellica.

10. Imperio extra Italiae fines prolato et Carthagine sublata magna morum immutatio incessit, immoderata pecuniae et imperii cupidine orta.

11. Ambitionis et avaritiae mala uberius illustrantur, et, quantopere Sullae militia Asiatica contulerit ad luxuriam invehendam, demonstratur.

12—13. Morum corruptela ex luxuria orta describitur.

---

14. Catilinae familiares ex vario genere perditissimorum hominum compositi.

15. Eius stupra et cetera flagitia, facinoris maturandi caussae.

16. Iuventutem quomodo instituerit ad coniurationis ministerium. — Ceterae eius rei spes et incitamenta.

17. Socii coniurationis a Catilina deliguntur complures senatorii ordinis ac nobiles, multis etiam occulte consilio faventibus.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

18. Quum iam anno ante Catilina cum P. Autronio et Cn. Pisone coniurasset contra rempublicam, ea res eventum non habuit.

19. Piso in Hispania occisus.

---

20. Catilinae oratio in primo coniuratorum conventu habita, qua docet, quantum ex fide et virtute sociorum speret, et quam iniqua et miserabilis ipsorum condicio sit, quum optimates, homines pessimi, omnia teneant, ipsis, potentia et imperio dignissimis, nihil reliquerint. Quae ut vi sibi parent, eos exhortatur, ducem se incepti professus.

21. Consilium coniurationis Catilina accuratius proponit.

22. Fama hominum de illo conventu.

23. Clandestina coniuratorum consilia a Q. Curio per Fulviam Ciceroni produntur.

24. Cicero consul fit. Qua re commotus Catilina arma apertius parat, plurimosque socios sibi asciscit, etiam mulieres.

25. Semproniae, mulieris ingeniose nequam, mores et ingenium.

26. Catilina frustra consulatum petit in annum 62 a. Chr. n. Insidiis Ciceroni frustra factis aperte bellum parat.

27. Multa ad id tum in Etruria, agro Piceno et Apulia, tum Romae molitus, conventum coniuratorum habet apud M. Porcium Laecam.

28. Ciceronis interficiendi conatus elusus. Etruria per Manlium sollicitata.

29. Cicero rem ad senatum refert, qui decrevit darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet.

30. Gliscente periculo senatus Marcium Regem, Q. Metellum Creticum, Q. Pomp. Rufum, Q. Metellum Celerem in varias Italiae partes mittit, qui exercitum compararent. Indicibus de coniuratione praemia decernuntur.

31. Ingens in urbe trepidatio. Cicero in senatu primam orationem in Catilinam habet, cui Catilina ferociter respondet,

32. ac proxima nocte urbe relicta in Etruriam se confert.

33. Manlius per legatos se suosque apud Marcium Regem de armis captis purgare studet.

34. Q. Marcii responsum. — Catilina falsos de consilio suo nuntios spargit.

35. Eius fallaces ad Q. Catulum litterae.

36. Ipse et Manlius hostes iudicantur.

Digressio de misero illa tempestate reipublicae statu. c. 36, 4. — 39, 5.

37. Varia genera perditorum civium; turbarum in plurimis cupiditas.

38. Eius caussae fuerunt tum perniciosae partium de potentia contentiones, tribunis plebem exagitantibus, tum

39. insecuta paucorum potentia, ut ex irritatis plebis animis magnum civitati periculum immineret.

Lentulus nova coniurationis auxilia parat.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

40. Allobrogum legati, ab eo illecti,

41. qui rem Ciceroni indicant.

42. Motus in variis Italiae regionibus exorti.

43. Coniuratorum consilia de tumultu in urbe excitando. — Cethegus ceterorum lentitudinem accusat.

44. Principes coniurationis per Allobroges ex praecepto Ciceronis in insidias inducuntur.

45. Allobroges dolo a Cicerone composito cum litteris coniuratorum Roma proficiscentes comprehenduntur.

---

46. Cicero, consilio perfecto, capita coniurationis ad se vocat et in senatum adducit.

47. Volturcius et Allobroges interrogati de coniuratione indicio suo arguunt Lentulum et ceteros, qui in liberas custodias dantur.

48. Tum plebis mutata repente mens. — Tarquinius falso indicio Crassum coniurationis insimulat.

49. Catulus et Piso Caesarem sibi invisum de coniuratione suspectum reddere student.

50. Motus subitus in urbe a Cicerone compressus. — Senatus de poena coniuratorum habetur.

51. Caesaris oratio.

Ut senatoribus persuadeat coniuratos non esse supplicio afficiendos, imprimis docet nihil lubidine esse agendum, sed legibus utendum. Frustra facinoris atrocitatem exornari, neque quaerendum quid coniurati meriti sint, sed quid tum dignitas imperii tum reipublicae rationes postulent. Quare maximopere esse cavendum, ne quod contra morem maiorum novum atque noxium exemplum in civitatem inducatur.

52. Catonis oratio.

Ignaviâ et negligentiâ ceterorum graviter incusatâ in summo reipublicae periculo nihil misericordiae loci esse ostendit, sed insigni exemplo edito scelestos esse coercendos. Impugnata igitur Caesaris maxime sententia, non mollitia consueta utendum, sed graviter agendum censet, et, qui probrosa vita misericordia indigni sint, eos ob nefarium scelus supplicio afficiendos esse.

53. Catonis sententia probatur.

Digressio de magnitudine populi Romani paucorum virorum egregia virtute effecta.

54. Caesaris et Catonis ingenia atque mores inter se comparati.

---

55. De coniuratis in Tulliano supplicium sumitur.

56. Catilina copias quam potest maximas parat.

57. Fuga in Galliam a Metello Celere prohibitus, instante a tergo Antonio, pugnam in agro Pistoriensi facere statuit.

58. Eius oratio ad milites. Maximam rerum necessitatem, qua pre-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

mebantur, ostendens, salutem ipsis in sola virtute positam esse monet, quantaque spes victoriae sibi sit, declarat.

59. Pugna committitur in loco angusto. Exercitui Romano Petreius praeest.

60. Catilinarii summa fortitudine pugnantes funduntur; Catilina ipse acerrime resistens occiditur.

61. Atrox pugnae post fusos et disiectos hostes species. Victoria Romanis haud incruenta.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

TABULA CHRONOLOGICA

RERUM IN CONIURATIONE CATILINAE NOTABILIUM.

Anni u. c.	Anni a. Chr. n.	
646	108	Catilina nascitur. [c. 5, 1.]
666	88	Catilina in bello civili Sullae addictus crudelissime saevit. [c. 5, 2.]
681	73	Catilina de stupro cum virgine vestali accusatur. c. 15, 1.
687	67	Catilina propraetor provinciam Africam obtinet.
688	66	Catilina media aestate ex provincia in urbem reversus auctoritate senatus a petendo consulatu prohibetur.
—	—	Catilina sub finem anni primum cum Autronio ambitus damnato et Cn. Pisone coniurat. c. 18, 1.
689	65	Ea coniuratio mense Februario dissoluta. c. 18, 7.
—	—	Cn. Piso quaestor pro praetore Hispaniam obtinet. c. 19, 1.
—	—	Catilina a P. Clodio repetundarum accusatus absolvitur, sed consulatum petere nequit.
690	64	Catilina circiter Kal. Iun. alteram coniurationem init. c. 17, 1.
—	—	Catilina consulatum petens in a. 63. repulsam fert. c. 24, 1.
691	63	Catilina extrema anni parte arma per Italiam parat, Romae socios coniurationis quaerit. c. 24, 2—3.
—	—	die XII. Kal. Nov. (21. Oct.) senatus consulto comitia consularia in ante d. XI. Kal. Nov. (22. Oct.) indicta differuntur in ante d. V. Kal. Nov. (28. Oct.).
—	—	die XI. Kal. Nov. (22. Oct.) senatus decernit: darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet. c. 29, 2.
—	—	a. d. VI. Kal. Nov. (27. Oct.) Manlius in Etruria arma sumit. c. 30, 1.
—	—	Comitiis a. d. V. Kal. Nov. (28. Oct.) habitis Catilina consulatum in a. 62. petens repulsam fert. c. 26, 5.
—	—	Catilina post haec aperte bellum per C. Manlium praeparat. c. 27, 1.
—	—	Tum senatus, negotio compluribus dato, paulatim exercitum parat. c. 30.
—	—	In urbe inde ab a. d. V. Kal. Nov. usque ad a. d. V. Id. Nov. (28. Oct. — 9. Nov.) maxima consternatio. c. 31, 1—3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Anni u. c.	Anni a. Chr. n.	
691	63	Nocte, quae fuit inter a. d. VIII. et VII. Id. Nov. (6/7. Nov.), coniuratorum conventus habetur apud M. Laecam. c. 27, 3.
—	—	Eadem nocte Ciceronis postero mane interficiendi consilium capitur. c. 28.
—	—	Nocte, quae fuit inter a. d. VII. et VI. Id. Nov. (7/8. Nov.), alter coniuratorum conventus habetur.
—	—	Postero die, a. d. VI. Id. Nov. (8. Nov.), Cicero in senatu *primam* orationem in Catilinam habet. c. 31, 5.
—	—	Nocte, quae fuit inter a. d. VI. et V. Id. Nov. (8/9. Nov.), Catilina urbem relinquit. c. 32.
—	—	Postero die, a. d. V. Id. Nov. (9. Nov.), Cicero ad populum *secundam* orationem in Catil. habet.
—	—	Catilina ex urbe profectus litteris ex itinere missis falsam opinionem de consilio suo spargere studet. c. 34, 2. 35.
—	—	Senatus consulto Catilina et Manlius hostes iudicantur. c. 36.
—	—	Per Italiam variis locis tumultus concitantur, quibus Metellus Celer et C. Murena occurrere student. c. 42.
—	—	Interim Romae principes coniurationis consilia sua impigre persequuntur, et Allobrogum legatos sibi asciscere student. c. 40. 41.
—	—	Nocte, quae fuit inter a. d. IV. et III. Non. Dec. (2/3. Dec.), Allobroges cum litteris coniuratorum comprehenduntur. c. 45.
—	—	a. d. III. Non. Dec. (3. Dec.) coniurati in senatu parricidii convicti in custodiam liberam dantur. c. 46. 47.
—	—	Eodem die sub vesperam Cicero orationem in Cat. *tertiam* habet ad populum. [c. 48.]
—	—	a. d. IV. Non. Dec. (4. Dec.) senatus habetur de praemiis Allobrogibus decernendis. c. 50, 1.
—	—	Non. Dec. (5. Dec.) in senatu de poena coniuratorum deliberatur. c. 50. 51. 52. 53, 1. — Cicero *quartam* or. in Catil. habet.
—	—	Eodem die supplicium de coniuratis sumitur. c. 55.
692	62	Catilina per tres fere menses adhuc in Etruria cum exercitu versatus hieme exeunte caeditur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

CATILINA.

I. Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pe- 2 cora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis 3 commune est. Quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam quaerere, et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, 4 memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum

I. 1. *qui sese student praestare*] *Studere* verbum et similia, plerumque infinitivo iuncta, cum accus. c. inf. construuntur, quo voluntatis prodita significatio certius agnoscatur; cf. Cic. in Cat. I, 2, 4. *Cupio me esse clementem.* id. Off. II, 22, 78. *Qui popularis se esse volunt.* Tum et locus et plenior forma *sese* pronominis eam vim habet, ut eorum, qui *studere* dicuntur, personae emineant et gravius efferantur; cf. Cat. 32, 2. Iug. 84, 1. et §. 4.

ne vitam silentio transeant] i. e. ne vitae cursum ita peragant, ut de ipsis sileatur.

pecora] Ita dicuntur animalia, quatenus bruta sunt ac ratione carent. Eadem *beluae* vocantur propter formam invenustam et mole sua inhabilem.

prona] cf. Cic. de Legg. I, 9, 26. *Natura quum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad coelique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit.*

2. *Sed*] Nexus hic est: *pecorum* natura solo corpore constat; sed *nos* constamus animo et corpore.

animi imperio — utimur] i. e. animus ita comparatus est, ut imperet, corpus, ut magis serviat.

alterum — alterum] Haec non simpliciter ad *animi* et *corporis* vocabula referuntur, sed ad universum enunciatum; quare alterum est, *quod animi imperio*, alterum *quod corporis servitio magis utimur.*

3. *Quo mihi rectius*] Haec ita cohaerent cum praecedentibus: quo magis imperium praestat servitio, eo rectius mihi videtur etc. cf. Cat. 13, 5.

vita ipsa, qua fruimur] i. e. vita per se, cuius nobis copia fit corporis beneficio.

nostri] Genitivus est singularis pron. poss., non confundendus cum genit. plur. pron. personalis *nostrum.* Quippe *nostri* quum sit neutro genere dictum, eo comprehenditur, quicquid est condicionis atque personae nostrae; cf. Iug. 14,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

et formae gloria fluxa atque fragilis est, virtus clara aeternaque habetur. Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine cor- 5
poris an virtute animi res militaris magis procederet. Nam et 6
prius quam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget. 7

II. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperi id primum fuit), divorsi pars ingenium, alii corpus exercebant; etiamtum vita hominum sine cupiditate agitabatur; sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athe- 2
nienses coepere urbis atque nationes subigere, lubidinem dominandi caussam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare, tum demum periculo atque negotiis compertum est, in bello

17. *Aut quisquam nostri misereri potest?* Hist. Fr. I, 56, 15. *Nostri proditor.* ib. II, 50, 3. *Si parricida vostri sum.*

4. *clara aeternaque habetur*] i. e. virtutem qui habet, rem habet claram aeternamque; sive: virtutis possessio clara aeternaque est. Ad praedicatum pertinere adiectiva in promptu est. Ceterum ea non singula opponuntur praegressis singulis, sed coniuncta respondent coniunctis; cf. 3, 3.

5. *Sed diu*] Adversativa particula refertur ad illud, quod auctor dixerat: rectius sibi videri ingeni quam virium opibus gloriam quaerere.

7. *Ita utrumque* etc.] Verborum sensus est: „ita, *quum* utrumque per se indigens *sit*, *tamen* alterum alterius auxilio eget.“ Scilicet satis mirum, duas res, quae singulae sibi ipsae non satis sint, mutuo auxilio egere. Quare vis sententiae in *alterum alterius* vocibus inest.

II. 1. *Igitur*] Haec particula, quam Sallustius antiquorum scriptorum usu primo loco ponere solet, refertur ad c. 1, 5.

reges] cf. Cic. de Rep. I, 26. *Quum penes unum est omnium summa rerum, regem illum vocamus. et regnum eius reipublicae statum.* Praeterea cf. Cat. 5, 6. et Iug. 31, 26.

divorsi] i. e. in contrarium abeuntes, res inter se oppositas sequentes; cf. c. 5, 8. Iug. 12, 5. 31, 24. 87, 4.

pars — alii] Appositione distributiva haec ita ad *reges* referuntur, ut, quum hoc vocabulo totum significetur, eius partes ei subiiciantur; cf. Iug. 57, 4. *Romani, pars eminus pugnare, alii succedere.* ib. 19, 1. 50, 4. 74, 1. 104, 3. *Ingenium exercuisse* putandi sunt, qui legibus condendis civitatibus prospicerent, *corpus*, qui venationi et armorum exercitio dediti essent.

etiamtum] i. e. illo adhuc tempore, tum adhuc; cf. Iug. 63, 6. 103, 6. In sequentibus §. 2. opponitur *tum demum.*

2. *caussam belli habere*] i. e. caussam b. facere, vel tanquam caussa belli uti.

periculo atque negotiis] *Periculum* intellige de ipsis pugnis certaminumque discrimine, *negotiis* de calamitatibus bello vel accepta clade ortis. Proprie enim *negotia* sunt res, in quibus otio frui non licet.

3. *Quod si*] *Quod* pronomen ante

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

3 plurumum ingenium posse. Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita ut in bello valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent; neque aliud alio ferri, neque
4 mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile iis artibus
5 retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia invasere,
6 fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad
7 optumum quemque a minus bono transfertur. Quae homines arant,
8 navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transiere; quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo,

si, nisi quum, ubi, nectendis enunciationibus inserviens, accusativus absolutus est, eamque vim habet, ut ea, quae sequuntur, *respectu antecedentium* dicta esse significet, quod germanice vel *nun* particula exprimitur, vel peculiari vocabulo plane reddi nequit.

imperatorum] Latiore sensu *imperatores* dicuntur, qui rebus publicis praesunt; cf. Cat. 6, 7. *Annua imperia binosque imperatores* (i. e. consules) *sibi fecere*. Iug. 24, 7. *Me, quem vos imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet.*

aliud alio ferri] Hoc fit, ubi reges imperio excidunt et regna in alterius potestatem veniunt.

mutari ac misceri omnia] De rebus novis, civitatum perturbationibus ac bellis civilibus haec capienda sunt.

4. *artibus*] Hac voce significatur contracta agendi consuetudo atque ratio; quae prout vel bona vel mala est, *artes* tum *virtutes* tum *vitia* sunt; cf. Cat. 3, 4. 5, 7. 9, 3. 10, 4. 11, 2. 13, 5. Iug. 1, 3.

5. *pro continentia*] Per chiasmum *continentiae* respondet *superbia, aequitati lubido;* cf. Cat. 14, 2. 3. Iug. 7, 5.

fortuna] i. e. externus civitatis status, *moribus* oppositus.

6. *transfertur*] i. e. *transit*, vel, ut Tacitus Ann. I, 1. loquitur, *cedit* in optimum quemque.

7. *Quae homines arant* etc.] A rebus publicis auctor transit ad privatas. Quare sensus est: quaecunque homines in privatis negotiis agunt, sive arando, sive navigando, sive aedificando occupati, haec quoque et alia eiusmodi omnia *ex virtute pendent*, i. e. nihil eorum sine virtute fieri potest.

8. *indocti incultique*] Illud est *nulla scientia instructi*, hoc *moribus non politi.*

sicuti peregrinantes] Scilicet qui in aliquo loco peregrinantur, consuetudinis civium omniumque rerum ignari esse solent.

anima] Haec vox, cuius propria potestas ea est, ut vitalem vim atque *ἐνέργειαν* per totum corpus diffusam designet, interdum, ubi corpori opponitur, ita usurpatur, ut non differat ab ipso *animo;* cf. §. 9. Iug. 2, 1. *genus hominum compositum ex corpore et anima est.*

iuxta] i. e. *eiusdem pretii, quod nullum est*, sive *pariter nihili;* cf. Iug. 85, 33. *Hiemem et aestatem iuxta pati*, i. e. pari patientia ferre; v. ad Cat. 37, 8.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quoniam de utraque siletur. Verum enimvero is demum mihi vi- 9
vere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari
facinoris aut artis bonae famam quaerit. Sed in magna copia rerum 10
aliud alii natura iter ostendit.

III. Pulchrum est bene facere reipublicae, etiam bene dicere haud absurdum est; vel pace, vel bello clarum fieri licet; et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi 2
quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequitur scriptorem et actorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere; primum quod facta dictis exaequanda sunt; deinde quia plerique, quae delicta reprehenderis, malevolentia et invidia dicta putant; ubi de magna virtute et gloria bonorum memores, quae sibi

9. *Verum enimvero*] His particulis quum contrarium cum gravi confirmatione inferatur, sensus fere est *at profecto*; cf. Cat. 20, 10.

frui anima] Qui *anima fruantur* opponi iis, quibus *anima oneri fuerit*, per se patet.

aliquo negotio intentus] Absolute positum *intentus* vocabulum rem, qua efficitur, ut quis *intentus* sit, ablativo asciscit; cf. Iug. 44, 3. *Metellus exspectatione eventus civium animos intentos putabat.* Metaphora ab arcu ducta; cf. Cic. de Sen. 9, 37. *Appius intentum animum tanquam arcum habebat.*

10. *in magna copia*] Adverbialis dictio per *in* c. abl. facta vim habet enunciationis secundariae, cuius h. l. sensus est: *quum* magna copia rerum *sit*; cf. Iug. 31, 24. *Potestne in tam divorsis mentibus pax aut amicitia esse?* 74, 1.

III. 1. *bene facere reipublicae*] i. e. talia facere, quae reip. procedant; cf. Iug. 85, 5. et §. 9.

haud absurdum] Per litotem dictum valet *egregium*; cf. Cat. 70, 3. *Illi haud timidi resistunt*, i. e. fortissime. Iug. 8, 1. *Iugurthae non mediocrem animum accendunt.* Cat. 25, 5. Iug. 84, 5.

vel pace vel bello] *In* praepositio abest, quia non de tempore, sed de iis rebus agitur, per quas quis clarus fiat, quae sunt vel *pax* vel *bellum*.

fecere] *Facere*, absolute dictum, *dicendo* opponitur; cf. Cat. 8, 5. *Optumus quisque facere quam dicere malebat.*

2. *actorem rerum*] *Actor rerum scriptori* hic pariter opponitur, ut apud Ciceronem *oratori*; cf. de Orat. III, 15, 57. *Ille apud Homerum Phoenix se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum actoremque rerum.*

arduum] i. e. non solum difficile, sed etiam iniquis iudiciis invidiae et despectus obnoxium; quare germanice optime reddas *misslich*.

exaequanda] *Facta dictis exaequantur* tum veritate narrationis, tum oratione ita composita, ut verborum gravitas respondeat rerum ponderi ac dignitati, utque omnino rebus ipsis par sit et aequalis oratio, quemadmodum Cicero ait Orat. 36, 123.

delicta] Haec vox attributum est obiecti, non obiectum ipsum.

dicta] i. e. reprehensa.

aequo animo] i. e. ita, ut non commoveatur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea veluti
3 ficta pro falsis ducit. Sed ego adulescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rempublicam latus sum, ibique mihi multa advorsa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute audacia, lar-
4 gitio, avaritia vigebant. Quae tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambi-
5 tione corrupta tenebatur; ac me, quum ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem, qua ceteros, fama atque invidia vexabat.

IV. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium con-

supra ea] Haec quum obiectum sint *ducit* verbi, breviter ac duriuscule dicta sunt pro eo, quod est *quae supra ea sunt*. Possis eodem modo germanice: *über dies hinaus hält er für erdichtet und falsch*, pro: *was über dies hinausgeht* etc.

3. *studio*] i. e. cupiditate, ardenti animo; cf. Hist. Fr. III, 1, 4. *Fateor me ad hoc bellum maiore studio quam consilio profectum*. Cat. 14, 6.

ibique] Ad rempublicam relatum significat *in eaque*, ex frequenti usu generali loci notione posita, ubi demonstrativum aut relativum vel ad rem vel ad personam spectans cum praepositione congrua ponendum erat; cf. Cat. 5, 2. 8, 3. 20, 8. 27, 4. Iug. 13, 5. 14, 22. 46, 7. 66, 2.

pro pudore etc.] Haec tria magis universa quam singula sibi opponuntur; cf. 1, 4.

4. *ambitione corrupta*] Haec noli pro enunciatione caussali habere, sed ad praedicatum *tenebatur* accuratius definiendum pertinere puta.

5. *ab reliquis malis moribus*] Intelliguntur *audacia*, *largitio*, *avaritia*, *alia eiusmodi*, una ambitione vel honoris cupidine excepta, cui soli Sallustius se dicit obnoxium fuisse.

eadem, qua ceteros, fama] Totius loci sensus hic est: nihilo minus sola honoris cupido, licet id vitium propius virtutem esset, eâdem (i. e. non minore — quam) invidiosâ famâ me vexabat, qua omnes alios, qui audacia, largitione, avaritia, aliis vitiis eam meruerant. Igitur quum minor mea quam ceterorum esset culpa, tamen eadem atque par mihi cum illis fuit famae deminutio.

cupido — vexabat] i. e. cupido efficiebat, ut vexarer atque lacerarer.

IV. 1. *ex multis miseriis*] Quum, quae tempore seriora sunt, ex prioribus quasi prodeant eaque post se relinquant, *ex* ad tempus translatum valet *post;* cf. Cat. 31, 1. Iug. 36, 3. 69, 3.

habendam] i. e. agendam; cf. Cat. 51, 12. *In obscuro vitam habent*. Iug. 85, 41. In eadem sententia *agere* legitur Iug. 4, 3.

decrevi] Non est *consilium cepi*, sed *iudicavi, putavi;* cf. Terent. Hec. IV, 1, 27. *Id vitium nunquam decrevi esse ego adulescentiae*. Cic. Epp. ad Famm. II, 6, 7. *In quo omnia mea posita esse decrevi*.

bonum] i. e. rebus bonis impendendum.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

terere, neque vero agrum colendo aut venando, servilibus officiis, intentum aetatem agere; sed a quo incepto studioque me ambitio 2
mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani carptim, uti quaeque memoria digna videbantur, perscribere; eo magis, quod mihi a spe, metu, partibus reipublicae animus liber erat. Igitur de Catilinae coniuratione, quam verissume potero, 3
paucis absolvam; nam id facinus in primis ego memorabile existumo 4
sceleris atque periculi novitate. De cuius hominis moribus pauca 5
prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

V. Lucius Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adulescen- 2
tia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere,

conterere] Infinitivus non pendet ex solo *consilium* substantivo, sed ex coniunctis *fuit consilium* verbis, quae vim habent simplicis *constitui;* cf. Cat. 17, 3. *copia erat* = *licebat;* 30, 4. *mos erat* = *solebant,* Iug. 4, 3. 89, 3; *tempus est* = *tempestivum est,* Iug. 89, 3.

incepto studioque] Intelligitur incepta olim, antequam ad rempublicam accederet, ac studiose agitata litterarum et historiae occupatio.

mala] i. e. quae mala affert, perniciosa; cf. Iug. 56, 3. *Post malam pugnam,* i. e. quae infelicem eventum habuit. Ita apud Hor. Sat. I, 6, 129. *misera ambitio* est, quae miseros facit.

carptim] Singulis partibus tanquam capitibus quibusdam selectis; cf. Plin. Epp. VI, 22, 2. *Egit carptim et κατὰ κεφάλαια.*

3. *absolvam*] Exponam, sive agam, adiuncta confectionis notione; cf. Iug. 17, 2. Histor. Fr. I, 2.

5. *quam — faciam*] Coniunctivo continetur iudicium de ratione initii faciendi. Quare, si rem spectas, verba *prius explananda sunt quam — faciam*, hunc sensum habent: prius expl. sunt, quo deinde ita, uti par est, initium faciam. Germanice sic reddas: *ehe ich den Anfang — machen kann.* Indicativus simpliciter significaret explicationem praecedere narrandi initium; cf. Cat. 1, 6. Iug. 5, 3.

V. 1. *Lucius Catilina*] Plenum nomen est *L. Sergius Catilina.* Natus est a. 108. a. Chr. antiquissima gente Sergia, quae teste Virg. Aen. V. 121. a Sergesto Aeneae comite originem duxit.

ingenio malo pravoque] Ab *animo*, qui universe et latissimo sensu *corpori* opponitur, *ingenium* ita differt, ut peculiarem illius naturam designet, quae cogitandi, sentiendi, agendi ratione cernitur (*Charakter*). *Malum ingenium* dicitur, quod suapte natura a bono honestoque abhorret; *pravum* est, quod perversitate iudicii rebus improbandis intenditur, quales sunt, quae §. 5. nominantur. cf. Iug. 25, 8. 64, 2.

2. *ibique*] i. e. *in iisque;* cf. ad 3, 3. Respicitur quum ad bellum sociale, tum ad Sullanum civile proscriptionibus et caede civium famosum. Ceterum *ab adulescentia* significat *ex quo tempore pueritiam egressus est*, cui ita opponitur *iuventus*, ut *robustior aetas virilis* intelligenda sit.

3. *supra quam*] i. e. *magis quam*, quo sensu etiam dicitur *ultra quam;* cf. Cic. de Invent. I, 49, 91. *Re-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

3 ibique inventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, algoris,
4 vigiliae, supra quam cuiquam credibile. Animus audax, subdolus,
varius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator; alieni appetens,
sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae
5 parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper
6 cupiebat. Hunc post dominationem Luci Sullae lubido maxuma in-
vaserat reipublicae capiundae, neque id quibus modis assequeretur,
7 dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat. Agitabatur
magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et con-
scientia scelerum, quae utraque iis artibus auxerat, quas supra me-
8 moravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pes-
suma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

motum est, quod ultra quam satis est, petitur.

4. *varius*] Ita dicitur *animus*, qui non unam rationem sequitur, sed, prout occasio oblata est, ad quamcunque rem suscipiendam paratus est; quod quale sit, sequentia accuratius declarant.

simulator ac dissimulator] Adiectivi potestate haec ad *animus* subiectum referuntur, ut multa substantiva, quibus persona significatur; cf. Iug. 64, 1. *Metello inerat contemptor animus et superbia.* Cic. p. Mil. 19, 50. *Latronum occultator et receptator locus.*

alieni appetens] Haec et sequentia non amplius subiectum habent *animus* vocem, ut priora; sed ita mutatur oratio, per brevia incisa procedens, ut ipsa Catilinae persona tacite inferatur.

5. *vastus*] i. e. modum excedens et profunda cupiditate exagitatus, quo vel maxime cernebatur Catilinae *parum* fuisse *sapientiae*.

6. *post dominationem L. Sullae*] i. e. postquam Sulla primus ausus erat libertate sublata dominus civitatis fieri.

capiundae] *Capere* hostili sensu dictum valet *occupare*, vel *potiri*; cf. Liv. III, 50, 15. *Quid sibi velient, qui — bello averso ab hostibus patriam suam cepissent.*

regnum] i. e. regiam potestatem sive tyrannidem; v. ad 2, 1. et cf. Iug. 31, 7. *Occiso Ti. Graccho, quem regnum parare aiebant.* Cat. 47, 2.

neque — quicquam pensi habebat] *Pensum* quum sit, quod pendendo exploratum, certum, constitutum est, formulae sensus est: *nihil plane curare, nulla ratione aut cura commoveri;* cf. Cat. 12, 2. 52, 34. Iug. 49, 9. Ceterum *pensi* non est genitivus pretii, sed ex *nihil, quicquam*, aliisve vocabulis sustantive positis pendet.

7. *ferox*] i. e. indomitus, ab omni humanitate alienus, ad vim et flagitia patranda pronus.

iis artibus] v. ad Cat. 2, 4.

8. *incitabant*] sc. *eum*, ad regnum quovis modo parandum.

divorsa] i. e. exadversum sibi opposita, plane contraria; v. ad Cat. 2, 1. Iug. 85, 20.

vexabant] *Vexare*, a *vehendo* ductum, proprie est huc illuc ferre, rapere et distrahere; translate non solum significat *negotium alicui facessere*, sed tum de personis tum de rebus dictum valet etiam *corrumpere ac perdere*; cf. Cat. 20, 12. *Omnibus modis pecuniam trahunt, vexant.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere, ac paucis instituta maiorum domi militiaeque, quo modo rempublicam habuerint, quantamque reliquerint, ut paulatim immutata ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit, disserere. 9

VI. Urbem Romam, sicut ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur, cumque iis Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una 2 moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. Sed 3 postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, satis prospera

ib. 50, 1. *Duces multitudinum pretio rempublicam vexare soliti.*

9. *hortari*] Minus usitate hoc verbum, ut nonnulla alia, quae consilii aut voluntatis vim habent, cum infinitivo construitur, vulgari consuetudine *ut* postulante; cf. Iug. 24, 4. *Plura de Iugurtha scribere dehortatur fortuna mea.*

quoniam] Hac particula quum caussa afferatur, ex facta re, quam mutare aut non possis aut nolis, prodiens, peculiaris eius usus est in *digressionibus* inferendis, quibus res iam dicta occasionem praebet; cf. Catil. 53, 6. Iug. 30, 4. 79, 1. 95, 2.

supra repetere] i. e. ad superiora tempora regredi indeque disserendi initium capere (germanice *weiter ausholen*), quod etiam dici poterat *altius* vel *longius repetere;* cf. Iug. 5, 3.

instituta — disserere] Structura *disserere* verbi ita comparata est, ut uno tenore et simplex obiectum et complures enunciationes obiecti vim habentes ex eo pendeant; cf. Iug. 30, 1. *Postquam res in Africa gestas, quoque modo actae forent, fama divolgavit.* ib. 34, 4.

habuerint] Praegnanti sensu *habere* adverbiali dictione definitum ita usurpatur, ut non plane abiecta *possidendi* notione simul indicet rationem, qua res possessa *geratur* aut *curetur tracteturve.* Quare sensus est: quomodo rempublicam gesserint, in eaque administranda et tuenda versati sint; cf. Cat. 11, 5. Iug. 5, 7. 41, 1.

VI. 1. *sicuti ego accepi*] Eo consilio haec a Sallustio adiecta sunt, ut significaret non pro certis et compertis se affirmare, quae de Romanorum origine narrat, sed ea sequi, quae apud auctores sibi probatos, in quibus Cato fuit teste Servio ad Virg. Aen. I, 6., legerit. Quare, si rem spectas, verba idem valent atque *sicut traditur.* In ea sententia *ego* pronomen peculiarem vim non habet; cf. Cat. 8, 2. Iug. 4, 5. 85, 1. et §. 15.

sedibus incertis] Ablativi non indicant locum, sed sunt absoluti, quibus caussa vagandi continetur.

liberum atque solutum] Saepius haec vocabula coniunguntur, ad summam licentiam significandam; cf. Cic. in Verr. II, 2, 75. II, 2, 78. de Rep. IV, 4. Tusc. I, 27, 66. Acadd. II, 3, 7.

2. *una moenia*] cf. Iug. 60, 7. *Ubi unae atque alterae scalae comminutae.*

3. *res eorum*] *Res* pro *civitate*, Li-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, in-
4 vidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitumi bello
tentare, pauci ex amicis auxilio esse; nam ceteri metu perculsi a
5 periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti festinare,
parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, pa-
triam parentesque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propu-
lerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis quam
6 accipiundis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitumum, no-
men imperi regium habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum,
ingenium sapientia validum erat, reipublicae consultabant; ii vel
7 aetate vel curae similitudine patres appellabantur. Post, ubi re-
gium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae

vio valde usitatum, Sallustius etiam dixit infra c. 18, 11. et in Historiis. Fr. I, 10. *Res Romana plurumum imperio valuit.*

sicut pleraque mortalium habentur] i. e. sicut in plerisque, quae mortalium sunt, fieri solet, sc. ut bona in mala mutentur.

invidia] Passive h. l. capienda *invidia*, quippe quam patiebantur Romani, non exercebant; cf. Cic. Tusc. IV, 7, 16. *Invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur.* cf. Cat. 22, 3. 49, 4.

4. *reges populique*] *Populi*, ubi iuxta *reges* commemorantur, praegnanti sensu *liberae civitates* intelligendae sunt; cf. Cat. 10, 1. 51, 4. Iug. 31, 9.

metu perculsi] *Percellere* quum sit vehementer movendo labefactare, deiicere atque evertere, *metu perculsi* dicuntur, qui prorsus consternati sunt, ut, quid agant, nesciant; cf. Cat. 43, 2. *Caede et incendio perculsis omnibus.* Iug. 38, 5. 40, 4. 42, 1. 44, 4. 70, 5.

aberant] Quemadmodum *adesse* interdum significat *adiuvare, ad opem ferendam praesto esse*, ita *abesse* dicitur in iis, qui se a rebus subtrahunt, neque suam curam iis impendunt; cf. Caes. B. G. VI, 14, 1. *Druides a bello abesse consuerunt.*

5. *auxilia portabant*] Plurali non *copiae auxiliares*, sed complurics latum auxilium significatur. *Portare*, insolens de ea re verbum, Sallustius posuisse videtur ad auxiliorum vim et pondus efferendum; cf. Liv. XXI, 18, 13. *Hic vobis bellum et pacem portamus; utrum placet, sumite.*

6. *legitumum*] i. e. *legibus constitutum*, cui opponitur *libido atque dominatio;* quare sequentium sensus est, regium imperium magis nomine quam re fuisse.

consultabant] *Consultare* c. dat. pro *consulere* Sallustius solus h. l. dixit.

aetate — similitudine] i. e. *propter* aetatem — sim.; cf. Cat. 23, 3. 31, 3. Iug. 37, 4. 42, 2. 64, 6.

7. *quod — conservandae libertatis — fuerat*] i. e. quod initio ita comparatum fuerat, ut ad conservandam libertatem atque augendam rempublicam pertineret; cf. Iug. 88, 4. *Quae postquam gloriosa modo neque belli patrandi cognovit.* Cat. 48, 2. *Illorum impunitatem perdundae reipublicae fore credebat.* Liv. V, 3, 4. *Concordiam ordinum dissolvendae maxime tribuniciae potestatis rentur esse.*

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

reipublicae fuerat, in superbiam dominationemque se convortit, immutato more annua imperia binosque imperatores sibi fecere; eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

VII. Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere. Nam regibus boni quam 2
mali suspectiores sunt, semperque iis aliena virtus formidolosa est. Sed civitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum brevi 3
creverit; tanta cupido gloriae incesserat. Iam primum iuventus, 4
simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non 5
labos insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus; virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxu- 6
mum certamen inter ipsos erat; sic se quisque hostem ferire,

imperatores] v. ad 2, 3.

per licentiam insolescere] De imperatorum superbia, non de Romanis in universum haec capienda sunt.

VII. 1. *ingenium in promptu habere*] i. e. ingenium exserere, eo libere uti; quod cur sub regibus minus fieret, sequentia declarant.

3. *adepta libertate*] Passiva vi *adeptus* etiam legitur Iug. 101, 9. *Adeptam victoriam retinere.*

incesserat] Absolute dictum, ut Cat. 13, 3. Iug. 13, 7. 41, 3. Germanice reddas: *hatte Platz gegriffen.* Eadem ratio est *invadere* verbi; cf. Cat. 2, 3. 10, 6. Iug. 41, 9.

4. *Iam primum*] Ea vis est harum vocum, ut *iam* indicet narrationem a latius patente argumento ad rem magis specialem esse deductam, *primum* autem, quae vox hic non est particula, sed substantivum, pronunciationis instar sit ac significet *quod primum est*, vel *ut hoc primum dicam, ut ab hoc incipiam;* cf. Cat. 15, 1.

in castris per laborem usu] Tribus modis praedicatum definitur, loco (*in castris*), condicione (*per laborem*), genere disciplinae (*usu*). Oblique autem Sallustius notat perversum suae aetatis morem, ubi multi non in castris, sed *domi*, non per laborem, sed *per ignaviam*, non usu, sed *litteris* militiam discere malebant, quos graviter exagitat Marius in oratione ad populum, Iug. 85, 10—14.

lubidinem habebant] i. e. delectabantur. Per synesin oratio ex *discebat* transit in *habebant*, quasi non *iuventus* sed *iuvenes* subiectum esset; cf. Cat. 16, 1. 23, 3. 37, 6.

5. *omnia domuerat*] i. e. omnia, quae obstabant, vicerat.

6. *Sed*] Hac particula alterum, quod constabat *gloriae certamine*, opponitur *fortitudini*, de qua primum dixit auctor.

sic] Respicitur hac voce ita ad antecedentia, ut, quae sequuntur, iis consentanea esse dicantur (germanice *dem gemäss*). Idem usus est *ita* particulae; cf. Cat. 2, 6. 8, 4.

se — ferire] Quum *properare* ardentis studii potestatem habeat, eadem ratione, qua ipsum *studere* ver-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant; laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias 7 honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

VIII. Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrat obscuratque. 2 Atheniensium res gestae, sicut ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere, verum aliquanto minores tamen, quam fama ferun- 3 tur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum 4 orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum ea verbis potuere ex- 5 tollere praeclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia

bum, cum accusat. c. inf. constructum est; v. ad Cat. 1, 1. — *Ferire* est *occidere.*

eas divitias] Pronomen demonstrativum ubi vel subiectum vel obiectum indefinitum designat, non neutro genere poni, sed per attractionem genus substantivi sequi, quod in praedicato est, res notissima est; cf. Cat. 20, 4. *Idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.* ib. 51, 14. 58, 16. Iug. 31, 15. 85, 30.

honestas] Opposita sententiae ratio docet hoc cum restrictione dictum valere *non ingentes, sed honestas*, vel *non alias nisi honestas*, i. e. et honeste partas et honestis rebus adhibitas.

7. *natura munitas*] Quae quum firmiores sint, quam opere munitae, maioris virtutis est has quam illas capere; ipsa enim natura superanda.

VIII. 1. *ex lubidine — ex vero*] i. e. libidinose — vere, quae adverbii potestas ita efficitur, ut modus agendi cogitetur prodire ex aliqua re ex eaque depromptus esse.

2. *aestumo*] i. e. earum pretium constituo; cf. Cat. 58, 18. *Quam facta vostra aestumo.*

aliquanto minores] i. e. bona parte minores; cf. Iug. 62, 5. 74, 3. 79, 4. 105, 4.

3. *provenere*] *Provenire* dicuntur quae naturae bonitate quasi sponte sua tanquam in agro fertili enascuntur, unde *proventus*, proprie de frugibus dictum, etiam ad homines transfertur; cf. Quint. XII, 10, 11. *Oratorum ingens proventus.*

ibi] i. e. apud eos; v. ad Cat. 3, 3.

pro maxumis] Ea vis est *pro* particulae in praedicato constituendo, ut significet, subiectum ei non ex aequo respondere, sed tantummodo similitudine quadam ad id accedere. Quare sensus est: licet non sint maxuma, tamen velut maxuma celebrantur; cf. Iug. 31, 23. *Sociis vostris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur.* ib. 61, 3. 98, 6.

5. *ea copia*] i. e. eius rei (sc. scriptorum magni ingenii) copia. Attractione enim pronomen demonstrat. et relat., genitivo casu ad praecedens substantivum vel enun-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

fuit, quia prudentissumus quisque maxume negotiosus erat; ingenium nemo sine corpore exercebat; optumus quisque facere quam dicere, sua ab aliis bene facta laudari quam ipse aliorum narrare malebat.

IX. Igitur domi militiaeque boni mores colebantur; concordia maxuma, minuma avaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum 2 hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant; in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate, 3 seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma do- 4 cumenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius revocati proelio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsi loco

ciatum referendum, sequenti substantivo genere, numero et casu adhaeret; cf. Cat. 30, 3. *Ea loca* = eius terrae loca. Iug. 54, 6. *Ea formidine* = earum rerum formidine. Cat. 42, 2. *Ex eo numero* = ex eorum n. — *Copia* est facultas sive potestas; cf. Cat. 17, 6. Iug. 18, 5. 22, 5.

negotiosus] In *otio* quum *litterae* maxime tractentur, *negotiosus* dicitur, qui *rebus gerendis est intentus;* cf. Iug. 4, 4.

IX. 1. *ius bonumque*] *Ius* intelligitur scriptum legibusque constitutum; *bonum* est, quod plerumque dicitur *aequum bonum* (Hist. Fr. Inc. 42.) vel *aequum et bonum* (Iug. 15, 3. 35, 7. Hist. Fr. I, 56, 17.), i. e. innatus hominibus iusti sensus, sive naturalis aequitas; quare *legibus* refertur ad *ius*, *natura* ad *bonum*.

non — magis quam] Ubi aiens est prioris membri praedicatum, hae particulae significant *aeque — ac, pariter — atque*, quae sententia non mutatur, si inversis membris dicitur *non — minus quam*.

2. *in suppliciis deorum*] Usitatius de eadem re est *supplicationum* vocabulum; cf. Iug. 55, 2.

domi] Hic proprie est *in domibus suis*, i. e. in rebus atque sumptibus privatis suis.

3. *aequitate*] sc. in victos; quod ut intelligeretur, non dixit *in pace*, sed *ubi pax evenerat*.

seque remque publicam] *Que — que* particulas, quarum usus infrequens est apud alios scriptores, Sallustius haud raro coniungendis vocabulis duobus, quorum prius pronomen est, neque vero enunciationibus, adhibet; cf. Cat. 36, 4. Iug. 10, 2. 21, 4. 79, 9. 85, 36. §. 47. 110, 8.

4. *loco cedere*] Hoc quam ignominiosum fuerit, cognoscitur ex Livio XXIV, 14, 7. *Qui loco cessisset, in eum servili supplicio animadversurum*. Ceterum ut *pulsi* respondet praegresso *revocati*, ita *loco cedere ausi erant* opponitur verbis *qui tardius proelio excesserant*.

5. *beneficiis quam metu*] Quin *magis* ante *quam* omissum sit, non dubitare sinunt sequentia, ad parem sententiae rationem conformata; nam ut *beneficiis* respondet *ignoscere*, ita

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

cedere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis quam metu imperium agitabant, et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.

X. Sed ubi labore atque iustitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit; ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artis bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo

ad *metu* vocem refertur *persequi*. Quare sensus est: et beneficiis et metu imperium agitabant, sed beneficiis magis. De omisso *magis* ac *potius* cf. Cat. 48, 5. Tacit. Ann. V, 6, 2. *Vos obtestor, ne memoriam nostri per maerorem quam laeti retineatis.*

persequi] Supple *eam*, sc. iniuriam; cf. Iug. 14, 23. *Tuasne iniurias persequar?* Cat. 52, 4.

X. 1. *reges magni*] Velut Pyrrhus, Syphax, Philippus, Antiochus, Perses, Iugurtha.

nationes ferae et populi ingentes] Ita differt *natio* a *populo*, ut illa comprehendat homines eiusdem originis et in iisdem regionibus natos, ac plerumque cultus atque disciplinae expertes, hic sit coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus et ad libertatis usum provectus (v. ad Cat. 6, 4.).

patebant] Contrarium est *clausum esse*; cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 17, 53. *Ita clausa nobis erant maria omnia, ut neque privatam rem transmarinam neque publicam iam obire possemus.*

2. *dubias*] i. e. perturbationis ac discriminis plenas; cf. Iug. 14, 5.

optandae] i. e. optabiles; cf. Iug. 64, 1. *Virtus, gloria atque alia optanda bonis.* ib. 3, 1. *cupienda* = talia, quae quis cupiat. 14, 5. *petenda* = talis, quam quis peteret.

aliis] i. e. hominibus, qui alio sunt ingenio atque Romani, quippe minus, quam illi, negotiosi, minusque laboribus sustinendis ac periculis propulsandis assueti.

4. *artis bonas*] v. ad 2, 4.

subvortit] i. e. summa imis miscendo evertit atque corrumpit; cf. Iug. 30, 4. Hist. Fr. I, 56, 8. *Nihil abest ad subvortendum imperium.*

5. *subegit*] Non plane idem est, quod *coegit*, sed *eo adegit, ut facerent*; cf. Cat. 51, 18. *Metus aut iniuria te subegit — genus poenae novum decernere.* Iug. 24, 2. 31, 4. 44, 4.

ex re] i. e. quanti per se sunt, ut vel honestatis vel inhonesti habeatur ratio. — *Ex* fontem aestumandi designat; solus ablativus, qui et ipse poni potest, quasi instrumentum vel modum taxandi indicaret.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

aestumare, magisque voltum quam ingenium bonum habere. Haec 6
primo paulatim crescere, interdum vindicari; post, ubi contagio
quasi pestilentia invasit, civitas immutata, imperium ex iustissumo
atque optumo crudele intolerandumque factum.

XI. Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum 2
exercebat, quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam glo-
riam, honorem, imperium bonus ignavus aeque sibi exoptant; sed
ille vera via nititur, huic quia bonae artes desunt, dolis atque
fallaciis contendit. Avaritia pecuniae studium habet, quam nemo 3
sapiens concupivit; ea quasi venenis malis imbuta corpus animum-
que virilem effeminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copia

habere — aestumare — habere] Hi infinitivi non sunt historici, sed pariter ut *fieri* ex *subegit* pendent.

ingenium] v. ad Cat. 5, 1.

6. *contagio*] sc. depravationis atque corruptionis, quasi pestilens morbus.

invasit] v. ad Cat. 7, 3.

XI. 1. *Sed primo magis ambitio*] Ne putes haec repugnare verbis c. 10, 3. *primo pecuniae, deinde imperi cupido crevit*, tenendum est illo loco Sallustium tantummodo *mutatum morum statum* describere pecuniae atque deinde imperii cupidine ortum; hoc loco id agere, ut *gradu* ea vitia diversa fuisse ostendat; nam licet avaritia prius invaderet, quam ambitio, tamen ambitionis vis initio gravius exarsit, quam avaritiae, quae prius quidem orta tamen lentius invalescebat et paulatim demum aucta est.

propius] Adverbium est; cf. Liv. XXX, 12, 17. *Propius blanditias oratio erat.*

2. *bonus ignavus*] Sine copulativa particula haec dicta sunt, quae haud raro omittitur, ubi duae res contrariae, quae quasi par quoddam efficiunt, iuxta collocantur; cf. Ing. 51, 1. *Arma tela, equi viri, hostes atque cives permixti.* 97, 5. *Equites pedites permixti.* Cic. Tusc. V, 39, 114. *Democritus luminibus amissis alba scilicet discernere et atra non poterat; at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat.*

huic quia bonae artes desunt] Attractione *huic* ex secundariae enunciationis verbo aptum est, pro eo, quod est: hic, quia *ei — desunt*, contendit; cf. Cat. 52, 34. *Quibus si quicquam unquam pensi fuisset, non ea consilia habuissent*, = *qui*, si *iis — fuisset*, non — *habuissent.*

3. *studium habet*] i. e. coniuncta est cum studio; cf. Cic. in Catil. IV, 4, 7. *Habere videtur ista res iniquitatem.* Id. Epp. ad Famm. X, 28, 1. *Ut vestrum beneficium nonnullam habeat querelam.*

concupivit] Non est aoristus, quo significetur rem fieri solere; sed ea est perfecti in generali sententia vis, ut rei veritas ad praesens iudicium revocetur, quae relatio ad praesens tempus facile sentitur, si reputes sententiae subesse *ut constat*, vel simile quid; cf. Cat. 10, 4. *edocuit;* ib. §. 5. *subegit;* 51, 2. *paruit;* ib. §. 11. *habuere;* 58, 15. *mutavit;* Ing. 17, 6. *interiere;* 42, 4. *pessumdedit;* 85, 49. *optavit.*

malis] Ex antiquiorum scriptorum usu hoc additum, quia tum *venenum* etiam de *medicamine* dicebatur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

4 neque inopia minuitur. Sed postquam L. Sulla, armis recepta republica, bonis initiis malos eventus habuit, rapere omnes, trahere, domum alius, alius agros cupere, neque modum neque modestiam 5 victores habere, foeda crudeliaque in civibus facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat, loca amoena, voluptaria facile in otio ferocis mi- 6 litum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim et publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque 7 omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt,

virilem] Hoc noli etiam ad *corpus* referre, quasi a *muliebri* corpore distinguatur *virile*.

neque copia neque inopia] Ubi contraria negantur, negatur totum. Avaritia igitur quum non magis *copia* minuatur, quod sane exspectes, quam *inopia*, quod nemo exspectat, omnino *nulla re* minuitur. cf. Cat. 15, 4. *Animus impurus neque vigiliis neque quietibus sedari poterat.* Histor. Fr. IV, 20, 17. *Quibus non humana ulla neque divina obstant.*

4. *recepta republica*] i. e. *potitus* rep.

bonis initiis] i. e. quum bona essent initia (germanice *bei guten Anfängen*); cf. Cat. 36, 5. 39, 3. 46, 6.

malos eventus habuit] i. e. ad pessimum publicum vel reipublicae perniciem progressus est. Rem illustrat Vell. II, 25, 3. *Adeo Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut, dum dimicat, iustissimo lenior* (bona initia), *post victoriam audito fuerit crudelior* (mali eventus).

rapere etc.] De proscriptionum foeditate haec dicta esse per se patet. Ad dictionem cf. Iug. 41, 5.

neque modum neque modestiam] *Modus* obiective fines significat, quibus rectum atque honestum continetur; *modestia* subiective de iis dicitur, qui modi sensum habent eiusque servandi memores sunt; cf. Cat. 38, 4. Iug. 41, 9. 44, 1.

in civibus] i. e. respectu civium, vel: si res iis cum civibus erat; cf. Cat. 52, 12. *Sint misericordes in furibus aerari*, i. e. quum agitur de furibus. Iug. 73, 4.

5. *ductaverat*] Frequentativis saepius utens pro simplicibus Sall. *ductare* dicit pro *ducere*; cf. Cat. 17, 7. 19, 3. Iug. 70, 2.

luxuriose — habuerat] v. ad c. 5, 9. Iug. 44, 1. 64, 5. — *Nimis liberaliter habere* est *nimis multa indulgere.*

ferocis] i. e. bellicosos, ad res asperas et labores perferendos paratos, duros; cf. Liv. XXXVIII, 13, 11. *Feroces ad bellandum viros.*

loca — molliverant] Haec quoque ex *quod* pendent.

6. *signa*] Intelligenda sunt opera varii generis sculptilia ex aere, marmore, ligno, ebore.

vasa caelata] Ita dicuntur, in quibus insculptae sunt figurae.

privatim et publice] Illud pertinet ad *homines privatos*, quibus milites res pretiosas eripiebant, hoc ad *ipsas urbes atque civitates*, ex quibus publica ornamenta abducebantur. *Privatim* enim quum proprie sit *respectu privatorum*, *publice* vero *respectu reipublicae*, haec adverbia saepe ita ponuntur, ut substantivorum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

nihil reliqui victis fecere. Quippe secundae res sapientium animos 8
fatigant; nedum illi corruptis moribus victoriae temperarent.

XII. Postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci coepit. Igitur ex divitiis 2
iuventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere; rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere. Operae pretium est, quum domos atque villas cognoveris 3
in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri maiores, religiosissumi mortales, fecere. Verum illi delubra deo- 4
rum pietate, domos suas gloria decorabant, neque victis quicquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. At hi contra ignavissumi 5
homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortis-

notio, quae in iis est, praeemineat; cf. Hist. Fr. I, 56, 17. *Pecuniae publice et privatim extortae*, i. e. et reipublicae et privatis. Cic. in Verr. I, 6, 16. *Nemini meus adventus labori aut sumptui neque publice neque privatim fuit.*

7. *reliqui — fecere*] *Reliqui* quum non sit *nihil* obiecti, sed *fecere* praedicati attributum, vis formulae est: *facere, ut nihil sit ex reliquo*, quod sensu non differt ab eo, quod est *nihil facere reliquum*; cf. Cat. 28, 4.

fatigant] i. e. quasi debilitant, ut fortunae illecebris minus resistant.

victoriae temperarent] i. e. victoria temperate uterentur; cf. Tacit. Hist. III, 31, 4. *Illos esse, qui nuper Bedriaci victoriae temperassent.*

XII. 1. *paupertas*] Germanice est *Beschränktheit*, non confundenda cum *egestate*; cf. Seneca Ep. 87, extr. *Paupertas est, non quae pauca possidet, sed quae multa non possidet.*

innocentia] i. e. abstinentia a bonis aliorum, avaritiae opposita; cf. Cat. 54, 5. *Cato cum innocente abstinentia certabat.* Iug. 46, 1. 85, 18.

pro malevolentia duci] i. e. malevolum in potentes avaros animum prodere videbatur, siquidem necesse erat, horum morem innocentibus valde improbari.

2. *ex divitiis*] *Ex* caussam designat, non proximam, quae ablativo continetur, sed ita comparatam, ut progressu temporis aliquid ea efficiatur et quasi ex ea prodeat (germanice *in Folge*); cf. Cat. 14, 6. 35, 2. 39, 2. 47, 2. 49, 2. 57, 2. Iug. 7, 5. 32, 5. 39, 2. 48, 2. 76, 1.

pudorem, pudicitiam] *Pudor* animi est, quippe peccandi verecundia, *pudicitia* corporis; cf. Cic. in Catil. II, 11, 25. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia; hinc pudicitia, illinc stuprum.*

divina atque humana] i. e. omnia omnino iura atque instituta; cf. Iug. 5, 2. 31, 9. ib. §. 20. Hist. Fr. I, 49, 11. I, 56, 10. IV, 20, 17.

promiscua] sc. *habere*, i. e. vilia, pariter nihili habere.

nihil pensi] v. ad Cat. 5, 6.

5. *At*] Peculiaris est huius particulae usus, ubi ad rem vel personam priori plane contrariam transitur, quam vim auget *contra* interdum additum; cf. Iug. 4, 7. 15, 3. 36, 2. Hist. Fr. II, 50, 2.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

sumi viri victores hostibus reliquerant: proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti.

XIII. Nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt, a privatis compluribus subvorsos montis, maria 2 constructa esse. Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae; quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem pro- 3 perabant. Sed lubido stupri, ganeae ceterique cultus non minor incesserat; viri muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi caussa terra marique omnia exquirere; dormire prius quam somni cupido esset, non famem aut sitim, neque frigus 4 neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incende- 5 bant; animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui atque sumptui deditus erat.

fortissumi viri etc.] Accurate sibi respondent *ignavissumi homines* et *fortissumi viri*, *per summum scelus* et *victores* (i. e. quum victorum *iure* uti possent), *sociis* et *hostibus*, i. e. iisdem hominibus, qui, antequam socii fierent, hostes fuerant.

XIII. 1. *maria constructa*] sc. molibus iniectis, quibus aedificia superstruerentur. Eandem rem Sallustius tangit infra c. 20, 11. *Quas (divitias) profundant in exstruendo mari.* Grammatica verborum ratio talis, qualis apud Cic. de Fin. II, 34, 112. *Quum Xerxes — mare ambulavisset, terram navigasset;* quod ut significat *in mari ambulare* etc., ita *mare construere* est *in mari aedificia construere* (germanice: *das Meer bewandern, bebauen, das Land beschiffen*). De re ipsa cf. Vell. II, 33, 4. *Lucullum ob iniectas molis mari et receptum suffossis montibus in terras mare haud infacete Magnus Pompeius Xerxen togatum vocare assueverat.*

2. *abuti*] sc. iis; cf. Cic. Philipp. I, 15, 38. *Quae potestas si mihi saepius — fiet, utar.* Iug. 54, 1. 110, 4.

3. *cultus*] i. e. vitae delicatae ac luxuriosae. Ceterum singula sequentibus accuratius illustrantur.

in propatulo] Adiectivi potestate est: cuicumque patentem, pudore non septam; cf. Cat. 41, 1. *in incerto;* 51, 12. *in obscuro, in excelso.*

terra marique omnia exquirere] cf. Histor. Fr. II, 29, 4. *Epulae quaesitissumae, neque per omnem modo provinciam, sed trans maria et Mauretaniam volucrum et ferarum incognita antea plura genera.*

luxu] i. e. repertis per luxum artificiis, quod peregrino vocabulo dicitur *Raffinement.* — *Famem ac sitim antecapiebant* vomendo; cf. Seneca consol. ad Helv. 9. *Vomunt ut edant, edunt ut vomant.* — *Frigus* captabant vel in porticibus umbrosis, vel in hypogaeis, vel flabellis, quibus servi ventulos facerent.

5. *animus — carebat*] Caussam haec continent praecedentium.

lubidinibus carebat] i. e. cupidinibus liber erat.

eo profusius] Haec referuntur ad talem fere sententiam, e praecedentibus eliciendam: *quo magis igitur lubidinibus ardebat;* cf. ad c. 1, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

XIV. In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillumum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se tamquam stipatorum catervas habebat. Nam quicumque impudicus, 2
adulter, ganeo manu, ventre, pene bona patria laceraverat, quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret, praeterea omnes undique parricidae, sacrilegi, convicti iudi- 3
ciis aut pro factis iudicium timentes, ad hoc quos manus atque lingua periurio aut sanguine civili alebat, postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, ii Catilinae proxumi familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa vacuus in amici- 4
tiam eius inciderat, quotidiano usu atque illecebris facile par similisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adulescentium familiarita- 5
tes appetebat; eorum animi molles et aetate fluxi dolis haud diffi-

XIV. 1. *flagitiorum atque facinorum*] i. e. hominum flagitiosorum atque facinorosorum, quemadmodum *scelus* frequenter dicitur pro *scelesto*. — *Flagitium* est factum, quod cum dedecore et turpitudine admittitur; *facinus*, malo sensu, quod temeritatis, iniuriae, audaciae magnitudine insigne est; cf. Cat. 23, 1. 37, 5.

2. *impudicus* etc.] De his Catilinae sociis cf. Cic. in Cat. II, 10, 23. *In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri impudicique versantur.*

manu] i. e. alea. — Ceterum per chiasmum *manu*, *ventre* refertur ad *ganeo*, ad *impudicus*, *adulter* spectat *pene*; v. ad 2, 5.

flagitium aut facinus] Haec ita coniunguntur cum *redimeret* verbo, ut mala, adversus eventus, poenae, ex flagitiis aut facinoribus timenda, intelligenda sint. Igitur redimebant illi se pecunia, ne vel accusarentur, vel accusati ne damnarentur.

3. *undique*] Adverbium hoc ita ad *omnes* refertur, ut quasi enunciationis attributivae instar sit: *qui undique confluebant.*

parricidae] Latiore sensu hoc vocabulo significantur, qui fidem atque pietatem nefarie violant; cf. Cat. 31, 8. 51, 25. 52, 31. Histor. Fr. II, 50, 3.

periurio aut sanguine] De verborum ordine v. ad Cat. 2, 5. — *Periurio* est *falsis testimoniis dicendis*; cf. c. 16, 2.

postremo] i. e. omnino, ne multa, ut paucis complectar; cf. §. 6. 20, 12. 23, 3. 37, 5. Iug. 2, 3. 31, 12. 92, 2.

conscius animus] Praegnanti sensu *conscius* et *conscientia* de *mala conscientia* dicitur; cf. Cat. 15, 4. Iug. 32, 5. 35, 4. 40, 2.

4. *par similisque*] Non unus idemque *par similisque* dicitur, sed varius nequitiae gradus *in pluribus* significatur. Nam quum verba *si quis inciderat* idem valeant atque *quicunque inciderant*, hi *pares similesque*, i. e. pro cuiusque natura alii pares, alii similes effecti esse putandi sunt.

5. *familiaritates*] De plurali abstractorum usu tum in re repetita tum in pluribus facta cf. Cat. 47, 3. 50, 1. Iug. 40, 1. 41, 7. 44, 5. 85, 9.

6. *ex aetate*] v. ad c. 12, 2.

modestiae] Modestiae suae non parcit, qui omni pudore abiecto tur-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

6 culter capiebantur. Nam uti cuiusque studium ex aetate flagrabat, aliis scorta praebere, aliis canes atque equos mercari, postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios 7 fidosque sibi faceret. Scio fuisse nonnullos, qui ita existumarent, iuventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat.

XV. Iam primum adulescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae, alia huiusce- 2 modi contra ius fasque. Postremo captus amore Aureliae Orestillae, cuius praeter formam nihil umquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate, pro certo 3 creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quae

pissimas res facere non verecundatur; cf. Cat. 52, 32. *Si pudicitiae, si famae suae pepercit.*

7. *frequentabat*] Indicativus in oratione obliqua inde repetendus, quod auctor rem, quae ad aliorum quidem orationem illustrandam pertinet, sed tamen per se constat neque ex eorum mente pendet, ipse enunciat; cf. Cat. 22, 3. *quae postea orta est*; 27, 4. *quam — paraverat;* 30, 6. *quae — facta erat;* 51, 32. *qui — exagitaverant;* Iug. 16, 2. 54, 1. 63, 1. 106, 3.

parum honeste pudicitiam habuisse] i. e. impudicos sive pathicos fuisse; cf. Cat. 13, 3. 14, 2. De *habere* verbo v. ad c. 5, 9.

quod — foret] *Quod* particula quia negatam, non veram caussam infert, coniunctivum regit; quippe sententia haec est: *non quod cuiquam id compertum foret, sed quia aliae res suspicionem praebebant, haec fama valebat.* cf. Liv. II, 1, 7. *Libertatis originem inde magis, quia annuum imperium consulare factum est, quam quod deminutum quicquam sit ex regia potestate, numeres.*

compertum] *Compertum* dicitur, quod certis argumentis cognitum est certoque constat; cf. Cat. 22, 4. 29, 1. Iug. 17, 2.

XV. 1. *iam primum*] v. ad Cat. 7, 4.

cum sacerdote Vestae] Ea fuit Fabia, Terentiae Ciceronis soror. Absolutam fuisse (Catulo imprimis annitente, cf. infra ad c. 35, 1.) tradit Asconius ad Cic. in toga cand. p. 93. Orell. Rem factam esse a. 73. a. Chr. n. patet ex Cic. in Cat. III, 4, 9.

2. *Orestillae*] v. ad Cat. 35, 3.

adulta aetate] Quemadmodum *adultum ver* dicitur, quod iam aliquantum ultra initium processit (cf. Hist. Fr. Inc. 76.), ita *adulta aetate* est is, qui pueritiam egressus flore aetatis gaudet; cf. Cic. in Verr. III, 68, 160. Similiter dicitur *senecta aetas* Hist. Fr. Inc. 82.

pro certo creditur — fecisse] Verba *pro certo* quoniam praedicati pars sunt, nullo pacto dici aut construi potest *Catilina captus pro certo creditur — fecisse.* Anacoluthiam ita admisit Sallustius, ut, quum orationem talem ordiretur, quae nominativo cum infinitivo constaret, deinde, propter interposita subiecti oblitus, in accusativum c. infin. transiret, ex *creditur* ver-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quidem res mihi in primis videtur caussa fuisse facinoris maturandi. Namque animus impurus, dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus sedari poterat; ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur colos exsanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie voltuque vecordia inerat.

XVI. Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testis signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula vilia habere, post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, maiora alia imperabat; si caussa peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontis sicuti sontis circumvenire, iugulare; scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptabant, opprimundae reipublicae consilium cepit.

bo impersonaliter posito pendentem. Aliqua ex parte similis structura est Iug. 85, 2.

4. *infestus*] i. e. in deos hominesque ira et quasi furore incitatus; cf. Cic. Philipp. II, 26, 64. *Diis hominibusque hostis.* Similis sententia de Lentulo, Cat. 52, 32. *Si dis aut hominibus unquam ullis pepercit.*

neque vigiliis neque quietibus] De sententiae ratione v. ad c. 11, 3.; de plurali v. ad 14, 5.

conscientia] v. ad Cat. 14, 2.

vastabat] i. e. turbabat ac sanitate privabat, quasi vesanum reddebat; omnino enim *vastari* dicuntur, quae male habita corrumpuntur ac paene delentur; cf. Iug. 41, 9. *Avaritia — polluere et vastare omnia.* 31, 16.

5. *prorsus*] i. e. ut paucis complectar, quo sensu etiam dicitur *postremo;* cf. Cat. 23, 2. 25, 5. Iug. 30, 3. 66, 1. 76, 4.

XVI. 1. *ex illis*] Per synesin refertur ad *iuventutem;* v. ad Cat. 7, 4. coll 17, 7. Iug. 28, 2. 95, 1.

signatores] i. e. qui testamento scribendo atque obsignando assunt. Iidem sunt, quos Cicero in Cat. II, 4, 7. *testamentorum subiectores* vocat.

commodare] i. e. praebere, sc. iis, qui eorum opera uti vellent.

3. *circumvenire, iugulare*] i. e. circumveniebat, iugulabat, sc. per eos, quos ad scelera patranda instituebat.

gratuito] i. e. sine fructu et emolumento.

4. *Sullani milites*] Veterani, proscriptorum bonis ditati; cf. Cat. 37, 6. 28, 4. De iis Cic. in Cat. II, 9, 20. *Dum aedificant tanquam beati, dum praediis latis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum aes alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sulla sit iis ab inferis excitandus.*

5. *in extremis terris*] In Ponto, Armenia, ac deinde in Albania et Iberia ad Caucasi montes Mithridatici belli reliquias conficiens.

petenti magna spes] i. e. si peteret, magna spes erat eius obtinendi.

XVII. 1. *L. Caesare et C. Figulo*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

5 In Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi consulatum petenti magna spes; senatus nihil sane intentus; tutae tranquillaeque res omnes; sed ea prorsus opportuna Catilinae.

XVII. Igitur circiter Kalendas Iunias, L. Caesare et C. Figulo consulibus, primo singulos appellare; hortari alios, alios tentare; opes suas, imparatam rempublicam, magna praemia coniura-
2 tionis docere. Ubi satis explorata sunt, quae voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo et plurumum audaciae
3 inerat. Eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servi filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Be-
4 stia, Q. Curius; praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius; ad hoc multi ex
5 coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paulo occultius consili huiusce participes nobiles, quos magis do-

coss.] Anno 64. a. Chr. n., 690. u. c.

appellare] i. e. oratione adire; cf. Cat. 20, 1. 52, 5. 59, 5. Iug. 106, 1.

2. *necessitudo*] Hoc vocabulo, quo arta familiaritatis atque affinitatis coniunctio significatur, Sallustius plerumque utitur eo sensu, quem vulgo habet *necessitas*, i. e. acriter urgens rerum iniquarum ac molestarum vis; cf. §. 5. 21, 3. 33, 5. 58, 11. et §. 19.

inerat] Per zeugma hoc verbum, quod tantummodo *audaciae* convenit, etiam ad *necessitudo* refertur; v. ad Iug. 14, 4.

3. *P. Lentulus Sura*] Consul factus a. 71. a. Chr. n. (683. u. c.) ac postea senatu motus anno 63. a. Chr. iterum praeturam gessit; cf. Cat. 46, 5. 55, 6. Tardi ingenii atque ignavus fuit; cf. infra c. 58, 4. Cic. in Cat. III, 7, 16. Formae dignitatem in eo magnam fuisse testatur Cic. in Bruto 66, 235.

P. Autronius] v. Cat. 18, 5. Hominem nequissimum fuisse cognoscitur ex Cic. p. Sulla c. 2. 5. 18. 19. 25.

L. Cassius Longinus] Homo iners et nullius consilii praetor fuit a. 66. a. Chr. n. (688. u. c.) et Ciceronis in consulatu competitor. Obesitatem eius ridet Cic. in Cat. III, 7, 16.

C. Cethegus] v. Cat. 43. Furiosam ei tribuit temeritatem Cicero in Cat. III, 7, 16.

P. et Servius Sullae] Filii fuere Servii Sullae, dictatoris fratris. Publium a L. Torquato de coniuratione accusatum Cicero defendit, quae oratio adhuc exstat.

L. Vargunteius] v. Cat. 28, 1.

M. Porcius Laeca] v. Cat. 27, 4.

L. Bestia] Tribunus plebis fuit a. 63. a. Chr. n. Cat. 43, 1.

Q. Curius] v. Cat. 23.

L. Statilius, P. Gabinius Capito] v. Cat. 43, 2. 44, 1. 46, 2.

C. Cornelius] v. Cat. 28, 1.

5. *complures*] Sine comparatione dictum valet *nonnulli, aliquot*; cf. Cat. 13, 1. 19, 2. 23, 4. 42, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

minationis spes hortabatur quam inopia aut aliqua necessitudo. Ce- 6
terum iuventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinae inceptis
fauebat; quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat,
incerta pro certis, bellum quam pacem malebant. Fuere item ea 7
tempestate, qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum eius
consili fuisse; quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum
ductabat, cuiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere, simul
confisum, si coniuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

XVIII. Sed antea item coniuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina fuit; de qua re, quam verissume potero, 2
dicam. L. Tullo, M'. Lepido consulibus, P. Autronius et P. Sulla,
designati consules, legibus ambitus interrogati, poenas dederant.
Post paulo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat 3
consulatum petere, quod intra legitumos dies profiteri nequiverat.
Erat eodem tempore Cn. Piso, adulescens nobilis, summae audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia 4
atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius cir- 5
citer Nonas Decembris consilio communicato parabant in Capitolio

6. *quibus*] Relativa haec sententia non de iuventute in universum, sed de nobilibus valet.

vivere copia erat] v. ad Cat. 4, 1.

valuisset] i. e. vires nacta eventum habuisset.

apud illos] Per synesin refertur ad *coniuratio*; v. ad Cat. 7, 5. 16, 1.

XVIII. 2. *L. Tullo, M'. Lepido coss.*] Consules fuerunt a. 66. a. Chr. n., 688 u. c.

P. Sulla] v. ad Cat. 17, 3.

legibus ambitus] De ambitu plures fuere leges, omnium tamen gravissima et severissima Calpurnia, lata a. 67. a. Chr. n.

poenas dederant] Consulatum adire prohibiti; id factum extremo anno 66.

3. *pecuniarum repetundarum*] Propraetor enim Africae provinciae, quam a. 67. a. Chr. n. obtinuit, contra ius fasque pecunias ab provincialibus ceperat.

prohibitus erat consulatum petere] Quum iam ante eius reditum ex Africa (a. 66. a. Chr.) legati de eius avaritia questi essent, senatus censuerat ei consulatum petendi potestatem non esse faciendam.

quod — nequiverat] Legitimum profitendi tempus erat trinundinum ante comitia. — Catilina quum aestate anni 65. a P. Clodio esset accusatus, eaque res ei obstaret, quominus hoc anno nomen profiteretur ad consulatum sequentis anni obtinendum, dubitari nequit, quin Sallustius haec, quae ad annum 65. pertinent, errore quodam ad annum 66. retulerit.

5. *Kalendis Ianuariis*] Eo die novi consules magistratum inibant votis in Capitolio factis.

duas Hispanias] i. e. citeriorem et ulteriorem, sive Tarraconensem et Baeticam.

6. *rursus — transtulerant*] *Rursus* quum repetitionem actionis designet,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Kalendis Ianuariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere, ipsi fascibus correptis Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas 6 Hispanias mittere. Ea re cognita, rursus in Nonas Februarias con- 7 silium caedis transtulerant. Iam tum non consulibus modo, sed ple- 8 risque senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res consilium diremit.

XIX. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est, annitente Crasso, quod eum infestum inimicum Cn. 2 Pompeio cognoverat. Neque tamen senatus provinciam invitus dederat; quippe foedum hominem a republica procul esse volebat; simul quia boni complures praesidium in eo putabant, et iam tum 3 potentia Pompei formidolosa erat. Sed is Piso in provincia ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus 4 est. Sunt qui ita dicunt, imperia eius iniusta, superba, crudelia 5 barbaros nequivisse pati; alii autem equites illos, Cn. Pompei veteres fidosque clientis, voluntate eius Pisonem aggressos; numquam

per pleonasmum eodem modo *transtulerant* verbo additum, quo dicitur *rursum redire*, *prius praecipere*, *ante praeoccupare*, similia.

7. *non — modo, sed*] Post *non modo, non tantum, non solum* ponitur *sed* simpliciter sine *etiam*, ubi alterum membrum non aequa vi cum priore coniungitur, sed latius patet et prae illo eminet; cf. Cat. 37, 1. 39, 6.

8. *maturasset — dare*] i. e. maturius vel properantius dedisset.

diremit] i. e. solvit atque irritum reddidit.

XIX. 1. *quaestor pro praetore*] Quum in provinciam, cui proconsul aut propraetor praeesse solebat, solus quaestor mittebatur, is vocabatur *quaestor pro praetore*, i. e. cum iure praetorio.

infestum] i. e. acerrimum.

2. *tamen*] Sententiarum nexus hic est: *quamquam* praeter exspectationem accidit, ut Piso, qui coniurationis particeps fuerat, provinciam acciperet, *tamen* eam senatus non invitus dederat; cf. Cat. 39, 5. Iug. 54, 2.

boni] Intelligendi sunt *optimates*, vetera iura atque instituta tueri cupientes; cf. Cat. 33, 2.

3. *iter faciens*] i. e. in itinere.

4. *dicunt*] Indicativo usus est Sallustius, ut significaret certos homines, eius famae auctores, suo animo obversari. Quum ad sequentia *alii autem* supplendum sit *dicunt*, clarissimo id documento est, eundem modum praecessisse, quia in hac partitione *sunt qui* ex aequo respondet voci *alii*.

5. *clientis*] i. e. gratia et beneficio sibi devinctos; cf. Caes. B. C. II, 18. *Magna esse Pompeii beneficia et magnas clientelas in citeriore provincia sciebat.*

voluntate eius] i. e. eo probante, assentiente, laudante; fuisse enim,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeva multa antea perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore coniuratione satis dictum. 6

XX. Catilina, ubi eos, quos paulo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa saepe egerat, tamen in rem fore credens universos appellare et cohortari, in abditam partem aedium secedit, atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem huiuscemodi habuit:

Ni virtus fidesque vostra spectata mihi forent, nequicquam op- 2
portuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent; neque ego per ignaviam aut vana ingenia incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi 3
fortis fidosque mihi, eo animus ausus est maxumum atque pulcherrumum facinus incipere, simul quia vobis eadem quae mihi bona malaque esse intellexi; nam idem velle atque idem nolle, ea de- 4
mum firma amicitia est. Sed ego quae mente agitavi, omnes iam 5
antea divorsi audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accen- 6

quum in extremis terris tum bellum gereret, vix poterat.

imperia saeva multa] *Imperia* hic non sunt, ut paulo ante §. 4., *iussa*, sed *provinciae administrationes*; quare sensus est: *multorum saeva imperia*, i. e. multos, qui saevum imperium gererent.

XX. 1. *in rem*] i. e. *utile*. Simili sensu Iug. 31, 5. *ob rem* dicitur.

2. *spectata — forent*] De neutro plurali praedicati ad plura substantiva feminina relati cf. Iug. 38, 8. 52, 4. 68, 1.

opportuna] Non ad praedicatum pertinet haec vox, sed cum subiecto coniungenda est. *Cecidisset* autem absolute positum pro *incidisset* vel *evenisset*.

in manibus] Haec attributi potestate, quod *magna* adiectivo respondet, ad *dominatio* pertinent; utriusque substantivi praedicatum est *frustra fuissent*; cf. Iug. 7, 6. *Cuius neque consilium neque inceptum ullum frustra erat*. ib. 61, 1. 71, 5. 73, 7. 85, 6.

per ignaviam] Haec non habent adverbii vim, sed *ignavia* significat *homines ignavos*, quemadmodum *iniuria* dicitur de iis, *qui iniuriam faciunt* (Hist. Fr. III, 81, 20.), *fraus* pro *fraudulentis* (Liv. XXVIII, 42, 7.), *vetustas* pro *hominibus veteribus* (Hist. Fr. III, 64.). Socios Catilinam intelligere in promptu est; quare verbis *virtus fidesque vostra* opponuntur *homines ignavi aut vani ingenii*, eodemque spectant sequentia *vos cognovi fortis fidosque mihi*.

3. *multis et magnis*] *Multus* adiectivum Latini alteri adiectivo per *et* adiungunt, Germani particulam omittunt; cf. Cat. 51, 35. Iug. 5, 4. 28, 5. 32, 2. 62, 9. 78, 5. 102, 10.

magnis tempestatibus] i. e. magnis periculis et rerum adversarum procellis.

incipere] i. e. aggredi.

4. *ea demum*] v. ad Cat. 7, 6.

5. *quae — agitavi*] Pronomen non

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ditur, quum considero, quae condicio vitae futura sit, nisi nosmet
7 ipsi vindicamus in libertatem. Nam postquam respublica in paucorum potentium ius atque dicionem concessit, semper illis reges, tetrarchae vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, volgus fuimus sine gratia, sine auctoritate, iis obnoxii, quibus, si respublica va-
8 leret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt, aut ubi illi volunt; nobis reliquere peri-
9 cula, repulsas, iudicia, egestatem. Quae quousque tandem patiemini, fortissumi viri? nonne emori per virtutem praestat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio
10 fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero, pro deum atque hominum fidem! victoria in manu nobis est, viget aetas, animus valet; contra illis annis atque divitiis omnia consenuerunt. Tantum-
11 modo incepto opus est; cetera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium est, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari et montibus coaequandis,

esse interrogativum, sed relativum, dubitari nequit.

divorsi] h. l. sunt *singuli*, alius alio loco ac tempore; cf. Iug. 46, 4. 50, 5.

6. *nisi nosmet ipsi* etc.] Sensus est: nisi *ipsi* nobis libertatis auctores sumus; *alii* enim nobis nihil proderunt; cf. Iug. 58, 6. *Quam alii in angustiis ipsi sibi properantes officerent.* ib. 18, 7. *Persae — semet ipsi Numidas appellavere.*

7. *paucorum potentium*] Invidiose *pauci potentes* dicuntur, qui tanquam ὀλιγάρχαι in libera civitate dominantur; cf. Iug. 31, 19. Hist. Fr. I, 12.

tetrarchae] Abolita propria potestate ita dicebantur, qui regia quidem erant vi et dignitate, neque tamen a senatu Romano reges appellati erant. Tanquam species quaedam regii generis saepe simul cum regibus nominantur; cf. Hist. Fr. IV, 20, 10. IV, 8.

populi, nationes] v. ad Cat. 10, 1.

nobiles atque ignobiles] Haec *appositionis* vi referuntur ad praecedentia: tam nobiles quam ignobiles.

fuimus] i. e. praegnanti sensu: fuimus usque ad hoc tempus et sumus etiamnum.

8. *apud illos*] i. e. in illorum potestate ac manibus.

ubi] v. ad Cat. 3, 3.

9. *inhonestam*] i. e. inhonoratam atque ingloriam.

10. *Verum enimvero*] v. ad Cat. 2, 9.

consenuerunt] *Senescere* quum translate valeat *debilitari, frangi, minui*, sententia loci est: illi et annis et luxuria atque inertia, ad quae divitiis abusi sunt, prorsus fracti sunt, ac nihil valent.

11. *Etenim* etc.] In concitatiore oratione haec non referuntur ad proxime praegressa, sed ad superiora illa, ubi de nimiis paucorum potentium opibus dixit.

in exstruendo mari] v. ad Cat. 13, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Quum tabulas, signa, toreumata emunt, nova diruunt, alia 12
aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen summa lubidine divitias suas vincere nequeunt. At nobis est 13
domi inopia, foris aes alienum, mala res, spes multo asperior; denique quid reliqui habemus praeter miseram animam? Quin igitur 14
expergiscimini? En illa, illa, quam saepe optastis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt! fortuna omnia ea victoribus praemia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli 15
spolia magnifica magis quam oratio mea vos hortentur. Vel impe- 16
ratore vel milite me utimini; neque animus, neque corpus a vobis aberit. Haec ipsa, ut spero, vobiscum una consul agam, nisi 17
forte me animus fallit, et vos servire magis quam imperare parati estis.

XXI. Postquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla, tametsi illis quieta movere magna merces videbatur, tamen postulavere plerique, uti proponeret, quae condicio belli foret, quae praemia

continuare] i. e. coniungere, contiguas vel exstruere vel emendo parare; cf. Liv. XXXIV, 4, 9. *Quid legem Liciniam excitavit, nisi ingens cupido agros continuandi.*

larem familiarem] *Lares* quum essent dii domestici tutelares, *lar* dicitur de domo ipsa, familiae reique domesticae bene constitutae sede; quare Germanice dicendum *einen eigenen Heerd.*

12. *Quum — emunt*] Temporalis *quum* particulae vis, cui *tamen* subiicitur, ita constat, ut duae res diversae, quas simul fieri posse non credas (*insano modo emere, diruere* etc. et *divitias vincere nequire*), tamen eodem tempore fieri enuncientur; cf. Cic. de Orat. II, 46, 192. *Etiam quum alienissimos defendimus, tamen eos alienos existimare non possumus.*

trahunt, vexant] i. e. tanquam vilissimam rem misere tractant, huc illuc quasi trudunt, disiiciunt.

13. *res, spes*] Frequenter haec a scriptoribus componuntur. *Res* est praesens condicio, *spes* futuri exspectatio. cf. Cat. 21, 1.

denique] Haec particula pariter ac *postremo* (v. ad Cat. 14, 3.) ponitur, ubi breviter et quasi per summam praegressa omnia comprehenduntur; cf. Iug. 15, 2. 39, 2. 43, 3. 79, 7.

16. *neque — aberit*] Per litotem dictum. Germanice reddas: *wird euch zu Diensten stehen.*

17. *una*] i. e. rerum necessitate coniunctus.

nisi forte] His particulis ironice negatur id, quod contra dici possit; cf. Iug. 31, 20. *Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet, et illa quam haec tempora magis placent.* ib. 3, 4.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

2 armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quae bellum atque lubido
3 victorum fert. Praeterea esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consili sui participes; petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem et omnibus necessitudinibus cir-
4 cumventum; cum eo se consulem initium agundi facturum. Ad hoc maledictis increpat omnis bonos, suorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suae, compluris periculi aut ignominiae, multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Postquam omnium animos alacris videt, cohortatus, ut petitionem suam curae haberent, conventum dimisit.

XXII. Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, quum ad iusiurandum popularis sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse;
2 inde quum post exsecrationem omnes degustavissent, sicut in sollemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum, atque eo

XXI. 1. *condicio belli*] *Condicio belli* quid sit, sequentia declarant. Non tria enim quaerunt Catilinae socii, sed duo tantum, quae tanquam partes generali *condicionis* notione continentur. Indefinitam sententiam sic fere reddas: *wie es mit dem Kriege sein würde.*

ubique] i. e. quovis loco vel quavis parte, *ubicunque esset;* cf. Cic. in Verr. IV, 59, 132. *Mystagogi, ut ante demonstrabant, quid ubique esset, ita nunc, quid undique ablatum sit, ostendunt.* Cat. 27, 1. *Alium alio dimisit, quem ubique opportunum credat.* 37, 5. 51, 38. Iug. 52, 5.

2. *tabulas novas*] sc. eo consilio confectas, ut coniuratorum aes alienum vel minueretur vel plane tolleretur.

3. *P. Sittium Nucerinum*] Magno aere alieno pressus primo in Hispaniam, deinde in Africam se contulerat, ibique manu mercenariorum collecta compluribus regulis bella inter se gerentibus opem tulit, fortissimi ducis famam nactus. Postea in bello Caesaris Africano haud exiguae eius partes fuerunt.

C. Antonium] Fuit M. Antonii oratoris filius, Antonii triumviri patruus, Ciceronis in consulatu collega, homo profligatus et morum perditorum.

4. *periculi aut ignominiae*] *Periculum* erat ex imminente accusatione, *ignominia* ex iam facta damnatione.

XXII. 1. *popularis*] i. e. socios; cf. Cat. 24, 1. 52, 14.

2. *inde*] i. e. ex ea potione.

post exsecrationem] Postquam se ipsos omnesque, *qui coniurationem proderent*, exsecraverant diras imprecati.

consilium suum] sc. coniurationis faciundae.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conscii. Nonnulli ficta et haec et multa praeterea existumabant ab iis, 3
qui Ciceronis invidiam, quae postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum, qui poenas dederant. Nobis ea res pro 4
magnitudine parum comperta est.

XXIII. Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas in- 2
erat, quam audacia; neque reticere, quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare, prorsus neque dicere neque facere quicquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri 3
vetus consuetudo; cui quum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montisque polliceri coepit et minari interdum ferro, ni sibi obnoxia foret, postremo ferocius agitare, quam solitus erat. At Fulvia, insolentiae Curi 4
caussa cognita, tale periculum reipublicae haud occultum habuit, sed sublato auctore de Catilinae coniuratione, quae quoque modo audierat, compluribus narravit. Ea res in primis studia homi- 5
num accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Nam- 6

fecisse] Verbum sine obiecto positum non referendum ad *aperuisse cons. s.*, sed ad universam rem de oblato sanguine humano.

alius alii — conscii] i. e. alius alium conscientiae socium habentes; cf. Tacit. Ann. I, 43, 1. *Cecidissem nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius.*

3. *Ciceronis invidiam*] v. ad Cat. 6, 3.

XXIII. 1. *in ea coniuratione*] Non intelligitur *conventus* ille a Catilina habitus, de quo c. 17, 2. 20 et 21. dictum, sed universa conspiratio, hoc libro narrata. Quare sensus est: *in coniuratorum numero.*

flagitiis atque facinoribus] v. ad Cat. 14, 1.

coopertus] Ita dicitur, qui re vel gravi et molesta, vel turpi atque ignominiosa valde premitur; cf. Iug. 14, 11. *coopertum miseriis.* Hist. Fr. Inc. 81. *fenoribus coopertus.*

censores] Haud dubie intelligendi sunt Cn. Lentulus et L. Gellius, qui a. 70. a. Chr. n. censores asperam censuram exercuerunt quattuor et sexaginta senatu motis; cf. Liv. Epit. XCVIII.

probri gratia] i. e. propter probrosam vitam; cf. Cat. 37, 5. Cic. de Legg. III, 3, 7. *Censores probrum in senatu ne relinquunto.*

2. *suamet*] *Met* possessivis annexum eorum vim intendit, quod vernacula efficitur addita voce *eigen:* cf. Iug. 8, 2. 31, 6. 85, 24.

prorsus] v. ad Cat. 15, 5.

quicquam pensi] v. ad Cat. 5, 6.

4. *sublato auctore*] i. e. non nominato auctore, suppresso Curii nomine.

quoque modo] *Quoque* non est *et quo*, ut Iug. 30, 1., sed ablativus *quisque* pronominis, quo varii audiendi modi indefinite significantur. Scilicet Fulvia putanda est, quo me-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

que antea pleraque nobilitas invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novus adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere.

XXIV. Igitur comitiis habitis consules declarantur M. Tullius et C. Antonius. Quod factum primo popularis coniurationis con-
2 cusserat. Neque tamen Catilinae furor minuebatur, sed in dies plura agitare, arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Faesulas ad Manlium quen-
3 dam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. Ea tempestate plurumos cuiusque generis homines ascivisse sibi dicitur, mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis sumptus stupro corporis toleraverant, post, ubi aetas tantummodo quaestui neque luxuriae
4 modum fecerat, aes alienum grande conflaverant. Per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adiungere sibi vel interficere.

XXV. Sed in his erat Sempronia, quae multa saepe virilis
2 audaciae facinora commiserat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro, liberis satis fortunata fuit; literis Graecis et Latinis

lius Curii indicium tegeret, etiam multis aliis viis de coniuratione cognoscere studuisse, et, quae ita audierat, simul cum iis, quae Curio deberet, compluribus narrasse.

6. *credebant*] De synesi v. ad Cat. 16, 1.

quamvis egregius] Adiectivis adverbiisque addita *quamvis* particula superlativi vim tribuit, ita tamen, ut, qui summus rei modus cogitandus sit, alterius iudicio relinquatur.

post fuere] i. e. minus valuere, posthabita sunt.

XXIV. 1. *consules declarantur*] In annum 63. a. Chr. n., 691. u. c.

concusserat] Plusquamperfecto usus est Sall., quia tacite hoc factum retulit ad rem insecutam et quodammodo cum illo cohaerentem. Talis enim sententiarum nexus animo eius obversabatur: quod factum *quamquam — concusserat, tamen* Catilinae furor non *minuebatur*. cf. Cat. 18, 6. 36, 5. 50, 4. 56, 2. Iug. 57, 6. 64, 4.

2. *parare*] i. e. vel coëmere vel fabricari.

princeps fuit] i. e. initium fecit belli, primus bellum sumpsit; cf. Hist. Fr. III, 64. *Curetes principes intellegendi divina fuerunt.* Cic. Philipp. V, 16, 44.

3. *ingentis sumptus — toleraverant*] i. e. tantos sumptus, quibus eas vix pares crederes, tamen sustinuerant; cf. Cat. 52, 9.

quaestui — modum fecerat] i. e. quaestum *minuerat.*

4. *viros*] i. e. maritos; cf. c. 25, 2.

XXV. 2. *viro*] Nupserat D. Iunio Bruto, homini honesto litterisque exculto, qui a. 77. a. Chr. consul fuit; cf. Cic. Brut. 47, 175.

liberis] In iis fuit D. Brutus, unus e Caesaris percussoribus.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

docta, psallere, saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. Sed ei cariora semper omnia 3
quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres; lubidine sic accensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. Sed ea saepe antehac fidem prodiderat, 4
creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium eius haud absurdum; posse 5
versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

XXVI. His rebus comparatis Catilina nihilo minus in proxumum annum consulatum petebat, sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. Neque interea quietus erat, 2
sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant. Namque a principio consula- 3
tus sui multa pollicendo per Fulviam effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet. Ad hoc 4

docta] Ita variatur huius verbi constructio, ut primo cum ablativo societur, deinde accusativos ex se pendentes habeat; nam infinitivi *psallere*, *saltare* et ipsi accusativi sunt. Caussa ablativi haec est, quod *litteras doceri* ii dicuntur, qui litteratura, i. e. litteras pingendi legendique arte, instituuntur; at *litteris doctam esse* significat ingenii monumenta doctissimorum hominum accurate cognita habere; cf. Cic. Brut. 45, 168. 46, 169. 47, 175.

probae] i. e. pudicae, modestae, verecundae.

3. *fuit*] Attractione verbum, quod cum subiecto, comparatione illustrato, congruere debebat, ad rem, quae comparationi inservit, refertur; cf. Iug. 50, 6. *Sin opportunior fugae collis quam campi fuerant.* 74, 3. *Numidas in omnibus proeliis magis pedes quam arma tuta sunt.*

accensa] Nominativus est; cf. Iug. 20, 1. *Pollicitationibus accensus.* Hist. Fr. III, 54. *Accensum praemiorum spe.*

praeceps abierat] i. e. ad summam turpitudinem et flagitium, unde emergere non posset, raptata et pessumdata fuerat. Germanice: *sie war tief herab gesunken.*

5. *haud absurdum*] v. ad Cat. 3, 1.

iocum movere] i. e. et ipsa ioco uti, et alios ad iocandum invitare.

molli] i. e. iucunditatis ac tenerrimi affectus pleno.

procaci] i. e. effusae impudentiae et petulantiae; cf. Cic. p. Coel. 20, 49. *Si ita se geret, ut non solum meretrix, sed etiam procax videatur.*

XXVI. 1. *His rebus comparatis*] Haec spectant ad ea, quae c. 24, 2. leguntur.

nihilo minus etc.] Sententiarum nexus hic est: quamquam has res (arma, pecuniam, socios) comparaverat, *quae ad vim et bellum spectabant*, nihilo minus etiam consulatum petebat, quo, si designatus foret, in Antonii familiaritate magnum praeterea haberet consilii exsequendi adiumentum.

in proxumum annum] i. e. in a. 62. a. Chr. n.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret; circum se praesidia amicorum atque clien-
5 tium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinae neque petitio neque insidiae, quas consuli in Campo fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam, quae occulte tentaverat, aspera foedaque evenerant.

XXVII. Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit; praeterea alium alio, quem ubique oppor-
2 tunum sibi fore credebat. Interea Romae multa simul moliri, consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere, ipse cum telo esse, item alios iubere, hortari, uti semper intenti paratique essent, dies noctisque festinare, vigilare,
3 neque insomniis neque labore fatigari. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes con-

2. *interea*] i. e. donec comitiorum tempus adveniret.

dolus aut astutiae] *Dolus* magis machinando et struendo, *astutia* dissimulando et celando constat.

4. *pactione provinciae*] Provinciae consulares quum a senatu Gallia et Macedonia essent constitutae, Antonio Gallia, Macedonia Ciceroni sorte obvenerat. Sed is collegae suam provinciam concessit, quod ea multo ditior maioris emolumenti spem praeberet; cf. Cic. in Pis. 2, 5.

5. *dies comitiorum*] Ea primo constituta in a. d. XI. Kal. Novembres anni 63. a. Chr. n., sed Cicerone auctore dilata (v. ad c. 29, 1.), habita sunt a. d. V. Kal. Nov.

petitio] Consules enim creati sunt D. Iunius Silanus et L. Licinius Murena.

insidiae] cf. Cic. p. Mur. 26, 52. *Quod homines iam tum coniuratos cum gladiis in campum deduci a Catilina sciebam, descendi in campum cum firmissimo praesidio fortissimorum virorum et cum illa lata insigniqne lorica* etc.

aspera foedaque] i. e. ita evenerant, ut aspera foedaque essent; cf. Iug. 63, 1.

XXVII. 1. *C. Manlium Faesulas*] Fuerat is iam anno ante (64. a. Chr. n.) Faesulis, ut patet ex c. 24, 2. Sed Romam eum cum turba sua vocaverat Catilina, ad petitionem suam iuvandam; v. Cic. p. Mur. 24, 49. Quae res ubi frustra fuerat, rursus eum Faesulas remisit.

in eam partem Etruriae] sc. ubi Faesulae sitae erant; cf. Cat. 30, 3.

quem ubique] v. ad Cat. 21, 1.

2. *item alios iubere*] *Item* particula, quae plerumque paribus sententiis verbisque nectendis adhibetur, breviloquentia ad praecedentia enunciati praedicatum refertur. Sententia est: *pariter ut cum telo essent*, aliis imperabat. cf. Iug. 100, 4.

3. *intempesta nocte*] i. e. multa, provecta nocte; cf. Cat. 32, 2. Iug. 38, 4. Ea fuit, quae teste Cicerone p. Sulla 18, 52. *consecuta est poste-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

vocat per M. Porcium Laecam, ibique multa de ignavia eorum 4
questus, docet, se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat, item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset; eum suis consiliis multum officere.

XXVIII. Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius senator, constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem ac de improviso domi suae imparatum confodere. Curius ubi intellegit, quantum pericu- 2
lum consuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enuntiat. Ita illi ianua prohibiti tantum facinus frustra 3
susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate 4
simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat, praeterea latrones cuiusque generis, quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

rum diem nonarum Novembrium, i. e. inter a. d. VIII. et VII. Id. Nov. Non accurate igitur Sall. rem hic refert, quae ante ipsum Catilinae ex urbe discessum facta est.

4. *ibique*] i. e. in eo conventu. Eum fuisse in ipsa Laecae domo, quum coniicitur ex ipsis Sallustii verbis, tum testatur Cicero p. Sulla 18, 52. et in Cat. I, 4, 8.

quam — paraverat] v. ad Cat. 14, 7.

XXVIII. 1. *paulo post*] i. e. primo mane. Id enim consuetum erat salutationum tempus. Ceterum *ea nocte* pertinet ad *constituere*.

4. *quod — amiserat*] Etrusci enim Marianarum partium fuerant.

ex Sullanis colonis] v. ad Cat. 16, 4.

lubido] i. e. effrenata cupido, voluptas.

XXIX. 1. *privato consilio*] i. e. sine senatus auctoritate. Eodem sensu Cicero in Cat. I, 5, 11. *Non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi.*

rem ad senatum refert] In temporibus et hic et in superioribus nonnulla confudit Sallustius. Nam ex oratione in Catilinam prima, infra demum c. 31, 6. memorata, quam die VI. Id. Nov. habitam esse patet ex or. in Cat. I, 4, 8. coll. or. p. Sulla 18, 52., cognoscitur iam diebus duodeviginti ante (sc. a. d. XII. Kal. Nov.; v. ad c. 26, 5.) Ciceronem rem ad senatum retulisse ac senatusconsultum esse factum; cf. or. in Cat. I, 1, 3. 2, 4. *Habemus senatusconsultum in te, Catilina, vehemens et grave; — at vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis.* Quippe rotundo numero XX pro XVIII Cicero utitur; cf. Ascon. in Pis. p. 6. Or.

exagitatum] Senatui *incertis volgi rumoribus anxio et commoto* opponitur senatus relatione consulis de

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

XXIX. Ea quum Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Mauli quantus aut quo consilio foret satis compertum habebat, rem ad senatum refert, iam antea volgi rumo-
2 ribus exagitatum. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid respublica de-
3 trimenti caperet. Ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est.

XXX. Post paucos dies L. Saenius senator in senatu literas recitavit, quas Faesulis allatas sibi dicebat, in quibus scriptum erat, C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine ante diem VI. Ka-
2 lendas Novembris. Simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant, alii conventus fieri, arma portari, Ca-
3 puae atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur senati decreto Q. Marcius Rex Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circum-

scelestis Catilinae consiliis certior factus et ad *decernendum* excitatus.

2. *solet*] Absolute positum significat *consuetudo est*, i. e. *fieri solet*; cf. Cat. 30, 2. Iug. 15, 5. 25, 3. 59, 3. 66, 2.

darent operam] De *ut* particula post *praecipiendi* et *suadendi* verba omissa cf. Cat. 32, 2. Iug. 28, 1. 35, 2. et 4. 56, 2. 75, 5.

3. *parare — gerere* etc.] Infinitivi appositionis vi ad praecedentia illustranda pertinent, quo intelligatur, cur *potestas* illa dicatur *maxuma*.

aliter] i. e. alioquin, aliis in rebus atque alio tempore; cf. Cat. 44, 1. Hist. Fr. I, 43. I, 100.

nullius earum rerum] Sententia est: consuli non solum universarum illarum rerum ius non est, *sed ne unius quidem ex illis*.

consuli] Ubi in universum de consulibus ita loquuntur Latini, ut non tam personas, quam muneris vim et potestatem intelligi velint, haud raro singulari utuntur; cf. Cic. in Pis. 11, 24. *Magnum nomen est, magna species, magna dignitas, magna maiestas consulis*. ib. §. 26. *Ecquod in hac urbe maius unquam incendium fuit, cui non consul subvenerit*.

XXX. 2. *portenta atque prodigia*] Illa res diras atque perniciosas, haec magnas atque insolitas significare credebantur.

portari] i. e. comportari, conferri, in varia loca mitti; cf. Cat. 24, 2. Iug. 27, 5. 36, 1. Eodem sensu Cat. 42, 2. dicuntur *armorum atque telorum portationes*.

3. *Q. Marcius Rex*] Consul fuit a. 68. a. Chr. n. (686. u. c.) cum L. Caec. Metello. Anno 67. Ciliciam administravit (cf. Hist. Fr. V, 12.), ibique nonnullis rebus prospere gestis triumphum petiit.

Q. Metellus Creticus] Consul fuit a. 69. a. Chr. n. (685. u. c.) cum Q.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

que ea loca missi; ii utrique ad urbem imperatores erant, impediti 4
ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia, honesta atque
inhonesta, vendere mos erat; sed praetores Q. Pompeius Rufus 5
Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum, iisque permissum,
uti pro tempore atque periculo exercitum compararent. Ad hoc, 6
si quis indicavisset de coniuratione, quae contra rempublicam facta
erat, praemium decrevere servo libertatem et sestertia centum,
libero impunitatem eius rei et sestertia ducenta; itemque decrevere, 7
uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur pro cuiusque opibus, Romae per totam urbem vigiliae haberentur, iisque minores magistratus praecessent.

XXXI. Quibus rebus permota civitas atque immutata urbis facies erat; ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies 2
pepererat, repente omnis tristitia invasit; festinare, trepidare, ne-

Hortensio. Anno post proconsul per triennium bellum gessit cum Cretensibus, unde *Creticus* est cognominatus.

circumque ea loca] i. e. circumque *eius urbis atque regionis* (Faesularum et Apuliae) loca; v. ad Cat. 8, 5.

4. *utrique*] Rarior pluralis de duobus singulis; cf. Cat. 5, 7. Liv. XLII, 54, 7. *Elatiam et Gonnum recepit; utraque oppida in faucibus sunt.*

ad urbem imperatores erant] *Ad urbem esse* dicebantur, qui, tantis rebus in provincia gestis, ut triumphum postulare posse sibi viderentur, ante urbem manebant, donec triumphus a senatu iis decerneretur. Imperium quia ipso in urbem introitu finiebatur, Sallustius praedicato addit *imperatores*, i. e. imperio nondum deposito.

calumnia paucorum] Intelliguntur Pompeius eiusque satellites. Quippe praetendebant illi Marcium et Metellum non suis, sed Pompeii auspiciis, cui totius maris interni atque Asiae imperium esset datum, res gessisse. Triumphum autem non deberi, qui alienis auspiciis vicissent.

omnia, honesta atque inhonesta] cf. Iug. 31, 12. 80, 5.

vendere mos erat] v. ad Cat. 4, 1.

5. *Q. Pompeius Rufus*] Anno 61. a. Chr. n. Africam provinciam administravit, ceterum ignotus.

Q. Metellus Celer] Quum anno 62. a. Chr. n. Galliam provinciam obtinuisset, a. 60. consul fuit. Uxorem habuit Clodiam, moribus infamem, a qua veneno sublatus creditur; cf. Cic. p. Coel. 24, 59.

6. *quae — facta erat*] v. ad Cat. 14, 7.

sestertia centum] Sestertium, quod habebat mile sestertios, fere aequat 56 thaleros borussicos, 98 florenos rhenanos.

7. *pro cuiusque opibus*] Ita, ut maiora et opulentiora municipia maiorem reciperent gladiatorum numerum, minora pauciorem, *quo omnia coercendis iis paria essent.*

minores magistratus] Praeter consules, praetores, censores, ceteri omnes erant minores. Imprimis h. l. intelligendi videntur aediles, tribuni plebis, triumviri capitales.

XXXI. 1. *permota*] i. e. penitus commota et exagitata.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

que loco neque homini cuiquam satis credere, neque bellum gerere
3 neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus reipublicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad coelum tendere, miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere, superbia atque deliciis
4 omissis sibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat, tametsi praesidia parabantur, et ipse lege Plautia
5 interrogatus erat ab L. Paulo. Postremo dissimulandi caussa et ut sui expurgandi, sicuti iurgio lacessitus foret, in senatum venit.
6 Tum M. Tullius consul, sive praesentiam eius timens, sive ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae,
7 quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille assedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare, patres conscripti ne quid de se temere crederent; ea

ex summa laetitia] v. ad Cat. 4, 1.

2. *festinare*] Festo auctore p. 127. ed. Lindem. qui multa simul incipit, neque perficit, is *festinat*. Quare intelligi videntur incerta et varia civium consilia, quibus se contra pericula imminentia tutarentur.

3. *reipublicae magnitudine*] i. e. propter tantum reipublicae sive imperii romani ambitum, ut quodvis belli periculum ab ipsa urbe longe abesset. Inde enim *insolitus* belli timor fuit.

afflictare sese] i. e. summa anxietate confici.

omnia pavere] i. e. omnibus, etiam levissimis et inanibus, in pavorem coniici.

4. *lege Plautia*] Lata fuit a. 89. a. Chr. n. (665. u. c.) a M. Plautio Silvano tribuno pl., ut de capite eorum quaereretur, qui *vim* fecissent. Ad vim autem pertinebat seditionem movere, magistratibus et senatui violenter reniti, loca munita occupare, arma portare, domos diruere. — De *interrogare* verbo cf. Cat. 18, 2.

ab L. Paulo] Fuit is filius M. Aemilii Lepidi, a. 78. a. Chr. consulis, frater M. Aemilii Lepidi triumviri. Consulatum gessit a. 50. a. Chr. n. cum C. Claudio Marcello. — Caussa antequam acta est, Catilina urbem reliquit.

5. *et ut sui expurgandi* etc.] Dissimulatio hoc ipso constabat, quod, quum Catilina aperto parricidii crimine teneretur, tamen, tanquam in re levi, haud secus ac si (*sicuti*) iurgio tantum, i. e. verborum contentione lacessitus foret, expurgantis speciem prae se ferebat, ac *verbis* se invidiam suam diluere posse videri volebat.

6. *Tum M. Tullius* etc.] Id factum a. d. VI. Id. Nov., altero die postquam conventus coniuratorum apud Laecam fuerat habitus, de quo v. ad Cat. 27, 3. coll. annotat. ad 29, 1.

luculentam] i. e. tum vi et gravitate sententiarum, tum verborum splendore insignem. Intelligitur oratio in Cat. I.

7. *ut erat paratus*] *Ut* particula cum *esse* verbo coniuncta caussam ita reddit alicuius facti in peculiari hominis ingenio aut rei natura positam, ut facta res cum sua caussa comparetur; cf. Iug. 7, 4. *Iugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio,*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

familia ortum, ita ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne existumarent, sibi, patricio homini, cuius ipsius atque maiorum pluruma beneficia in populum Romanum essent, perdita republica opus esse, quum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae. Ad hoc maledicta alia quum adderet, obstre- 8
pere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibun- 9
dus: quoniam quidem circumventus, inquit, ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam.

XXXII. Dein se ex curia domum proripuit. Ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiae consuli procedebant, et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optumum factu credens exercitum augere, ac priusquam legiones scriberentur, antecapere, quae bello usui forent, nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo ceterisque, quo- 2
rum cognoverat promptam audaciam, mandat, quibus rebus possent,

— *in tantam claritudinem pervenerat.* Cat. 59, 2.

ortum] De omisso pronomine subiecti in structura accus. c. inf. cf. Cat. 40, 2. 56, 5. Iug. 64, 5. 76, 1. 88, 5. 102, 2. 107, 4. 109, 3.

in spe haberet] i. e. speraret.

inquilinus] Ita quum diceretur, qui in alieno habitabat, nullo possidendi iure, contumeliose Catilina, quo hominem novum sibi patricio antiquissimae stirpis opponeret, id in Ciceronem transtulit, qui Arpini natus inde Romam migrasset.

8. *parricidam*] v. ad Cat. 14, 3.

9. *praeceps agor*] i. e. ad summam necessitatem et ad extrema quaeque audenda compellor.

incendium — restinguam] i. e. rebus desperatis meis non lenibus remediis, sed reipublicae eversione consulam. Ceterum ex Cic. p. Mur. 25, 51. patet, Catilinam haec non dixisse illo senatus conventu, qui fuit a. d. VII. Id. Nov., sed eo, qui ante paucos dies d. XIII. Kal. Nov. (v. ad c. 26, 5.) erat habitus, quum Cato illi iudicium denunciasset.

XXXII. 1. *consuli*] Dativus non pendet ex substantivo *insidiae*, sed ex verbo cum substantivo coniuncto; cf. infra §. 2. *Insidias consuli maturent.* Cat. 40, 2. Iug. 35, 4. 39, 2. 84, 2. Hist. Fr. I, 56, 7.

optumum factu] cf. Cat. 55, 1. 57, 5. Iug. 107, 5.

2. *mandat — possent — confirment*] Praesenti historico pariter atque perfecto Sallustius promiscue subiungit praesentis atque imperfecti coniunctivum; cf. Cat. 34, 1. *Respondit, si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant.* 41, 5. 44, 3. Iug. 23, 2. 28, 1. 46, 4. 111, 1.

sese] v. ad Cat. 1, 1. Accusativus c. infin. pendet ex *dicendi* verbo, quod praegresso *mandat* continetur; cf. Cat. 21, 3. 31, 7. 40, 4. 43, 3. 44, 1. 47, 1. Iug. 8, 1. 14, 20.

3. *ex suo numero*] i. e. ex suorum numero; v. ad Cat. 8, 5.

XXXIII. 1. *patriae — fama atque fortunis*] Nihil offensionis habere duplicem eiusdem vocabuli in eodem enunciato structuram intelligitur coll.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

opes factionis confirment, insidias consuli maturent, caedem, incendia aliaque belli facinora parent; sese propediem cum magno exer-
3 citu ad urbem accessurum. Dum haec Romae geruntur, C. Manlius ex suo numero legatos ad Marcium Regem mittit cum mandatis huiuscemodi:

XXXIII. Deos hominesque testamur, imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate feneratorum plerique patriae, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus; neque cuiquam nostrum licuit more maiorum lege uti, neque amisso patrimonio liberum corpus
2 habere; tanta saevitia feneratorum atque praetoris fuit. Saepe maiores vostri, miseriti plebis Romanae, decretis suis inopiae eius opitulati sunt; ac novissume memoria nostra propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere solutum est.

Cat. 25, 2. Iug. 74, 3. *Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti.*

lege uti] i. e. *legum praesidio uti*, quod variis temporibus contra feneratorum iniurias paratum erat. cf. Tacit. Ann. VI, 16. *Sane vetus urbi fenebre malum et seditionum discordiarumque creberrima causa, eoque cohibebatur antiquis quoque et minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis sanctum, nequis unciario fenore amplius exerceret, quum antea ex libidine locupletium agitaretur; dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta, postremo vetita versura. Multisque plebiscitis obviam itum fraudibus, quae totiens repressae miras per artes rursum oriebantur.*

liberum corpus habere] Respici videtur ad legem Poeteliam Papiriam, a. 326. a. Chr. (428. u. c.) latam, qua teste Livio VIII, 28, 8. cautum erat „*ne quis*, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, *in compedibus aut in nervo teneretur*, pecuniae creditae bona debitoris, *non corpus obnoxium esset.*“

praetoris] sc. *urbani*, qui iudiciis praeerat, et ius civibus dicebat.

2. *vostri*] Secunda persona possessivi pronominis utitur, quia M. Rex a senatu missus *nobilitatis* caussam defendebat, cui Manlius se atque suos opponit; cf. §. 5.

bonis] Quaesita ambiguitate *bonos*, quibus proprie ii significantur, qui veris reipublicae rationibus consultum volunt, h. l. *optimates* intelligi vult Manlius; cf. Cat. 19, 2.

argentum aere solutum est] Respicit Manlius ad Mariana tempora, quibus Valer. Flaccus, in Marii sept. cos. locum suffectus, a. 86. a. Chr. n. (668. u. c.) legem tulit, ut creditoribus *quadrans* solveretur (cf. Vellei. II, 23, 2.); atque hoc ipsum est, quod argentum dicit aere solutum esse. Sestertius enim, nummus *argenteus*, quum inde a bello Punico secundo (cf. Plin. H. N. XXXIII, 13.) constaret quattuor assibus, *aere* factis, illa lege *as* solvebatur pro *sestertio*, i. e. quarta pars pro toto.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Saepe ipsa plebes, aut dominandi studio permota aut superbia ma- 3
gistratuum, armata a patribus secessit. At nos non imperium ne- 4
que divitias petimus, quarum rerum caussa bella atque certamina
omnia inter mortalis sunt, sed libertatem, quam nemo bonus nisi
cum anima simul amittit. Te atque senatum obtestamur, consu- 5
latis miseris civibus, legis praesidium, quod iniquitas praetoris
eripuit, restituatis, neve nobis eam necessitudinem imponatis, ut
quaeramus, quonam modo maxume ulti sanguinem nostrum per-
eamus.

XXXIV. Ad haec Q. Marcius respondit: si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur; ea mansuetudine atque misericordia senatum populumque Romanum semper fuisse, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit. At Catilina ex itinere plerisque consularibus, praeterea 2
optumo cuique literas mittit: se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere,

3. *ipsa plebes*] i. e. sola plebes, a patribus prorsus destituta ac suis modo viribus confisa.

aut dominandi — magistratuum] Prima secessio facta est anno 494. a. Chr. (260. u. c.) propter saevitiam creditorum, altera a. 449. a. Chr. (305. u. c.) propter decemvirorum insolentiam. Illâ quoniam plebs tribunos sibi paraverat, Manlius parum vere secedendi caussam fuisse dicit *dominandi studium;* scilicet id agit, ut probet antiquos illos, ad quorum exemplum provocat, minus gravem atque iustam habuisse caussam arma capiendi, quam ipsum cum suis.

armata] Coniungendum cum *secessit;* cf. Ing. 31, 17. Hist. Fr. I, 11. III, 81, 1.

XXXIV. 1. *respondit — vellent — discedant*] v. ad Cat. 32, 2.

2. *optumo cuique*] i. e. nobilissimo cuique ex optimatibus.

se — cedere] Structura pendet ex *declarandi* sensu, qui in verbis *litteras mittit* inest; cf. Ing. 88, 5. 97, 1. 25, 5. ac v. ad Cat. 32, 2.

3. *Q. Catulus*] Consul fuit a. 78. a. Chr. n. (676. u. c.) cum M. Aemilio Lepido, vir magnae dignitatis atque auctoritatis, et strenuus veteris reipublicae propugnator, qui non solum Lepidi tumultum (a. 78. et 77.) oppresserat, sed etiam Pompeio, ne infinitum acciperet imperium (a. 67.), adversatus erat.

XXXV. 1. *re cognita*] Fidem Catuli *re cognoverat* Catilina, quod stupri accusatus cum Fabia, sacerdote Vestae (v. c. 15, 1.), illius gratia fultus evaserat; cf. Oros. VI, 3.

grata mihi in magnis meis periculis] Haec eo consilio adiicit, ut, quantum tunc ipsum eius fidei tribuat, significet. Sententia fere eadem est, ac si dixisset: eo gratior mihi, quo maiora nunc sunt mea pericula.

2. *novo*] i. e. insolito, insuetato, sc. arma capiendi; cf. Cat. 51, 8. et §. 18.

satisfactionem] i. e. *explicationem atque excusationem* capti consilii, qua tuae de mea integritate opinioni, si

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Massiliam in exilium proficisci; non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti respublica quieta foret, neve ex sua contentione se-
3 ditio oriretur. Ab his longe divorsas literas Q. Catulus in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinae redditas dicebat. Earum exemplum infra scriptum est.

XXXV. L. Catilina Q. Catulo. Egregia tua fides re cognita, grata mihi in magnis meis periculis, fiduciam commendationi meae
2 tribuit. Quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare; satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere de-
3 crevi, quam, mediusfidius, veram licet cognoscas. Iniuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriaeque meae privatus statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum caussam pro mea consuetudine suscepi; non quin aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem, quum et alienis nominibus liberalitas Orestillae suis filiaeque copiis persolveret, sed quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione

fortasse labare inceperit, plane satisfaciam; cf. Cic. Epp. ad Famm. VII, 13, 3. *Hic tu me etiam insimulas, nec satisfactionem meam accipis.*

conscientia de culpa] Ad structuram cf. Cic. Epp. ad Attic. II, 24, 3. *His de rebus conscium esse Pisonem et M. Laterensem.*

medius fidius] Iurandi formula contracta ex eo, quod est: *me dius fidius ita servet, ut vera dixero.* Praeses enim fidei tuendae a Latinis vocabatur *Dius Fidius*, qui apud Graecos erat Ζεὺς πίστιος.

licet cognoscas] Caute non dixit *cognosces*, sed *cognoscere poteris*, sc. *si res meas ex vero considerare volueris.*

3. *fructu — privatus*] Aperte intelligit consulatum, quem bis frustra petierat.

statum dignitatis] i. e. iustum plenumque usum dignitatis, patricio gentis nobilissimae ac multis de republica meritis claro debitae; cf. Cic. Epp. ad Famm. IV, 9, 11. *Fortuna tua laudatur, quod in honesto otio tenueris et statum et famam dignitatis tuae.* Catilina igitur, quum repulsis aliquoties acceptis et senatus iudicio (c. 31, 8.) gratia, auctoritate, fama se imminutum videret, *statum dignitatis se non obtinere* queritur.

publicam miserorum caussam] i. e. non singulorum, sed universorum miserorum, qui reipublicae pars sunt, caussam suscepi, quo publice eorum incommodis succurratur.

meis nominibus — alienis nominibus] Ablativi qualitatis sunt, quibus *aes alienum* definitur. *Nomen* quum intelligatur *debitoris nomen in tabulas relatum*, sensus verborum est: *aes alienum a me contractum — aes alienum ab alienis contractum.* Plurali autem de se ipso utitur Catilina, quod saepius et a compluribus aes alienum contraxerat.

non dignos homines] Quin Ciceronem maxime intelligat, vix dubitari potest.

honore honestatos] cf. Plaut. Capt. II, 2, 106. *Quom me tanto honore honestas.* Cic. in Cat. IV, 10, 20.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

alienatum esse sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu 4
spes reliquae dignitatis conservandae sum secutus. Plura quum 5
scribere vellem, nuntiatum est, vim mihi parari. Nunc Orestillam 6
commendo, tuaeque fidei trado; eam ab iniuria defendas, per liberos tuos rogatus. Haveto.

XXXVI. Sed ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium in agro Arretino, dum vicinitatem antea sollicitatam armis exornat, cum fascibus atque aliis imperi insignibus in castra ad Manlium contendit. Haec ubi Romae comperta sunt, senatus Catilinam 2
et Manlium hostis iudicat, ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere praeter rerum capitalium condemnatis. Praeterea decernit, uti consules delectum ha- 3
beant, Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, Cicero urbi praesidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi Romani 4
multo maxume miserabile visum est; cui quum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent, domi otium atque divitiae, quae

Tantam laudem, quanta vos me honestatis, nemo est assecutus.

alienatum] i. e. neglectum, proiectum.

4. *hoc nomine*] i. e. huius rei respectu, hac de caussa; cf. Tacit. Ann. XIV, 59, 5. *Decretae eo nomine supplicationes.*

pro meo casu] *Casus*, vox media, plerumque dicitur de misero afflictoque statu, in quem quis incidit; cf. Cat. 40, 2. 51, 9.

commendo] sc. *tibi*, quod ex proximis *tuaeque fidei* elicitur; cf. Caes. B. C. III, 57, 1. *Clodium ab illo traditum et commendatum* (sc. sibi) *in suorum necessariorum numero habere instituerat.*

XXXVI. 1. *C. Flaminium*] Homo ignotus; haud dubie ex colonis Sullanis fuit.

in agro Arretino] Arretium in ea Etruriae parte situm, quae septentrionem et orientem spectat, octo milliaria a Florentia distat.

in castra] Ea prope Faesulas erant, paullo supra Florentiam septentrionem versus sitas.

aliis imperi insignibus] Sella curuli et toga praetexta.

2. *hostis*] i. e. perduelles; cf. Cic. de Off. I, 12, 1. *Illud etiam animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur.*

sine fraude] i. e. sine damno et incommodo; cf. Liv. I, 24, 5. *Quod sine fraude mea populique Romani fiat, facio.* id. XXVI, 12, 5. *Qui civis Campanus ante certam diem transisset, sine fraude esset.*

praeter] h. l. adverbium est; *condemnatis* enim ex *liceret* pendet. cf. Iustin. XIII, 5, 2. *Omnium civitatium exules, praeter caedis damnati, restituebantur.*

4. *quum — parerent*] Caussalis *quum* particulae vis in concessivam transit; quare sensus est: *quamquam — parebant;* cf. Cat. 3, 5. Iug. 6, 1.

ad occasum ab ortu solis] Inversus naturalis ordo, ut apud Melam III, 5. *Aliquamdiu ad occasum ab oriente currens.* Seneca Epp. 86. *Amnes usque ad ostium a fonte vestri sunt.*

quae — quae] v. ad Cat. 9, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

prima mortales putant, affluerent, fuere tamen cives, qui seque
5 remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus senati decretis ex tanta multitudine neque praemio inductus coniurationem patefecerat neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat; tanta vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

XXXVII. Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis fuerant, sed omnino cuncta plebes novarum rerum
2 studio Catilinae incepta probabat. Id adeo more suo videbatur fa-
3 cere. Nam semper in civitate, quibus opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt, vetera odere, nova exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura
4 aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno. Sed urbana
5 plebes, ea vero praeceps erat multis de caussis. Primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant, item alii per dedecora patrimoniis amissis, postremo omnes, quos flagitium

5. *duobus senati decretis*] i. e. quum duo senati decreta facta essent; v. ad Cat. 11, 4.

XXXVII. 1. *qui conscii — fuerant*] i. e. *qui ad societatem coniurationis accesserant*, vel simplicius etiam, qui *coniuraverant*: v. ad Iug. 26, 3.

neque solum — sed] v. ad Cat. 18, 7.

2. *id adeo*] v. ad Iug. 110, 4.

3. *aluntur*] i. e. victum habent vel quaerunt; cf. Cat. 14, 3.

egestas facile habetur] i. e. egestas, cui quis est obnoxius, facile toleratur.

sine damno] Haec quum caussam afferant, cur facile habeatur egestas, enunciationis instar sunt sic concipiendae: *nullo* (sc. ex turbis et seditionibus) *damno oriente*.

4. *ea vero*] Ubi vel subiectum vel obiectum validius in enunciato eminere volunt Latini, *is* pronomen subiiciunt, quo quasi denuo illud legentium menti inculcent. Ad vim pronominis intendendam haud raro *vero* particula additur. cf. Cat. 12, 5. *Proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti*. 20, 4. *Idem velle atque nolle ea demum firma amicitia est*. 58, 16. *In fuga salutem sperare — ea vero dementia est*. Iug. 50, 6.

praeceps erat] *Praeceps* dicitur, qui ita inclinat, ut suapte vi ad casum feratur. Brevitatis studio absoluto positum vocabulum ex §. 1. lucem accipit. Nam ut *cunctae plebi* opponitur *urbana plebes*, ita verbis *Catilinae incepta probabat* respondet *praeceps erat* (germanice *liess sich hinreissen*), sc. *ad Catilinae incepta probanda*. cf. Iug. 6, 3. *Terrebat eum natura mortalium avida imperi et praeceps ad explendam animi cupidinem*. Fr. Hist. I, 12. *Mores — torrentis modo praecipitati*. Iug. 63, 6.

5. *ubique*] v. ad Cat. 21, 1.

postremo] v. ad Cat. 14, 3. Comprehenduntur hac voce omnes, qui pertinent ad cives vitae turpitudine insignes, quos primum genus plebis perditae dicit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

aut facinus domo expulerat, ii Romam sicut in sentinam confluxerant. Deinde multi memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis 6
militibus alios senatores videbant, alios ita divites, ut regio victu atque cultu aetatem agerent, sibi quisque, si in armis foret, ex victoria talia sperabat. Praeterea iuventus, quae in agris manuum 7
mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori praetulerat; eos atque alios omnis malum publicum alebat. Quo minus mirandum est homines 8
egentis, malis moribus, maxuma spe, reipublicae iuxta ac sibi consuluisse. Praeterea quorum victoria Sullae parentes proscripti, 9
bona erepta, ius libertatis imminutum erat, haud sane alio animo belli eventum exspectabant. Ad hoc quicumque aliarum atque se- 10
natus partium erant, conturbari rempublicam quam minus valere ipsi malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem revorterat. 11

XXXVIII. Nam postquam Cn. Pompeio et M. Crasso consu-

6. *regio victu atque cultu*] v. ad Cat. 16, 4. *Victus* de cibi potusque deliciis, *cultus* de universo ceterae vitae paratu et elegantia capiendus.

7. *praetulerat*] Verbum non pendet ex *quae*, sed ex *iuventus* voce. Ita autem distinentur duo plusquamperfecta, ut ad *toleraverat* suppleatur *antea*, ad *praetulerat* mente addatur *neque amplius manuum mercede victum quaerebat.*

eos] Per synesin refertur ad *iuventus;* v. ad Cat. 7, 4.

malum publicum] i. e. dissolutus reipublicae morbo laborantis status, damnum reipublicae; cf. Cat. 51, 32. Hist. Fr. I, 56, 19.

8. *iuxta ac*] i. e. pariter male; v. ad Cat. 2, 8. 61, 6. *Cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant.* Iug. 85, 33.

9. *ius libertatis imminutum*] cf. Vell. II, 28, 3. *Adiectum etiam, ut bona proscriptorum venirent, exclusique paternis opibus liberi etiam petendorum honorum iure prohiberentur, simulque, quod indignissimum est, senatorum filii et onera ordinis sustinerent, et iura perderent.*

11. *multos post annos*] Quum turbae civiles nunquam non a tribunis motae coercita per Sullam (a. 81. a. Chr. n.) tribunicia potestate paene conticuissent, sed eadem per Pompeium (a. 70*r*) restituta rursus exardescerent, spatium significatur undecim annorum. Id *multos annos* dicit auctor, sive quia pars fuit vitae suae, sive quia insolita undecim annorum quies ad perpetuam partium contentionem *multorum* annorum videri poterat.

XXXVIII. 1. *Cn. Pompeio* etc.] Anno 70. a. Chr. n. (684. u. c.).

summam potestatem] *Summa* dicitur potestas, cuius ope summa quaeque audere et moliri possent.

fieri] Non pendet ex *coepere*, sed infinitivus est historicus.

2. *senati specie* etc.] Insigni verborum brevitate coartata sententia haec est: *specie* pro senatu (i. e. pro senatus auctoritate), *re vera* pro sua magnitudine.

3. *per illa tempora*] Intelliguntur

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

libus tribunicia potestas restituta est, homines adulescentes summam potestatem nacti, quibus aetas animusque ferox erat, coepere senatum criminando plebem exagitare, dein largiundo atque pollici- 2 tando magis incendere; ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, senati specie pro sua 3 magnitudine. Namque, uti paucis verum absolvam, per illa tempora quicumque rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti populi iura defenderent, pars, quo senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certa- 4 bant; neque illis modestia, neque modus contentionis erat; utrique victoriam crudeliter exercebant.

XXXIX. Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maritumum atque Mithridaticum missus est, plebis opes imminutae, paucorum 2 potentia crevit. Hi magistratus, provincias, aliaque omnia tenere; ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere, ceterosque iudiciis

anni proximi post Pompeii consulatum usque ad leges Gabiniam et Manîliam, ut patet ex verbis §. 1. cum c. 39, 1. collatis.

populi iura] Haud raro in partium popularium contentionibus universo *populi* nomine utebantur, quum eam populi partem, quae nobilitati esset opposita, i. e. *plebem* intelligi volebant; cf. Iug. 27, 2. 30, 3. 41, 5. 43, 1. 85, 10.

bonum publicum simulantes] i. e. *quod e republica esset, reipublicae salutem et commodum*, simulantes, sc. se agere; cf. Iug. 25, 3.

4. *neque modestia neque modus*] v. ad Cat. 11, 4.

exercebant] i. e. omnia ea perpetrabant (sc. in adversarios), quae in victoria fieri possunt; cf. Iug. 16, 2. Ibid. 40, 5. *Quaestio exercita aspere violenterque.*

XXXIX. 1. *bellum maritumum*] Contra piratas a. 67. a. Chr. n. (687. u. c.) lege Gabinia susceptum. Ex quo quum Pompeius continuo se conferret ad conficiendum Mithridaticum (a. 66. a. Chr.), Sallustius utrumque *atque* particula coniunxit.

plebis opes imminutae etc.] Pompeius, qui iam ante consulatum suum nobilium partes deseruerat ac plebem studiose coluerat (cf. Fr. Hist. IV, 56—59.), quamdiu Romae versabatur, iis, qui optimates infestabant, patronus aderat, cuius potentia nisi negotia illis facessebant. Sed postquam Romam reliquit, optimates, eo timore liberati, novos spiritus sumere, plebeii minus valere coeperunt.

2. *innoxii*] Passivo sensu sunt *quibus non nocetur, qui damnum non patiuntur*; cf. Colum. V, 9. *Innoxius ab iniuria pecorum.*

sine metu] Nimirum Pompeio, quem metuebant, absente.

ceterosque] i. e. et alios omnes, qui non suae factionis essent, ac plebem contra ipsos exagitare conarentur.

iudiciis] i. e. in ius vocando, litos iis intendendo, et, si damnati essent, graves poenas constituendo.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi 3
primum dubiis rebus novandi spes oblata est, vetus certamen animos eorum arrexit. Quod si primo proelio Catilina superior aut 4
aequa manu discessisset, profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus, qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra 5
coniurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt; in iis erat A. Fulvius, senatoris filius, quem retractum ex itinere parens necari iussit. Isdem temporibus Romae Lentulus, sicuti Cati- 6
lina praeceperat, quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se aut per alios sollicitabat, neque solum civis, sed cuiusque modi genus hominum, quod modo bello usui foret.

XL. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque, si possit, impellat ad societatem belli,

quo plebem — tractarent] i. e. hoc eo consilio faciebant, ut hi *territi*, si quando magistratum, i. e. tribunatum, adepti essent, plebem non in ipsos excitarent, sed eam placidius, i. e. placidiore in optimates animo, tractarent; cf. Iug. 41, 2. *Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Rom. placide modesteque inter se remp. tractabant.* Tacit. Ann. III, 12, 3. *Illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso?* i. e. reputate, num ita tractaverit ex., ut ex eo turbae et seditiones orirentur.

3. *dubiis rebus*] Ablativi sunt absoluti; v. ad Cat. 11, 4.

novandi] Absolute positum *novare* verbum significat *rempubl. turbare eiusque statum immutare;* cf. Tacit. Ann. IV, 18, 2. *Neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset.*

eorum] Refertur ad *ceteros*, qui antea a paucis potentibus repressi, tum arrectis sive intentis ad certamen animis erant.

4. *neque illis, qui* etc.] Totius loci sententia est, Catilinam cum suis, etiamsi initio victor fuisset, tamen haud diu potentiam ita paratam retenturum fuisse; alios enim potentiores, quique plebe melius uti scirent, mox imperio eum privaturos fuisse cum magna reipublicae calamitate.

5. *Fuere tamen* etc.] Ita refertur *tamen* ad praecedentia, ut mente suppleatur: in tam incerta et fallaci spe melioris rerum status *fuere tamen* etc.; v. ad Cat. 10, 2.

qui — profecti sunt] Indicativus positus, quia enunciatio relativa unice ad definiendum *complures* subiectum pertinet; cf. Cat. 52, 21. *Sed alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt.*

A. Fulvius] Eum Valer. Max. V, 8, 5. tradit fuisse: *iuvenem et ingenio et litteris et forma inter aequales nitentem.*

parens necari iussit] Patria enim potestate parenti ius vitae et necis erat in liberos.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

existumans, publice privatimque aere alieno oppressos, praeterea quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consi-
2 lium adduci posse. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatium notus erat atque eos noverat; itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu civitatis et quasi dolens eius casum, requirere coe-
3 pit, quem exitum tantis malis sperarent? Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo auxili nihil esset, miseriis suis remedium mortem exspectare: »At ego, inquit, vobis, si modo viri esse voltis, rationem ostendam, qua
4 tanta ista mala effugiatis. Haec ubi dixit, Allobroges in maxumam spem adducti Umbrenum orare, ut sui misereretur; nihil tam asperum neque tam difficile esse, quod non cupidissume facturi essent,
5 dum ea res civitatem aere alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit, quod foro propinqua erat neque aliena consili
6 propter Sempronian; nam tum Brutus ab Roma aberat. Praeterea

6. *per se*] Quo oppositio ex aequo sibi respondeat, *per me*, *te*, *se* dicitur pro *ipse*; cf. Cic. p. Arch. poet. 10, 26. *Quid? a Q. Metello Pio neque per se neque per Lucullos impetrasset.* id. de pet. cons. 8. *Quos per te, quos per communes amicos poteris sumere.*

neque solum — sed] v. ad Cat. 18, 7.

XL. 1. *P. Umbreno*] Eum libertinum hominem vocat Cicero in Cat. III, 6, 14.

Allobrogum] Inter Rhodanum et Isaram et in ea parte Alpium habitabant. Anno 121. a. Chr. n. (633. u. c.) a Q. Fabio Maximo devicti in deditionem quidem accepti erant, sed suspecta semper fide agebant; cf. Cic. in Cat. III, 9, 22. *Homines Galli ex civitate male pacata, quae gens una restat, quae populo Romano bellum facere et posse et non nolle videatur.*

facile eos] Impedita per interiectam enunciationem caussalem participii *oppressos* cum verbo ratione, per illatum *eos* pronomen ad institutam structuram reditur.

2. *negotiatus erat*] *Negotiari* dicebantur, qui in provinciis pecunias mutuas dabant provincialibus ac fenus exercebant, aut frumentis coemendis ac vendendis quaestum faciebant. Iug. 20, 3. 64, 5.

casum] i. e. calamitatem; v. ad Cat. 35, 4.

tantis malis] Dativus pendet ex verbis *exitum sperarent*, ut statim post §. 3. *miseriis suis mortem exspectare*; v. ad Cat. 32, 1. Iug. 14, 24.

3. *miseriis — exspectare*] Paulo durius haec non ex *videt* suspensa sunt, sed ex *dicendi* notione, quae in *queri* et *accusare* verbis, ex *videt* aptis, inest. Praeterea *se* supplendum, de quo v. ad Cat. 31, 7.

ista] i. e. vestra.

5. *D. Bruti*] v. ad Cat. 25, 1.

neque aliena consili] i. e. opportuna consilio cum Allobrogibus communicando, cuius rei sequentia caussam afferunt; nam si Brutus non abfuisset, profecto eius domus, quamquam

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Gabinium accersit, quo maior auctoritas sermoni inesset. Eo praesente coniurationem aperit, nominat socios, praeterea multos cuiusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset; deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit.

XLI. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consili caperent. In altera parte erat aes alienum, studium belli, 2 magna merces in spe victoriae; at in altera maiores opes, tuta consilia, pro incerta spe certa praemia. Haec illis volventibus, 3 tandem vicit fortuna reipublicae. Itaque Q. Fabio Sangae, cuius 4 patrocinio civitas plurumum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam consilio cognito, legatis praecepit, 5 ut studium coniurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, dentque operam, ut eos quam maxume manifestos habeant.

XLII. Isdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia, motus erat. Namque 2 illi, quos ante Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per demen-

Sempronia coniurationis conscia erat, opportuna non fuisset."

6. *pollicitos operam suam*] cf. Cic. in Cat. III, 2, 4. *Comperi legatos Allobrogum belli transalpini et tumultus gallici excitandi caussa a P. Lentulo esse sollicitatos.* ib. 4, 9. *Galli dixerunt ita sibi — esse praescriptum, ut equitatum in Italiam quam primum mitterent.*

XLI. 2. *in altera parte*] Legati rationes pensabant, quae ipsos tum ad iuvandam coniurationem, tum ad detegendam hortarentur. In coniuratorum partes eos trahebat *aes alienum suum, studium belli, sperata commoda ex victoria;* ut indicarent coniurationem, incitabantur eo, quod videbant *rerum privatarum suarum* condicionem ea re in melius mutatum iri, *nihil periculi* sibi fore, si cum senatu facerent, denique, quum belli eventus incertus esset, *certa praemia* sibi ostentari.

3. *Haec illis volventibus* etc.] Sensus est: quum has rationes in utramque partem volverent, tandem *vicit ea ratio, quae cum fortuna reipubl. coniuncta fuit.*

4. *cuius patrocinio*] Eo patrono utebantur Allobroges, quod a Q. Fabio Maximo in fidem accepti erant; cf. Cic. de Off. I, 11, 35. *Tantopere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui nationes devictas bello in fidem recepissent, eorum patroni essent more maiorum.*

5. *consilio cognito*] sc. coniuratorum Allobroges in suas partes perducendi et ad bellum concitandi.

praecepit, ut — simulent] v. ad Cat. 32, 2.

manifestos habeant] i. e. quasi in ipsa re deprensos teneant, sive talia coniurationis factae documenta sibi praeberi studeant, ut coniuratis nulla negandi aut evadendi copia sit.

XLII. 1. *agro*] Pertinet haec vox etiam ad *Bruttio.*

motus] Intelligendus videtur non tam plenus tumultus, quam rerum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tiam cuncta simul agebant; nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia plus timoris quam
3 periculi effecerant. Ex eo numero compluris Q. Metellus Celer praetor ex senati consulto caussa cognita in vincula coniecerat; item in ulteriore Gallia C. Murena, qui ei provinciae legatus praecerat.

XLIII. At Romae Lentulus cum ceteris, qui principes coniurationis erant, paratis, ut videbantur, magnis copiis, constituerant, uti, quum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis concione habita quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissumi invidiam optumo consuli imponeret; eo signo proxuma nocte cetera multitudo coniurationis suum quis-
2 que negotium exsequeretur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad consulem ceterosque, quibus insidiae parabantur, fieret; Cethegus Ciceronis ianuam obsideret, eumque vi aggrederetur, alius autem alium; sed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, pa-

omnium perturbatio et confusio et occupationum solitarum intermissio.

portationibus] v. ad Cat. 30, 2.

3. *in ulteriore Gallia*] Ibi fuisse C. Murenam intelligitur ex Cic. orat. p. L. Mur. 41, 89. *An se in contrariam partem terrarum abdet, ut Gallia Transalpina ingentem, maerentem, exulem videat? in ea porro provincia quo animo C. Murenam fratrem suum aspiciet?* — In *citeriore* Gallia Q. Metellus fuit; cf. Cat. 30, 5. Cic. in Cat. II, 12, 26.

legatus] Legati, qui praesidibus provinciarum addebantur, interdum etiam vel absente praeside, vel a senatu missi cum plena iurisdictione provinciam administrabant.

XLIII. 1. *ut videbantur*] Interpositae enunciationis verbum refertur ad subiectum eius enunciati, cui illa interposita est; cf. Cic. de Orat. III, 20, 74. *Quum in forum ingenii non tantum, quantum forsitan verbis videar, detulissem.* Id. Epp. ad Q. Fr. III, 1, 3. *Epistolae mihi uno die tres sunt redditae, et quidem, ut videbantur, eodem abs te datae tempore.*

constituerant] De plurali cf. Ing. 101, 5. *Bacchus cum peditibus postremam Romanorum aciem invadunt.* 38, 6. Hist. Fr. III, 1, 6.

actionibus] *Actiones* dicuntur, quaecunque aliquis in magistratu gerit, imprimis quae vel ad senatum, vel ad populum refert, de quibus decretum fiat (germanice *amtliche Massnahmen*).

cetera multitudo coniurationis] Haec coniungenda esse ex eo patet, quod verba opponuntur iis, quae praecesserunt, *cum ceteris, qui principes coniurationis erant.*

2. *sed ea*] sc. negotia; pluralis enim notio praeparata quasi verbis *suum quisque.*

quo tumultu] i. e. ut eius rei (= ea re excitato) tumultu; v. ad Cat. 8, 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

rentes interficerent; simul, caede et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter haec parata atque decreta Cethegus 3
semper querebatur de ignavia sociorum; illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto in tali periculo opus esse, seque, si pauci adiuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu 4
promptus erat; maximum bonum in celeritate putabat.

XLIV. Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant iusiurandum, quod signatum ad civis perferant; aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri nihil suspi- 2
cantes dant, Cassius semet eo brevi venturum pollicetur, ac paulo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum iis T. Volturcium 3
quemdam Crotoniensem mittit, ut Allobroges, priusquam domum pergerent, cum Catilina data atque accepta fide societatem confirmarent. Ipse Volturcio literas ad Catilinam dat, quarum exemplum 4
infra scriptum est: Quis sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. 5
Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse; consideres, quid tuae rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis. Ad hoc mandata verbis dat: Quum ab se- 6

3. *languentibus aliis*] *Aliis* paulo indefinitius dictum quam *ceteris*, quod exspectes; *ceteri* enim sunt *omnes alii*. cf. Iug. 58, 3. *Locum cepere paulo quam alii editiorem.*

XLIV. 1. *ceteros*] sc. principes coniurationis.

2. *eo brevi venturum*] sc. ad cives Allobrogum, in Galliam.

3. *Crotoniensem*] *Crotone* oriundum, in quam urbem, ab Achaeis conditam, Romani a. 194. a. Chr. (560. u. c.) coloniam deduxerant.

5. *quis sim*] *Quis* ponitur, ubi is, qui interrogat, nihil scire vult praeter personam ipsam, quatenus nomine ab aliis dignoscitur; *qui* pronominis usus est, ubi de personae alicuius qualitate et indole interrogatur. Lentuli epistolam etiam Cicero in Cat. III, 5, 12. refert, sententiis plane congruentem, verbis diversam. Utra verior sit, inutilis quaestio.

6. *verbis*] Germanice *mündlich;* cf. Cic. Epp. ad Famm. X, 8, 11. *C. Furnio legato — plura etiam verbo quam scriptura mandata dedimus.*

XLV. 1. *constituta nocte*] Ea fuit a. d. III. Non. Dec.

L. Valerio Flacco] Filius fuit L. Valerii Flacci, qui a. 85. in Asia contra Mithridatem bellum gerens a Fimbria legato occisus est. Anno 62. a. Chr. n. propraetor Asiae fuit, et repetundarum accusatus a Cicerone defensus est, quae oratio adhuc exstat.

C. Pomptino] Crassi legatus fuit bello servili a. 71. a. Chr. n. Ex Allobrogibus a. 61. devictis triumphavit; a. 51. Ciceronis in Cilicia legatus fuit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

natu hostis iudicatus sit, quo consilio servitia repudiet? in urbe parata esse, quae iusserit; ne cunctetur ipse propius accedere.

XLV. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero per legatos cuncta edoctus L. Valerio Flacco et C. Pomptino praetoribus imperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cuius gratia 2 mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant permittit. Illi, homines militares, sine tumultu praesidiis collocatis, sicuti praece- 3 ptum erat, occulte pontem obsident. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venere, et simul utrimque clamor exortus est, Galli, 4 cito cognito consilio, sine mora praetoribus se tradunt; Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit, deinde ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus ac vitae diffidens velut hostibus sese praetoribus dedit.

XLVI. Quibus rebus confectis, omnia propere per nuntios 2 consuli declarantur. At illum ingens cura atque laetitia simul occupavere; nam laetabatur, intellegens coniuratione patefacta civitatem periculis ereptam esse; porro autem anxius erat, dubitans, in maxumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus esset;

ponte Mulvio] Hodie *ponte Molle*. Eum ad tertium lapidem, ad initium viae Flaminiae, qua in Etruriam ibatur, M. Aemil. Scaurus censor fecerat; cf. Aur. Vict. de vir. ill. 72, 8.

Allobrogum comitatus] i. e. Allobroges cum omnibus, qui una iter habebant in Galliam, *universum agmen Allobrogicum;* cf. Caes. B. C. I, 51, 1. *Nunciatur Afranio magnos comitatus, qui iter habebant ad Caesarem, ad flumen constitisse.*

permittit] i. e. arbitrio eorum relinquit.

2. *homines militares*] Haec addunter, ut intelligatur, quibus artibus Ciceronis consilio optime responderint. Appositionis igitur vis haec est: *quippe qui essent homines militares*, i. e. quippe qui magnum militiae usum haberent. cf. Cat. 59, 6.

obsident] i. e. ab utraque parte insidiis cingunt; cf. Cic. in Cat. III, 2, 5. *In proximis villis ita bipartito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesset.*

3. *et simul utrimque* etc.] i. e. et postquam pariter et a fronte et a tergo clamor exortus est.

cito cognito consilio] i. e. re, quae ageretur, cito per praetores cognita; cf. Cic. in Cat. III, 2, 6. *Res erat praetoribus nota solis, ignorabatur a ceteris.*

4. *dedit*] Praesens est *dedo* verbi.

XLVI. 2. *porro*] Sensus huius vocis, qua progressus ad aliam rem indicatur, non multum differt a *tum* particula; germanice *weiter* = *sodann*; cf. Ing. 25, 7. 28, 6.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

poenam illorum sibi oneri, impunitatem perdundae reipublicae fore credebat. Igitur confirmato animo vocari ad sese iubet Lentulum, 3 Cethegum, Statilium, Gabinium, itemque Caeparium quemdam Tarracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt; Caeparius, paulo ante domo egres- 4 sus, cognito indicio ex urbe profugerat. Consul Lentulum, quod 5 praetor erat, ipse manu tenens perducit, reliquos cum custodibus in aedem Concordiae venire iubet. Eo senatum advocat, magnaque frequentia eius ordinis Volturcium cum legatis introducit; Flaccum praetorem scrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem afferre iubet.

XLVII. Volturcius interrogatus de itinere, de literis, postremo quid aut qua de caussa consili habuisset, primo fingere alia, dissimulare de coniuratione; post, ubi fide publica dicere iussus est,

perdundae reipublicae] v. ad Cat. 6, 7.

3. *Tarracinensem*] Tarracina, Latii oppido, cui olim *Anxur* nomen fuit, oriundum.

proficisci parabat] i. e. *id agebat, ut* proficisceretur; cf. Cat. 18, 5. Iug. 13, 3. 22, 1. 61, 3.

4. *cognito indicio*] i. e. quum cognovisset coniurationis indicium *esse factum*.

5. *perducit*] Hoc verbum pariter ut *venire iubet* ad voces *in aedem Concordiae* pertinet, quae duorum membrorum coniunctio eo adiuvatur, quod prioris verba *ipse manu tenens* respondent in posteriore verbis *cum custodibus*. Similiter commune duorum membrorum attributum posteriori interpositum est Iug. 63, 3. *Sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus* etc.

aedem Concordiae] Id templum a Fur. Camillo aedificatum foro imminebat, ac situ suo facile defendi poterat.

magnaque frequentia] v. ad Cat. 11, 4.

6. *introducit*] Quippe Galli, Volturcius et coniurati deprehensi, donec interrogarentur, in aedis parte substiterunt a consultandi loco seiuncta. Senatus ipse habebatur in *cella*, ubi deae simulacrum erat.

XLVII. 1. *quid aut qua de caussa consili*] i. e. *quid consili*, aut qua de caussa *id* habuisset.

fide publica] *Fides publ.* est promissio, civitatis auctoritate facta, aliquem impunem atque sine periculo fore; cf. Cat. 48, 4. Iug. 32, 1. et 5. 35, 7.

omnia uti gesta erant] Ea accuratius referuntur c. 48, 4.

docetque se — nihil amplius scire quam legatos] Comparatio pertinet ad *nihil* obiectum, non ad *se* subiectum. Verborum sensus est: aperit omnia, uti gesta erant, i. e. uti a Lentulo Allobrogibus comes datus sit, qui eos ad Catilinam perduceret, uti litteras ab illo et mandata acceperit (cf. c. 44, 3—6.), uti legati cum ipso profecti ac deprehensi sint, et, his indicatis, declarat *nihil amplius* se scire, *praeter ea, quae ad legatos pertinerent;* ceterorum consiliorum se ignarum esse, quia *paucis ante diebus demum a Gabinio et Caepario socius ascitus fuerit.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

omnia uti gesta erant aperit, docetque se paucis ante diebus a Gabinio et Caepario socium ascitum nihil amplius scire quam legatos; tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Sullam, L. Vargunteium, multos praeterea in ea coniuratione esse. 2 Eadem Galli fatentur ac Lentulum dissimulantem coarguunt praeter literas sermonibus, quos ille habere solitus erat: ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri; praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex 3 prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore. Igitur perlectis literis, quum prius omnes signa sua cognovissent, senatus decernit, uti abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in liberis 4 custodiis habeantur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius

audire solitum] i. e. *saepe audivisse;* cf. §. 2. Iug. 4, 5. 108, 3.

2. *coarguunt*] i. e. graviter arguunt.

praeter litteras] *Praeter* vel exclusionem significat, vel additioni ita inservit, ut idem valeat atque *non solum — sed etiam*. Quare sensus est: coarguunt non solum litteris, sc. quas ab illo acceperant (v. supra c. 44, 5.), sed etiam sermonibus; cf. Caes. B. C. III, 32, 4. *Exactores praeter imperatas pecunias suo etiam privato compendio serviebant.*

regnum] v. ad Cat. 5, 6.

Sullam antea] sc. *fuisse*, quod eliciendum ex sequenti *esse;* cf. Iug. 49, 2. *Quae ab imperatore decuerint, omnia suis provisa.* 71, 2. 81, 1.

ab incenso Capitolio] Anno 83. a. Chr. n. (671. u. c.) custodum negligentia conflagraverat.

illum esse — annum] Ubi in oratione recta *hic* dicendum est, in obliqua *ille* ponitur; cf. Iug. 49, 3.

ex prodigiis] v. ad Cat. 12, 2.

respondissent] Proprium est hoc verbum de vatum et oraculorum monitis.

3. *signa sua cognovissent*] Accuratius dicendum erat *agnovissent;* sed latiore sensu *cognoscere* quoque de iis perspiciendis usurpatur, quorum quis iam antea notitiam habuit. Ita Cicero quoque de eadem re locutus est or. in Cat. III, 5, 10 et §. 12. cf. infra 61, 8.

abdicato magistratu] *Abdicare magistratum* pro *abdicare se magistratu* Sallustius primus dixit, posteriores saepius; cf. Liv. II, 28, 9. V, 49, 9. VI, 18, 4. De re ipsa v. Cic. in Cat. III, 6, 15.

in liberis custodiis] Mos erat apud Romanos, ut insigniores viri de crimine suspecti senatorum aut magistratuum domibus tenerentur custoditi, eaque vocabatur *libera custodia.* — De plurali v. ad Cat. 14, 5.

4. *P. Lentulo Spintheri*] Eius aedilitas ludorum splendore clara fuit teste Cicerone de Off. II, 16, 57. Anno 57. a. Chr. n. (697. u. c.) de Cicerone, cui fuit coniunctissimus, ex exilio revocando, legem tulit.

Q. Cornificio] Unus fuit ex Ciceronis competitoribus consulatus, senatusque partibus valde deditus.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

M. Crasso, Caeparius (nam is paulo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur.

XLVIII. Interea plebes, coniuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum tollere: velut ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat. Namque alia belli facinora praedae magis quam detrimento fore, incendium vero crudele, immoderatum ac sibi maxume calamitosum putabat, quippe cui omnes copiae in usu quotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. Is, quum se diceret indicaturum de coniuratione, si fides publica data esset, iussus a consule quae sciret edicere, eadem fere quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hostium senatum docet; praeterea se missum a M. Crasso, qui Catilinae nuntiaret, ne cum Lentulus et Cethegus aliique ex coniuratione depre-

XLVIII. 1. *quae — favebat*] Pronomen non ad proximum, sed ad primarium substantivum pertinet; cf. §. 4. *Praeterea se missum a M. Crasso, qui Catilinae nunciaret.* Iug. 6, 3. 14, 23. 24, 8.

Ciceronem ad coelum tollere] Is enim d. III. Non. Dec. statim post senatum habitum, quum iam advesperasceret, oratione, quae est III. in Catil., populum de iis, quae acta erant, edocuit.

2. *quippe cui — erant*] Ubique Sallustius *quippe qui* cum indicativo coniungit, quo efficitur, ut relativum enunciatum praecedenti sententiae non tanquam pars necessaria caussali nexu copulata adhaerescat, sed simpliciter iuxta collocetur; cf. Iug. 1, 3. 7, 6. 14, 10. 20, 6. 28, 1. 48, 1. 76, 1. 85, 32. 86, 3.

usu quotidiano etc.] *Usus*, qui alias dicitur *victus*, *alimenta* significat; cf. Liv. IV, 12, 10. *Vendere, quod usu menstruo superesset.* Tacit. Ann. IV, 30, 1. *Dandos vitae usus, cui vita concederetur.* — *Cultus corporis* intelligendus de *veste ac tenui suppellectili domestica.* Idem hominum genus Sallustius describit Iug. 73, 6. *Opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitae erant.*

3. *post eum diem*] i. e. die post, vel postero die.

4. *de itinere hostium*] sc. Catilinae et Manlii, cum exercitu ad urbem accedentium.

5. *hominem nobilem*] *Hominem*, non *virum* dicit Sallustius, ubi appositionem non ad laudem, sed generaliter ad ingenii descriptionem refert; cf. Cat. 19, 1. 21, 3. Iug. 70, 2. 77, 1. 85, 10.

in tali tempore] *In* vocabulis, quae temporis vim habent, additur, ubi non tempus simpliciter, sed rerum condicio, quae aliquo tempore fuit, significatur; cf. Iug. 66, 3. *Milites palantis, inermos, quippe in tali die, aggrediuntur.* 78, 2.

quam exagitanda] Supplendum *potius* ante *quam*; v. ad Cat. 9, 5.

negotiis privatis] Intelliguntur ne-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

hensi terrerent, eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperen-
5 tur. Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia, alii rem incredibilem rati, pars tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis magis leniunda quam exagitanda videbatur, plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii, conclamant indicem falsum esse,
6 deque ea re postulant uti referatur. Itaque consulente Cicerone frequens senatus decernit: Tarquini indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem faciundam, nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem esset mentitus.
7 Erant eo tempore, qui existumarent, indicium illud a P. Autronio machinatum, quo facilius, appellato Crasso, per societatem pe-
8 riculi reliquos illius potentia tegeret; alii Tarquinium a Cicerone immissum aiebant, ne Crassus more suo suscepto malorum
9 patrocinio rempublicam conturbaret; ipsum Crassum ego postea

gotia pecuniis mutuo sumptis contracta.

conclamant] Verbi subiectum tripartitum est *alii — pars — plerique*.

6. *consulente*] i. e. de ea re referente et sententias rogante; cf. Iug. 15, 2. 28, 2. 39, 2. 62, 10.

videri] *Videri* verbum et similia solenne erat in iudicando et ferenda sententia; cf. Cic. Acadd. II, 47, 146. *Maiores voluerunt, quae iurati iudices cognovissent, ea non ut esse facta, sed ut videri pronunciarent.* Id. de Finn. I, 7, 24. Sall. Cat. 51, 43.

potestatem faciundam] sc. indicandi de coniuratione, quam potestatem sibi expetierat; v. §. 4. Verebantur enim, ne etiam aliis summis viris nominatis aut aliis rebus falsis delatis tota quaestio magnopere impediretur.

7. *machinatum*] Passive, ut Hist. Fr. II, 29, 3. III, 38.

appellato Crasso — illius] Quo magis *appellare* verbum, in quo sententiae vis inest, emineret, Sallustius id non attributum nominis esse voluit (*appellati Crassi* potentia), sed ablativis absolutis usus integrae enunciationis potestatem ei concessit, quo fit, ut et *appellandi* et *legendi* notio accuratius distineatur; cf. Caes. B. G. IV, 21, 6. *Quibus* (legatis) *auditis, liberaliter pollicitus eos domum remittit.* ib. V, 4, 3. *Principibus Treverorum ad se convocatis, hos singillatim Cingetorigi conciliavit.* ib. V, 44, 6. *Quo percusso et exanimato, hunc scutis protegunt.* ib. VI, 43, 1. *Caesar magno coacto numero, — in omnes partes dimittit* (sc. *eos*).

8. *immissum*] i. e. maligno animo incitatum ac subornatum (germanice *angestiftet*); cf. Tacit. Ann. XI, 1, 1. *Messalina Suillium accusandis utrisque immittit.* Iustin. XXXII, 2, 9. *Insidias sibi paratas confingit; ad cuius rei probationem immittit indices.*

more suo] Haec pertinent ad *suscepto mal. patr.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

praedicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam.

XLIX. Sed isdem temporibus Q. Catulus et C. Piso neque precibus neque gratia neque pretio Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges aut per alium indicem C. Caesar falso nominaretur. Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebant, Piso 2 oppugnatus in iudicio pecuniarum repetundarum propter cuiusdam Transpadani supplicium iniustum, Catulus ex petitione pontificatus odio incensus, quod extrema aetate, maxumis honoribus usus, ab adulescentulo Caesare victus discesserat. Res autem opportuna vi- 3 debatur, quod is privatim egregia liberalitate, publice maxumis mu-

praedicantem] i. e. palam pronunciantem; cf. Iug. 14, 12. 108, 3.

XLIX. 1. *Q. Catulus*] De eo v. ad Cat. 34, 3.

C. Piso] Consul fuit a. 67. a. Chr. n. (687. u. c.), ac deinde a. 66. et 65. Galliam Narbonensem administravit.

neque gratia neque pretio] *Gratia*, quae passivo sensu germanice est *Beliebtheit*, activa vi omnia comprehendit benevolentiae, auctoritatis, potentiae munera vel praestita, vel promissa aut sperata. *Pretium* est *pecunia*. Utrumque saepius una cum *gratia* in malam partem coniunctum legitur; cf. Iug. 16, 1. 29, 3. 27, 2. 35, 8. Cat. 52, 33.

per alium indicem] Quoniam immissi atque falsi indicis prorsus diversa ratio fuit ab Allobrogibus, qui rem, qualis erat, indicaverant, iterata post *aut* particulam praepositione opus fuit.

2. *exercebant*] Proprie hoc verbum usurpatur de odio et inimicitiis, quae ad vexandos adversarios progrediuntur; cf. Cat. 9, 2. 51, 16. Hist. Fr. I, 12.

oppugnatus] i. e. graviter vexatus; coniungendum autem hoc participium cum verbis *propter cui. Transp. supplicium*. Non ipse enim Caesar repetundarum Pisonem postulavit; quippe quod fecerunt Allobroges; sed quum ille semel accusatus esset, Caesar hac occasione usus est ad invidiam ei conflandam auctoritatemque eius atque dignitatem minuendam.

Transpadani] Transpadanorum patronus erat Caesar, ut colligitur ex Cic. Epp. ad Famm. XVI, 12, 7.; quare quum iniustum civis supplicium quasi ad ipsum pertineret, magno ob eam rem odio in Pisonem ferebatur.

ex petitione] v. ad Cat. 12, 2.

pontificatus] sc. *maximi*, quod Sallustius, quum res notissima esset, addere neglexit; cf. Suet. Caes. 13. Vell. II, 43, 3.

adulescentulo Caesare] Ita vocatur Caesar, tum tricesimum septimum agens annum, quia seni Catulo opponitur.

3. *res opportuna videbatur*] i. e. *tempus* illud, quo indicia de coniuratione studiose a senatu expetebantur, *commodum videbatur* ad Caesarem machinato crimine *in suspicionem vocandum*.

privatim — publice] Haec non coniungenda cum *debebat* verbo, sed ad proxima pertinent hoc sensu: egregia liberalitate *in rebus privatis* i. e. singulis civibus praestita, maximis mu-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

neribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo atque ementiundo, quae se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant, usque adeo, ut nonnulli equites Romani, qui praesidi caussa cum telis erant circum aedem Concordiae, seu periculi magnitudine seu animi mobilitate impulsi, quo studium suum in rempublicam clarius esset, egredienti ex senatu Caesari gladio minitarentur.

L. Dum haec in senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, praemia decernuntur, liberti et pauci ex clientibus Lentuli divorsis itineribus opifices at-

neribus *in magistratu populo universo exhibitis.*

muneribus] Haec intelligenda sunt tum de splendissimis ludis in aedilitate a. 65. a. Chr. n. editis, tum de ingentibus largitionibus ad obtinendum pontificatum factis.

4. *ementiundo*] Praepositione ita augetur simplicis verbi vis, ut iactantiam quandam et confidentiam in mentiundo significet.

quae se — audisse dicerent] Coniunctivus attractione nititur, siquidem non ipsum *dicendi* verbum, sed id, quod ex eo pendet, ad mentem eorum, de quibus agitur, declarandam pertinet; proprie enim dicendum erat: quae, *ut dicebant*, ex Volturcio aut Allobrogibus *audissent;* cf. Cic. Phil. II, 4, 7. *At etiam litteras, quas me sibi misisse diceret, recitavit* (i. e. quas sibi misissem, ut dicebat). Eadem structurae ratio obtinet in enunciatis caussalibus ex *quod* particula aptis; cf. Cic. de Off. I, 13, 40. Caes. B. C. II, 30, 1. Liv. XXI, 1, 3.

seu — seu] Geminatis his particulis duae caussae ponuntur, quarum utra vera sit, in incerto relinquitur; cf. Cat. 31, 6. Jug. 103, 2.

animi mobilitate] *Mobilitas* quum cernatur eo, si animus re subita et inopinata nimis facile movetur, *levitas iudicii* equitum intelligenda est, qui mendacium illud de Caesare inconsultius crederent. cf. Tacit. Ann. IV, 17, 3. *Ne quis mobiles adolescentium animos — ad superbiam extolleret.*

quo — clarius esset] Pertinent haec ad *minitarentur.* — Ceterum res facta est non eo senatus conventu, quo de detecta coniuratione actum est, qui dies fuit III. Non. Dec. (v. ad c. 48, 1.), sed Nonis accidit Decembribus, quibus de poena coniuratorum consulebatur; cf. Suet. Caes. 14. Scilicet totum caput 49. tanquam quaedam digressio de Caesaris inimicis rerum narrationi interposita est.

L. 1. *dum haec — aguntur*] His verbis auctor ita regreditur ad ea, quae c. 48, 3—9. exposuit, ut simul res sequenti die actas comprehendat.

et dum legatis — decernuntur] Hoc non eodem senatus conventu factum, sed die post, i. e. pridie Non. Dec., ut patet ex Cic. in Cat. IV, 3, 5. 5, 10.

liberti] Ita dicuntur respectu Lentuli manumissoris, non *libertini*, quo vocabulo manumissorum status et condicio designatur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

que servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant, partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rempublicam vexare soliti erant. Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, 2
lectos et exercitatos in audaciam, orabat, ut grege facto cum telis ad sese irrumperent. Consul ubi ea parari cognovit, dispositis 3
praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato senatu refert, quid de iis fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paulo ante frequens senatus iudicaverat contra rempublicam fecisse. Tum D. Iunius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tem- 4
pore consul designatus erat, de iis, qui in custodiis tenebantur, praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumundum decreverat; isque postea, permotus oratione C. Caesaris, pedibus in sententiam Tib. Neronis iturum se dixerat, quod de ea re praesidiis additis referundum cen-

partim] In bimembri oratione *partim* sine correlatione ponitur, ubi impar membrorum ratio est, minore numero in secundo membro obtinente; cf. Cic. in Verr. II, 65, 158. *Accidit, ut statuae, in locis publicis positae, partim etiam in aedibus sacris, per vim deiicerentur.*

multitudinum] i. e. globorum plebis variis locis factorum; v. ad Cat. 14, 5.

qui — soliti erant] i. e. qui cogniti erant iam antea saepe rempublicam vexasse.

2. *lectos*] i. e. eximios, ceteris praestantes, sc. corporis magnitudine et viribus, fortasse etiam fide atque studio in patronum.

exercitatos in audaciam] i. e. exerc. ad audacia facinora patranda; *in* praepositio enim consilium et finem indicat; v. ad Iug. 111, 1.

3. *ubi ea parari cognovit* etc.] Non satis accurate Sallustius haec tradidit. Nam quantum ex Appiano de B. C. II, 5. intelligitur, illa opificum ac servitiorum sollicitatio et conatus vi coniuratos liberandi factus est, quum Nonis Dec. in senatu iam de puniendis coniuratis consulebatur. Igitur non tum demum senatus a Cicerone in aedem Concordiae convocatus est, postquam illis periculis cognitis praesidia disposuit, sed consul, quum multi iam in iisque Silanus et Caesar sententias dixissent, ubi tumultum fieri audivit, senatu parumper relicto praesidia disposuit ad insanorum impetus eludendos. Tum in senatum regressus tanquam ex integro de facto retulit (cf. Cic. in Cat. IV, 3, 5.), orationemque illam habuit, quae est in Catil. *quarta*, sed a Sall. non memoratur. Eam secuta est Catonis oratio, infra c. 52. relata.

contra rempublicam fecisse] Solennis formula, qua quis *parricida* declarabatur; cf. Cat. 51, 43. Cic. p. Mil. 5, 13.

4. *primus sententiam rogatus* etc.] Id more receptum fuit; cf. Tacit. Ann. III, 22, 4. *Tiberius exemit Drusum, consulem designatum, dicendae primo loco sententiae.* Appian. de B. C. II, 5.

decreverat] Plusquamperfecta omnia eo nituntur, quod Sallustius prius latas sententias tacite ad senatus consultum postremo factum refert; v. ad Cat. 24, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

5 suerat. Sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule huiuscemodi verba locutus est:

LI. Omnes homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse
2 decet. Haud facile animus verum provident, ubi illa officiunt, neque
3 quisquam omnium lubidini simul et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet; si lubido possidet, ea dominatur, animus nihil valet.
4 Magna mihi copia est memorandi, patres conscripti, quae reges atque populi ira aut misericordia impulsi male consuluerunt; sed ea malo dicere, quae maiores nostri contra lubidinem animi sui recte
5 atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque advorsa nobis fuit; sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis

pedibus in sententiam etc.] Qui nude alicuius sententiam sequebantur, in eam partem transibant, ubi erat is, qui illam tulerat.

Tib. Neronis] Avus is fuit imperatoris Tiberii.

praesidiis additis] i. e. maioribus praesidiis, quam quae aderant, paratis, quibus omnes coniuratorum conatus reprimi possent; periculosum enim videri poterat sine idonea vi severiore iudicio lato multitudinis animos irritare; cf. Cic. in Cat. IV, 7, 14. *Iaciuntur voces, quae perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam satis praesidii ad ea, quae vos statueritis hodierno die, transigunda.*

LI. 2. *Haud facile* etc.] Singularis orationi gravitas eo quaesita, quod sententias Caesar ἀσυνδέτως iuxta collocat; cf. §. 6. 12. 14. 16. 32. 38.

lubidini et usui] *Lubido* est ratione non coercita cupiditas (*Leidenschaft, leidenschaftliche Willkür*), *usu* significatur id, quod res ipsa suadet aut postulat (*das wahre Interesse*).

paruit] Qui alicui rei *paret*, facit id, quod res quasi imperat; cf. Nep. Alcib. 4, 6. *Plus irae suae quam utilitati communi paruisse.* Cic. p. l. Man. 20, 60. — De vi perfecti v. ad 11, 3.

3. *intenderis*] *Intenditur* ingenium, ubi omnia, quibus mentis acies impeditur aut obscuratur, arcentur.

4. *quae — consuluerunt*] Indicativus eo nititur, quod argumentatio utroque membro ad *res in facto positas* refertur. Ceterum 3. pers. plur. perfecti in *-erunt* exiens, rarissima apud Sallustium, exstat etiam Cat. 20, 10. 45, 3. 51, 9. 51, 38. Iug. 14, 5. 58, 3. 85, 32. 87, 4. et undecies in Hist. Fragm. — De *consulere* verbo v. ad Iug. 95, 3.

populi] v. ad Cat. 6, 4.

5. *quod — gessimus*] Per annos 171—168. a. Chr. n., donec ab Aemilio Paullo pugna ad Pydnam finitum est.

quae — creverat] Quum Rhodii Romanos bello contra Antiochum (a. 191. 190.) studiose adiuvissent, Lyciam et Cariam provincias, regi ademptas, praemio acceperunt; cf. Liv. XXXVII, 56, 5—10. XLV, 22, 2.

infida — fuit] cf. Vell. I, 9, 2.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

divitiarum magis, quam iniuriae caussa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimisere. Item bellis Punicis omnibus, quum saepe 6
Carthaginienses et in pace et per inducias multa nefaria facinora fecissent, numquam ipsi per occasionem talia fecere; magis, quid se dignum foret, quam quid in illos iure fieri posset, quaerebant. Hoc item vobis providendum est, patres conscripti, ne plus apud 7
vos valeat P. Lentuli et ceterorum scelus quam vostra dignitas, neu magis irae vostrae quam famae consulatis. Nam si digna poena 8
pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, iis utendum censeo, quae legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias 9
dixere, composite atque magnifice casum reipublicae miserati sunt; quae belli saevitia esset, quae victis acciderent, enumeravere, rapi virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati, quae victoribus collubuissent, fana atque domos spoliari, caedem, incendia fieri, postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per deos immortalis! quo illa 10
oratio pertinuit? an, uti vos infestos coniurationi faceret? scilicet

Dubia fide speculati fortunam proniores regis partibus fuisse visi sunt.

impunitos eos dimisere] Scilicet quum Rhodii multa humiliter supplicati uno M. Porcio Catone annitente vix obtinuissent ne bello peterentur, ita iis responsum est, ut nec hostes fierent, nec socii permanerent, et ex Lycia Cariaque decederent; cf. Liv. XLV, 25, 4.

7. *item vobis*] i. e. *pariter* vobis (sc. *ut* maioribus vestris) providendum est; cf. infra §. 36. Iug. 31, 7. 47, 4.

consulatis] *Consulere alicui rei* quum sit id facere, quod rei natura exigit, *irae* consulit, qui eam explet, *famae*, qui eam recte agendo consequi studet; cf. Iug. 33, 3. *Dignitati quam irae magis consulens.*

8. *digna poena pro factis*] i. e. si *ratione habita facti eorum* merita et conveniens poena reperitur; cf. Cic. div. in Caec. 13, 42. *Quidnam pro offensione hominum et exspectatione omnium et magnitudine rerum dignum eloqui possim.* In hac structura *dignum* absolute positum est, ut saepe; cf. Cat. 35, 3. 51, 27. Iug. 62, 8.

novum] Non sine quadam invidia dictum significat *insolens, a more Romano institutisque patriis prorsus abhorrens;* cf. infra §. 18.

omnium ingenia] i. e. omnia, quae quis ingenio fingere aut excogitare possit.

9. *composite atque magnifice*] Illud constat eo dicendi artificio, quo omnia, quae ex re sunt, ad propositum diriguntur, omissis et exclusis iis, quae infirma sunt vel obesse possint (germanice *wohlgesetzt*, cf. Cat. 52, 12. Iug. 85, 26. §. 31.); hoc cernitur in ornatu orationis, quum res verbis augentur (germanice *pomphaft*, cf. Iug. 8, 2. 64, 5. 81, 1.).

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quem res tanta atque tam atrox non permovit, cum oratio accen-
11 det! Non ita est; neque cuiquam mortalium iniuriae suae parvae
12 videntur; multi eas gravius aequo habuere. Sed aliis alia licentia est, patres conscripti. Qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna eorum pares sunt; qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt,
13 eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna minuma licentia est; neque studere, neque odisse, sed minume irasci
14 decet; quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia at-
15 que crudelitas appellatur. Equidem ego sic existumo, patres conscripti, omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse; sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus impiis sceleris eorum obliti de poena disserunt, si ea paulo severior fuit.
16 D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certe scio, quae dixerit, studio reipublicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias exercere; eos mores eamque modestiam viri cognovi;
17 verum sententia eius mihi non crudelis (quid enim in talis homines
18 crudele fieri potest?), sed aliena a republica nostra videtur. Nam

quae belli saevitia esset] Haec quo apte coeant cum *enumeravere*, sic capienda: *quae in bello saeva fierent.*

10. *an, uti*] Interrogationis per *an* illatae elliptica est ratio, sic fere explenda: *utrum alio quopiam*, an *eo*, uti etc.; cf. infra §. 21.

scilicet quem etc.] *Scilicet* ironiae vim habet, qua sententia praecedens refellitur; cf. Cat. 52, 28. Iug. 31, 19. Hist. Fr. I, 49, 17.

11. *iniuriae suae*] i. e. sibi illatae; cf. Iug. 14, 8. 20, 4. 24, 6. 83, 6.

habuere] Non aoristus est, quo significetur quod fieri solet, sed perfectum praesentis; v. ad Cat. 11, 4.

12. *demissi*] i. e. humili sorte et vitae condicione utentes.

14. *apud alios*] i. e. *in aliis;* cf. Iug. 106, 6. *Neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.*

in imperio] Insigni breviloquentia et concinnitate dictum pro eo, quod esse debebat: *apud eos, qui in imperio sunt.*

15. *Equidem*] Haec particula, sensu non multum diversa a *profecto*, cum quavis singularis et pluralis numeri persona ita componitur, ut universae sententiae veritatem graviter asserat et confirmet; cf. Iug. 10, 6. 85, 25. Cat. 51, 20. 52, 11. 52, 16. 58, 14.

16. *eos mores eamque modestiam*] Quoniam et *reipublicae studium* et *gratia inimicitiaeve exercitae* ad mores pertinent, auctor eo respiciens et antecedentia complectens *is* pronomen quasi per attractionem sequenti substantivo adiunxit, quum proprie dicendum esset *ita mores — cognovi;* v. ad Cat. 8, 5.

17. *a republica nostra*] Praegnanti sensu est: *a reipublicae nostrae institutis.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

profecto aut metus aut iniuria te subegit, Silane, consulem designatum, genus poenae novum decernere. De timore supervacaneum 19
est disserere, quum praesertim diligentia clarissumi viri consulis
tanta praesidia sint in armis. De poena possumus equidem dicere, 20
id quod res habet, in luctu atque miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse, eam cuncta mortalium mala dissolvere, ultra neque curae neque gaudio locum esse. Sed, per deos im- 21
mortalis! quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadvorteretur? An, quia lex Porcia vetat? At aliae 22
leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent. An, quia gravius est verberari quam necari? Quid 23
autem acerbum, aut nimis grave est in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius est; qui convenit in minore negotio legem 24

18. *aut metus aut iniuria* etc.] Caesar, ut Silanum perperam iudicasse demonstret, hoc dilemmate utitur: aut nimis magna opinio de rei periculo (*metus*), aut res ipsa (*iniuria*, i. e. sceleris gravitas) te subegit; sed neque erat, quod timeres (§. 19.), eoque tantis poenis non opus erat; et si non timebas, sed rei ipsius atrocitate permotus sententiam tulisti, non satis gravem poenam decrevisti (§. 21 sqq.); ergo tua sententia non talis est, quae probetur.

19. *quum praesertim*] i. e. quum ob alias causas, *tum maxime eo, quod;* cf. Iug. 2, 4. 3, 2.

20. *possumus*] Plurali utitur Caesar, quo sententiam de morte non suam solum, sed plurimorum communem esse declaret.

id quod res habet] i. e. quod in re ipsa inest, quae vera rei ratio est.

21. *in sententiam*] i. e. *ut sententiam intenderes et ampliorem redderes; in* cum accusativo enim sententiam non ut iam absolutam, sed ut talem, quae adhuc ferretur, designat.

22. *leæ Porcia*] cf. Liv. X, 9, 4. *Porcia lex sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit.* Non multum diversa fuit lex Valeria, qua cautum erat, ne quis, qui provocasset ad populum, necaretur aut verberaretur; cf. Cic. de Rep. II, 31, 53.

aliae leges] Quas Caesar leges significet, prorsus obscurum est; certe lex Sempronia, ad quam Caesarem aliqua orationis parte respexisse Cicero in Catil. IV, 5, 10. refert, hic intelligi nequit, quippe qua nihil de exilio damnatis permittendo contineretur; cf. Cic. p. Rab. 4, 12.

24. *Sin, quia* etc.] *Sin* particula quum semper referatur ad praegressam enunciationem condicionalem vel accurate expressam (Cat. 52, 16. Iug. 8, 2. 10, 6. 31, 19.), vel ex alia orationis forma eliciendam (Iug. 1, 4. 35, 4. 58, 3.), facilem h. l. habet explicationem, si reputaveris interrogationum praecedentium sensum condicionali sententiae valde esse cognatum. Supplebis autem: sin *eam ob rem in sententiam non addidisti*, quia levius est.

25. *At enim*] *At* particula inservit occupationi sententiae alterius, cui

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

timere, quum eam in maiore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas reipublicae decretum erit? Tempus, dies, fortuna, cuius lubido gentibus moderatur. Illis merito accidet, quicquid evenerit; ceterum vos, patres conscripti, quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis orta sunt. Sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedaemonii devictis Atheniensibus triginta viros imposuere, qui rempublicam eorum tractarent. Hi primo coepere pessumum quemque et omnibus invisum indemnatum necare; ea populus laetari et merito dicere fieri. Post, ubi paulatim licentia crevit, iuxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas servitute oppressa stultae laetitiae gravis poenas dedit. No-

occurratur. Addita *enim* particula spectat ad supplendam sententiam, qua occupatio infertur: *at* — ita *enim* aliquis quaerat — quis reprehendet etc.

parricidas] v. ad Cat. 14, 3.

tempus, dies] Haec ita differre videntur, ut *tempus*, quippe latius patens, praegnanti sensu *universum temporis decursum et longinquitatem* significet, *dies* vero singulas temporis particulas *vario rerum statu discretas* denotet; cf. Liv. II, 45, 2. *Diem tempusque forsitan ipsum lenituram iras.* id. XXII, 39, 12. *Meliores, prudentiores, constantiores nos tempus diesque facit.*

26. *ceterum*] Adversativae particulae sensum accepit hic accusativus, quia, *quae, omissis vel exclusis iis, quae antea dicta sunt, adduntur*, plerumque iis opposita sunt; cf. Ing. 2, 4. 14, 12. 52, 1. 76, 1. 82, 1. 91, 6.

27. *ignaros*] sc. originis bonorum exemplorum. Sensus est: ubi imperium pervenit ad eos, qui vel nesciunt, quomodo aliquod exemplum per se bonum ortum sit, vel eo recte uti nolunt.

novum] Callide Caesar, quod modo *bonum* exemplum dixerat, iam dicit *novum*, quia omnis eius oratio, quo supplicium coniuratorum impediat, eo dirigitur, ut probet *novum consilium* non esse capiendum; cf. §. 18. et 41.

dignis et idoneis] *Dignis* sc. *poenâ*. — *Idonei* h. l. sunt, in quos recte poena constitui aut crudelitas exerceri possit (germanice *geeignete*).

28. *devictis Atheniensibus*] Ex eo, quod *devictis* priorem locum obtinet, coniiciendum videtur haec verba non dativos esse, sed ablativos absolutos, quae structura, quia *caussae* simul atque *temporis* significatum habet, multo aptiorem sensum quam dativus praebet, quo tantummodo obiectum indicatur.

imposuere] Absolute positum verbum significat *praefectum constituere*; cf. Tac. Ann. II, 3, 3. *Dein iussu Augusti impositus Artavasdes.*

29. *ea — laetari*] cf. Ing. 14, 22. *Laetandum magis quam dolendum puto casum tuum.* Cic. Epp. ad Famm. VII, 1, 1. *Utrumque laetor.*

30. *iuxta*] i. e. sine discrimine, pariter.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

stra memoria victor Sulla, quum Damasippum et alios eiusmodi, qui malo reipublicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnae 33
initium cladis fuit. Nam uti quisque domum aut villam, postremo vas aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors lae- 34.
titiae fuerat, paulo post ipsi trahebantur, neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit. Atque ego haec 35
non in M. Tullio, neque his temporibus vereor; sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio con- 36
sule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi; ubi hoc exemplo per senati decretum consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet, aut quis moderabitur? Maiores nostri, patres 37
conscripti, neque consili neque audaciae umquam eguere, neque illis superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, in- 38
signia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt; postremo quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur; imitari quam invidere bonis malebant. Sed 39
eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animad-

32. *Damasippum*] L. Iunius Damasippus, a. 82. a. Chr. praetor urbanus, Marii minoris partibus addictus, crudelissime in Sullanos saeviit; cf. Vell. II, 26, 2.

malo] Ablativus est; cf. §. 5.

qui — exagitaverant] v. ad Cat. 14, 7.

35. *Atque ego*] Ita loqui solent Latini, ubi auctor rebus expositis ad suam sententiam explicandam transit; cf. Iug. 4, 3. 14, 3. 31, 21. 85, 12.

36. *finem*] sc. ex lubidine in cives saeviendi.

37. *eguere — obstabat*] A perfecto ita transitur ad imperfectum, ut illud rem praeterito tempore factam simpliciter referat, hoc rem cum illa coniunctam eamque continuatam designet; cf. Cat. 10, 1. 12, 1. 51, 32. Iug. 70, 5.

38. *quod ubique*] v. ad Cat. 21, 1.

imitari] sc. *bona*, qui casus ex sequentibus supplendus est; cf. Iug. 1, 5. *Neque regerentur magis quam regerent casus.*

bonis] Neutrum hoc esse eo patet, quod in antegressis non de hominibus, sed de *exemplis* aliorum et *institutis* agitur. — *Invidere* c. dativo rei coniunctum legitur etiam Iug. 85, 18.

39. *eodem illo tempore* etc.] Quod tempus aut quem Graeciae morem intelligat Caesar, adeo obscurum est, ut nihil plane de ea re possit definiri.

40. *tum lex* etc.] Quo gravius in comparatione temporum seriores res

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

vortebant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant.
40 Postquam respublica adolevit, et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiuscemodi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exilium
41 damnatis permissum est. Ego hanc caussam, patres conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto.
42 Profecto virtus atque sapientia maior in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta
43 vix retinemus. Placet igitur eos dimitti et augeri exercitum Catilinae? Minume; sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxume opibus valent; neu quis de iis postea ad senatum referat, neve cum populo agat; qui aliter fecerit, senatum existumare, eum contra rempublicam et salutem omnium facturum.

LII. Postquam Caesar dicundi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie assentiebantur; at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, huiuscemodi orationem habuit:

2 Longe mihi alia mens est, patres conscripti, quum res atque pericula nostra considero, et quum sententias nonnullorum ipse
3 mecum reputo. Illi mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere; res au-

prioribus opponantur, in apodosi *tum* positum est; cf. Cat. 2, 2. Iug. 94, 3. 106, 6.

quibus legibus] Repetitur in relativis enunciatis nomen, quando Latini rem, de qua agitur, planissime intelligi ac teneri volunt, velut h. l., ubi Caesar nihil *contra leges* novandum esse inculcat.

42. *qui ea bene parta*] Haec ita ad antegressum *imperium* referuntur, ut, quae antea in unum comprehenduntur, iam in singulas partes, quibus imperium constat, velut opes, divitias, gloriam, auctoritatem, diducta cogitentur.

43. *Placet igitur* etc.] Interrogatio a Caesare fingitur ab aliquo inferri ad ipsum redarguendum; cf. Hist. Fr. I, 49, 24. III, 81, 14. Iug. 31, 18.

et augeri] i. e. et *iis dimissis* augeri.

pecunias] i. e. bona, opes.

in vinculis habendos etc.] cf. Cic. in Cat. IV, 4, 8. *Adiungit gravem poenam municipibus, si quis eorum vincula ruperit; horribiles custodias circumdat* etc.

existumare] v. ad Cat. 48, 6.

LII. 1. *verbo*] i. e. breviter, sine prolixiore sententiae explicatione.

varie] i. e. varias sententias, quae iam dictae erant, secuti

2. *ipse mecum*] *Ipse* pronomen quum eam vim habeat, ut cetera omnia excludat et removeat, sensus est: quum sententias nonnullorum, *nihil motus ceterorum assensu, ita, uti mihi videntur*, reputo.

3. *aris atque focis*] Haec coniuncta respondent praecedentibus coniun-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tem monet cavere ab illis magis quam quid in illos statuamus consultare. Nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc 4
nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra iudicia implores; capta urbe nihil lit reliqui victis. Sed, per deos immortalis! vos ego ap- 5
pello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vostras pluris quam rempublicam fecistis; si ista, cuiuscumque modi sunt, quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vostris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando et capessite rempublicam. Non agitur de 6
vectigalibus, neque de sociorum iniuriis; libertas et anima nostra in dubio est. Saepenumero, patres conscripti, multa verba in hoc 7
ordine feci, saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortalis ea caussa advorsos habeo. Qui mihi 8
atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed ea tametsi vos 9
parvi pendebatis, tamen respublica firma erat; opulentia neglegentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonisne an malis mori- 10
bus vivamus, neque quantum aut quam magnificum imperium populi Romani sit, sed haec, cuiuscumque modi videntur, nostra, an no-

ctis; nam ut *patria et parentes* (Cat. 6, 5. Iug. 87, 2.) comprehendunt ea, quae omnibus esse debent *carissima*, ita *arae atque foci* significant res omnibus *sanctissimas*. Porro ut *patria* latius patet quam *parentes*, ita *arae*, universo deorum cultui destinatae, respondent *patriae; — foci*, ubi lares domestici erant positi, angustiore sensu referuntur ad *parentes*.

5. *ista*] i. e. has res *vestras*, has res *vobis caras; iste* enim ea demonstrat, quae secundae sunt personae; cf. §. 27. 40, 3.

aliquando] Praegnanti sensu est *tandem aliquando;* cf. Iug. 14, 21. 62, 1. 102, 5.

capessite rempublicam] i. e. acri cura ea, quae reipublicae utilitas postulat, suscipite; cf. Iug. 85, 47.

7. *Non agitur de vectigalibus* etc.] Simillimus locus est Iug. 31, 25. *Non peculatus aerari factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae; quae quamquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur. Hosti acervumo prodita senatus auctoritas, proditum imperium vostrum.*

ea caussa] i. e. eius rei caussa; v. ad Cat. 8, 5.

8. *gratiam fecissem*] i. e. veniam dedissem, vel: qui, si quando deliquissem, nunquam non ob id mihi displicuissem. cf. Iug. 104, 5. Hist. Fr. III, 84.

condonabam] i. e. inultam impunemque vel sinebam, vel esse debere censebam; cf. Iug. 27, 2.

9. *opulentia*] Ablativus est, hoc sensu: respublica opulentiâ suâ atque amplitudine hoc consequebatur, ut ex magistratuum neglegentia detrimentum non acciperet; cf. Cat. 24, 3. 37, 7.

11. *Hic*] i. e. *his rebus ita comparatis.* Utuntur hac voce Latini, ut aliquem cum indignatione coarguant,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

11 biscum una hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. Iampridem equidem nos vera vocabula rerum amisimus; quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, eo respublica in extremo sita est. 12 Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerari; ne illi sanguinem nostrum largiantur, et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum 13 eant. Bene et composite C. Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, credo, falsa existumans ea, quae de inferis memorantur, divorso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, 14 foeda atque formidolosa habere. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos, videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis aut a 15 multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint, aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. 16 Quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit; sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert

male eum et rei non convenienter agere aut dicere.

mihi] Interiecto hoc dativo ethico Cato significat, quantopere *sibi* mansuetudinis commemoratio *improbetur ac displiceat.*

quisquam] Caesarem intelligi in promptu est; cf. c. 51, 5—6. Ceterum *quisquam* pronomine, in negativis sententiis poni solito, non negatur aliquem misericordiam nominare, sed hoc dicitur, esse aliquem, qui, *quod vix credibile videatur*, misericordiam nominet.

equidem] v. ad Cat. 51, 15.

12. *sane*] h. l. concedentis est: *non impedio;* cf. Iug. 31, 8.

in furibus aerari] i. e. ubi agitur de furibus aerari.

ne illi — largiantur] Simplici ac vulgari prohibendi potestate haec praedentibus ἀσυνδέτως opponuntur omissa *sed* particula.

13. *composite*] i. e. consilio suo convenienter; v. ad Cat. 51, 9.

divorso itinere — habere] Per breviloquentiam dictum est pro eo, quod est: itinere a bonis divorso *in* loca tetra — *devenire eaque* habere.

14. *videlicet timens* etc.] Cum acerba ironia Cato his verbis suspicionem tangit initae a Caesare societatis cum coniuratis.

15. *et non* etc.] Quum aliena enunciatum adiecta negativa sententia corrigitur, pro simplici *non* ponitur *et non* vel *ac non;* cf. Iug. 4, 8. *Proinde quasi praetura et consulatus — per se ipsa clara sint, ac non perinde habeantur* etc. Cic. Epp. ad Famm. III, 2, 6. *Si res verba desideraret, ac non per se ipsa loqueretur.*

16. *sin — solus non timet* etc.] Validius etiam quam paulo ante Cato his verbis innuit, non dubitare se, quin Caesar in occulto coniurationis particeps fuerit. Quare etiam se-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

me mihi atque vobis timere. Quare quum de P. Lentulo ceterisque 17
statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinae et de
omnibus coniuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto 18
illis animus infirmior erit; si paululum modo vos languere viderint,
iam omnes feroces aderunt. Nolite existumare, maiores nostros 19
armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, 20
multo pulcherrumam eam nos haberemus; quippe sociorum atque
civium, praeterea armorum atque equorum maior nobis copia quam
illis est. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere, quae nobis 21
nulla sunt, domi industria, foris iustum imperium, animus in con-
sulendo liber, neque delicto neque lubidini obnoxius. Pro his nos 22
habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opu-
lentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos
discrimen nullum, omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque 23
mirum; ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi
voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis, eo fit, ut impetus
fiat in vacuam rempublicam. Sed ego haec omitto. Coniuravere 24
nobilissumi cives patriam incendere, Gallorum gentem infestissumam
nomini Romano ad bellum accersunt, dux hostium cum exercitu
supra caput est: vos cunctamini etiam nunc et dubitatis, quid intra 25

quentia, *vos simul — de omnibus coniuratis decernere* aperte in Caesarem dicta sunt.

18. *feroces aderunt*] i. e. cum ferocia instabunt impetumque facient. De *adesse* verbo cf. Iug. 50, 4.

21. *neque delicto neque lubidini obnoxius*] Utroque consulendi libertas impeditur; nam qui *delicto obnoxius* est, conscientia culpae pressus *non audet* libere consulere; *lubidini obnoxius* impotenti cupiditate abreptus *non valet* verum rectumque in consulendo sequi.

22. *sequimur*] i. e. appetimus ac dediti sumus.

possidet] i. e. *ut sua occupavit* (germanice *hat in Beschlag genommen*).

23. *separatim sibi quisque*] sc. ut cuique utile est et conducit.

ubi — capitis, ubi — servitis] *Ubi* non habet *caussae* significationem, quam exspectes; sed auctor temporis et caussae rationem ita coniungit, ut exorsus per *ubi* particulam (= *nunc, quum*) a praesentis status descriptione addat *eo fit, ut*, quo sententia multo vividius et gravius declaratur, quam si dixisset *quum — capiatis, quum — serviatis, impetus fit in remp.*

impetus fiat etc.] Tecte hic quoque Caesarem peti haud improbabile est.

vacuam] i. e. desertam ab iis, qui eam tueri debebant.

24. *Coniuravere — incendere*] Infinitivi ratio eo constat, quod *coniuravere* sensu non differt a *coniuratione facta constituere.*

25. *cunctamini*] i. e. cum cunctatione deliberatis.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

26 moenia deprensis hostibus faciatis? Misereamini, censeo — deliquere homines adulescentuli per ambitionem — atque etiam armas-
27 tos dimittatis. Ne ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi
28 arma ceperint, in miseriam convortet. Scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; sed inertia et mollitia animi alius alium exspectantes cunctamini, videlicet dis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam saepe in maxumis periculis
29 servavere. Non votis neque suppliciis mulierbribus auxilia deorum parantur; vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt; ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequicquam deos
30 implores; irati infestique sunt. Apud maiores nostros T. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in
31 hostem pugnaverat, necari iussit, atque ille egregius adulescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit; vos de crudelissumis parricidis quid statuatis cunctamini? Videlicet cetera vita eorum
32 huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si dis aut hominibus umquam ullis pepercit;
33 ignoscite Cethegi adulescentiae, nisi iterum iam patriae bellum fe-
34 cit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Caepario loquar? quibus si quicquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de republica

deprensis hostibus] Non sunt ablatt. absoll., sed vel dativi vel ablativi simplices; utrumque enim eodem sensu dicitur; cf. Cat. 55, 2. Iug. 85, 17.

26. *Misereamini, censeo*] gravis ironia huius loci non in peculiari quodam usu verbi *censeo*, sed in universa sententia inest. Germanice reddas: *Hab Mitleid, so lautet mein Spruch.*

atque etiam] *Etiam* non ad *dimittatis*, sed ad *armatos* pertinet.

29. *prospere omnia cedunt*] cf. Cat. 26, 5. *Postquam — neque petitio neque insidiae — prospere cessere.* Iug. 20, 5.

30. *bello Gallico*] Non *Gallico* sed *Latino* bello Manlium necari iussisse filium multis scriptorum testimoniis constat. Quare Sallustius illud bellum, quo Manlius Gallo caeso *Torquati* cognomen invenit, cum eo confudisse videtur, quo severae disciplinae exemplum in filio edidit.

31. *cetera vita — obstat*] i. e. cetera vita tam integra et honesta est, ut propter illam hoc scelus iis condonari possit.

33. *iterum iam*] i. e. *intra breve tempus secundo.* Quippe innuit Cato Cethegum etiam prioris coniurationis (cf. c. 18.) fuisse participem.

34. *Nam* etc.] Haec non referuntur ad ea, quae praecedunt, sed ad supplendam sententiam fere talem: *satis est haec commemorasse;* cf. Cat. 58, 20. Iug. 19, 2. 24, 9. 31, 2. 82, 2. 88, 5.

non ea consilia] *Non* coniungendum cum *ea* pronomine, non cum verbo.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

habuissent. Postremo, patres conscripti, si mehercule peccato locus esset, facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urget, alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes, neque parari neque consuli quicquam occulte potest: quo magis properandum est. Quare ita ego censeo: quum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, iique indicio T. Volturci et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem, incendia, aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum supplicium sumundum.

LIII. Postquam Cato assedit, consulares omnes itemque senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad coelum ferunt; alii alios increpantes timidos vocant, Cato clarus atque magnus habetur; senati decretum fit, sicut ille censuerat.

Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset.

35. *mehercule*] i. e. *re vera, utique, profecto;* cf. Hist. Fr. I, 56, 17. *Quando mehercule avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit.* Vatinius in Cic. Epp. ad Famm. V, 10, 2. *Si mehercule Appii os haberem, — tamen hoc sustinere non possem.*

faucibus urget] Eodem sensu hoc dictum est, ut §. 24. *dux hostium cum exercitu supra caput est* (germanice *hat uns bei der Gurgel*); cf. Cic. p. Cluent. 31, 84. *Istam conciliationem gratiae Staienus tum recenti re, quum faucibus premeretur, excogitavit.* Plaut. Cas. V, 3, 4. *Manifesto faucibus teneor.*

in sinu urbis] i. e. in senatu; cf. Cic. in Cat. I, 2, 5. *Ducem hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus.*

36. *de manifestis rerum capitalium*] *Manifesti rei cap.* sunt, qui in ipsa re deprensi aut talibus indiciis ac testimoniis convicti sunt, ut, quin noxii sint, nullo modo dubitari possit; cf. Iug. 35, 8. *Iugurtha manifestus tanti sceleris.* v. ad Cat. 41, 5.

LIII. 1. *consulares omnes*] Consularium quum in senatu esset maxima auctoritas, a ceteris senatoribus separatim nominantur.

2. *multa legendi* etc.] *Multa* non ad *facinora* pertinet, sed cum participiis coniunctum hunc sensum habet: mihi *multa lectione, multa auditione cognoscenti* praeclara facinora, quae pop. Rom. — fecit.

tanta negotia sustinuisset] i. e. tantis negotiis *gerendis par fuisset;* cf. Cic. de Off. I, 34, 124. *Est proprium munus magistratus intelligere, se gerere personam civitatis, debereque eius dignitatem et decus sustinere.*

3. *Sciebam* etc.] Enumerat auctor insigni breviloquentia ea, quae, quamquam Romanis ad magnitudinem obstare videbantur, tamen non

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

3 Sciebam, saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse, cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus, ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse, facundia 4 Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta pa-travisse, eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas 5 superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat, ac, sicut effeta aetate parentum, multis tempesta-6 tibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit. Sed memoria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere viri duo, M. Cato et C. Caesar; quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

LIV. Igitur his genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere; 2 magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. Caesar beneficiis atque munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignita-

impediverant, quominus illi praeclaris facinoribus maximi fierent.

legionibus hostium] Romanae militiae vocabula interdum sensu minus proprio ad exteras gentes transferuntur; cf. Iug. 79, 4. 49, 2. 80, 2. Liv. XXVI, 7, 10. *Hannibal deductas nocte ad fluvium legiones ante lucem traiecit.*

parva manu — contendisse] sc. ita, ut vincerent.

copiis] i. e. *opibus*; cf. Iug. 14, 7. *Rex genere, fama atque copiis potens.*

bella gesta] sc. prospero eventu.

violentiam toleravisse] i. e. violentiae fortiter restitisse.

facundia — ante Rom. fuisse] i. e. praestitisse, et tamen ab iis subactos esse.

5. *rursus*] i. e. contra, inverso modo; cf. Iug. 69, 1.

magnitudine sua — sustentabat] i. e. magnitudine sua id consequebatur, ut imperatorum vitiis non labaret ac perderetur.

sicut effeta aetate parentum] i. e. *plane ut fieri solet, quum aetas parentum effeta est*, sc. ut robustos liberos gignere non amplius, valeant. Comparatur *reipublicae aetas fracta* virtutumque sterilis cum *parentum aetate effeta* ac prolis experte.

6. *Non fuit consilium*] Perfecto utitur Sallustius, quia non respicit ad id tempus, quo haec scripsit, sed quo primum de aperiundis Caesaris et Catonis moribus cogitavit. Ex eadem caussa repetendum *obtulerat*. cf. Iug. 30, 4. 95, 2.

LIV. 1. *Igitur*] Indicatur hac particula, auctorem iam ad id accedere, de quo se dicturum esse antea significaverat; cf. Iug. 95, 3.

aetas] Caesar natus fuit a. 100. a. Chr., Cato a. 95.

alia alii] Quum ad diversitatem gloriae designandam utique opus

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscendo, Cato nihil 3
largiundo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in
altero malis pernicies; illius facilitas, huius constantia laudabatur.
Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis 4
amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare, quod dono dig-
num esset; sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum ex-
optabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, 5
decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, ne-
que factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto
pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse quam videri bo-
nus malebat; ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illum se-
quebatur.

LV. Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discess- 1
sit, consul optumum factu ratus noctem, quae instabat, antecapere,
ne quid eo spatio novaretur, triumviros, quae supplicium postula-
bat, parare iubet; ipse, praesidiis dispositis, Lentulum in carcerem 2
deducit; idem fit ceteris per praetores. Est in carcere locus, quod 3

esset *alia* voce, necessarium fuit ei ex aequo respondere *alii*, licet de duobus sermo sit, quae ratio per se *alterum* adiectivum exigit; cf. Liv. I, 21, 6. *Ita duo deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace civitatem auxerunt.*

3. *nihil largiundo*] i. e. *nihil*, sc. quod cum honesto pugnaret, *concedendo, in nulla re connivendo.*

facilitas — constantia] Illa germanice est *Geschmeidigkeit, Gefügigkeit*, haec *unerschütterliche Festigkeit.*

4. *neglegere — denegare*] Infinitivi historici sunt.

quod dono dignum esset] i. e. quod cum dignitate donari posset.

novum bellum] i. e. tale, quod vel contra gentes nondum cognitas aut subactas gereretur, vel quod ipso genere insolitum esset. Sallustium intelligere bella contra Gallos, Germanos, Britannos gesta in promptu est.

5. *factione*] *Factio* quum proprie sit eorum, *qui una faciunt ad aliquid obtinendum*, semper cum invidia dicitur de paucorum optimatium societate inita ad potentiam quovis modo parandam; cf. Iug. 31, 4; 15, 41, 1; 6. 85, 3. Inde *factiosus* significat *factionis studiosum* aut *factione pollentem.*

innocentia] v. ad Cat. 12, 1.

illum sequebatur] *Sequi aliquem* dicuntur ea, quae non quaesita quasi sua sponte ex aliqua re alicui contingunt; cf. Cat. 3, 2. 12, 1. Hist. Fr. I, 56, 9. IV, 20, 22.

LV. 1. *triumviros*] Intelliguntur *triumviri capitales*, quorum erat curam carceris et suppliciorum habere, sacramentum exigere, securitati publicae prospicere.

2. *deducit*] *Deducere aliquem* proprie dicuntur ii, qui eum vel honoris, vel praesidii, vel custodiae caussa comitantur.

ceteris] v. ad Cat. 52, 25.

3. *quod Tullianum appellatur*] No-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Tullianum appellatur, ubi paululum ascenderis ad laevam, circiter
4 duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus vincta, sed inculto, tene-
5 bris, odore foeda atque terribilis eius facies est. In eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus
6 praeceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille patricius ex clarissuma gente Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem modo supplicium sumptum est.

LVI. Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit, co-
2 hortis pro numero militum complet; deinde, uti quisque voluntarius aut ex sociis in castra venerat, aequaliter distribuerat, ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, quum initio non
3 amplius duobus milibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, uti quemque casus
4 armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudis portabant. Sed

men traxit a Servio Tullio, qui carcerem ab Anco aedificatum (v. Liv. I, 33, 8.) firmavit illaque parte auxit; cf. Varro de L. L. IV, 32. *Carcer a coercendo, quod exire prohibentur. In hoc pars, quae sub terra, Tullianum, ideo quod additum a Tullio rege.*

ascenderis] Nimirum quum summa pars Tulliani, quod putei formam habebat, aliquot pedibus supra planum emineret, paululum ascendendum erat, quo ad aperturam perveniretur. Universa altitudo Tulliani duodecim erat pedum.

humi] Noli accipere pro *humum;* locus ille quia iam ut effectus describitur, *in humo esse* dicendus fuit.

5. *vindices rerum capitalium*] Non sunt ipsi triumviri, sed eorum iussibus parentes *carnifices*, servorum publicorum genus.

6. *consulare imperium*] v. ad c. 17, 3.

exitium vitae] Priscum dicendi usum secutus Sallustius *exitium* posuit pro *exitu* i. e. *fine.*

LVI. 1. *ex omni copia*] *Copia* de militibus dictum indefinitam multitudinem significat, ut magis numeri quam alius rei ratio habeatur; cf. Cat. 61, 5. Hist. Fr. Inc. 1.

pro numero militum] i. e. legionis quidem decem cohortes fecit, sed quum singulis cohortibus non legitimum numerum attribuere posset, tantas eas fecit, quantas patiebatur suorum numerus.

2. *voluntarius aut ex sociis*] i. e. extra coniurationem (cf. c. 39, 5.) aut ex coniuratis.

distribuerat — expleverat] Plusquamperfecta dicuntur respectu earum rerum, quae postea factae sunt; v. ad Cat. 24, 1.

3. *praeacutas sudis*] Sudes, quo facilius acuerentur, igni torrebantur; cf. Hist. Fr. III, 77, 1. Caes. B. G. V, 40, 6. *Multae praecustae sudes, magnus muralium pilorum numerus instituitur.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere, modo ad urbem modo in Galliam versus castra movere, hostibus occasionem pugnandi non dare; sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnae copiae concurrebant, opibus coniurationis fretus, simul alienum suis rationibus existumans, videri caussam civium cum servis fugitivis communicavisse.

LVII. Sed postquam in castra nuntius pervenit, Romae coniurationem patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque, quos supra memoravi, supplicium sumptum, plerique, quos ad bellum spes rapinarum aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur; reliquos Catilina per montis asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit, eo consilio, uti per tramites occulte perfugeret in Galliam Transalpinam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat, ex difficultate rerum eadem illa existumans, quae supra diximus, Catilinam agitare. Igitur ubi iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movet, ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam properanti. Neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditus in fuga sequeretur. Sed Catilina postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in

4. *postquam — adventabat*] germanice: *nachdem A. — im Anzuge war.*

5. *servitia — cuius*] *Cuius* ita refertur ad *servitia*, ut definitae eius vocabuli notioni plane generalis et indefinita *rei* notio substituatur, quo fit, ut pronomen neutro genere positum non minus late pateat, quam si eius loco adverbium positum esset, quod facile senties, si reputaveris etiam germanice recte dici posse: er wies *die Sclaven* zurück, *wovon* Anfangs eine grosse Menge zu ihm zusammenströmte. cf. Hist. Fr. III, 81, 15. *Ne vos ad virilia illa vocem, quo* (germanice: *wodurch*=durch welche) *tribunos plebei — maiores vostri paravere.* Liv. XLII, 8, 7. *Placere senatui, M. Popillium Ligures restituere in libertatem, bonaque ut iis, quicquid eius* (germanice: was *davon*) *recuperari possit, reddantur curare.* Quam facile autem ad hunc neutrius usum procedi potuerit, ex eo patet, quod pronomen, ad praegressum substantivum relatum, interdum non cum illo congruit, sed *res* vocem adiunctam habet, quo sensus efficitur a solo pronominis neutro non diversus; cf. Caes. III, 47, 7. *Pecus vero, cuius rei summa erat ex Epiro copia, magno in honore habebant.* ib. III, 58, 4. *Pabulum supportare; quoque erat eius rei minor copia, hordeo adaugere.*

LVII. 2. *praesidebat*] i. e. imperabat, eoque regioni illi praesidio erat.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

urbe res advorsas, neque fugae neque praesidi ullam spem, optumum factu ratus in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque, concione advocata, huiuscemodi orationem habuit:

LVIII. Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere; neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exer-
2 citum oratione imperatoris fieri. Quanta cuiusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet; quem neque gloria neque pericula excitant, nequicquam hortere; timor animi
3 auribus officit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi, simul
4 uti caussam mei consili aperirem. Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi nobisque cladem attulerit, quoque modo, dum ex urbe praesidia opperior, in Galliam profi-
5 cisci nequiverim. Nunc vero quo loco res nostrae sint, iuxta me-
6 cum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant; diutius in his locis esse, si maxume animus ferat,
7 frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet; quocunque ire pla-
8 cet, ferro iter aperiundum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis, et quum proelium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in
9 dexteris vostris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt,
10 commeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt; sin metu

ex difficultate] v. ad Cat. 12, 2.

supra] i. e. in proxime antecedentibus. Inverso modo *infra* dictum Cat. 34, 3. 44, 4.

3. *Neque tamen*] *Tamen* refertur ad suppressam concedendi sententiam fere talem: *quamquam autem Metellus ita tenebat Catilinam, ut effugere non posse videretur*, tamen etiam Antonius non procul aberat. cf. Cat. 19, 1. 24, 2. 26, 2.

4. *locis aequioribus*] Coniungenda haec cum *expeditus* voce indicant, qua re effectum sit, ut expeditus esset.

in fuga] i. e. quum fuga esset, sc. hostium. — *Sequi* absolute positum.

LVIII. 1. *addere*] Absolute dictum valet *dare*, *tribuere*, *afferre* (germ. *verleihen*).

ex ignavo — ex timido] *Ignavus* est, qui *ingenio* parum valet, *timidus*, qui *animo* abiecto est.

2. *audacia*] i. e. virtus agendo conspicua (*Energie*); cf. Cat. 9, 3. 51, 17.

moribus] *Mores* ubi *naturae* opponuntur, significant id, cui vel institutione vel usu assuevimus.

timor animi] cf. Iug. 20, 1. 57, 6.

auribus officit] cf. Hist. Fr. I, 95. *Quasi formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua competere.*

4. *equidem*] v. ad Cat. 51, 15.

5. *quo loco*] i. e. quo statu, sc. afflicto ac desperato.

9. *commeatus abunde*] sc. erit. — De adverbio in praedicato *esse* verbi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

cesserimus, eadem illa advorsa fient; neque locus neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non 11
eadem nobis et illis necessitudo impendet; nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacaneum est pro potentia paucorum pugnare. Quo audacius aggredimini, memores pristinae 12
virtutis. Licuit nobis cum summa turpitudine in exilio aetatem 13
agere; potuistis nonnulli Romae, amissis bonis, alienas opes exspectare; quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi 14
decrevistis. Si haec relinquere voltis, audacia opus est; nemo nisi 15
victor pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, quum 16
arma, quis corpus tegitur, ab hostibus avorteris, ea vero dementia est. Semper in proelio iis maxumum est periculum, qui maxume 17
timent; audacia pro muro habetur. Quum vos considero, milites, 18
et quum facta vostra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vostra me hortantur, praeterea necessitudo, 19
quae etiam timidos fortis facit. Nam multitudo hostium ne circum- 20
venire queat, prohibent angustiae loci. Quod si virtuti vostrae 21
fortuna inviderit, cavete, inulti animam amittatis, neu capti potius sicuti pecora trucidemini, quam virorum more pugnantes cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.

LIX. Haec ubi dixit, paululum commoratus, signa canere iu-

cf. Cat. 21, 1. *Quibus mala abunde omnia erant.* Iug. 87, 4. 94, 1.

11. *non eadem — impendet*] i. e. quae nobis impendet necessitudo, *illis nulla est.*

illis supervacaneum est etc.] *Supervacanea* quum nos non moveant, verborum sensus est: *illi gravem et idoneam caussam non habent*, cur pro pot. pauc. pugnent (germanice: *es ist ihnen gleichgültig*).

14. *haec sequi*] i. e. in hanc periculosam et aleae plenissimam contentionem de libertate et dignitate descendere.

15. *haec relinquere*] i. e. ex his periculis exire; quippe quae subeunda erant, antequam ad meliorem fortunam perveniri potest.

16. *ea vero*] v. ad Cat. 7, 6.

17. *audacia — habetur*] i. e. qui habet audaciam, quasi murum habet; cf. Cat. 1, 4.

19. *me hortantur*] sc. ut ita sperem.

20. *Nam multitudo* etc.] *Nam* refertur ad supplendam sententiam: *neque timorem mihi facit hostium numerus;* cf. ad Cat. 52, 34.

LIX. 1. *signa canere iubet*] Intransitive dicitur *signa canunt* (cf. Iug. 99, 1.); quare *signa* h. l. accusativus subiecti est ex *iubet* aptus.

2. *uti — erat*] v. ad Cat. 31, 7.

ab dextera rupe aspera] *Aspera* vox substantive posita et *rupe* ablativo definita accusativus est ex *inter* praepositione pendens; *ab dextera* praecedenti adiectivo *sinistros* respondet. Planities igitur talis erat, ut

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

bet, atque instructos ordines in locum aequum deducit. Dein, remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. 2 Nam, uti planities erat inter sinistros montis et ab dextera rupe aspera, octo cohortis in fronte constituit, reliquarum signa in subsidio artius collocat. 3 Ab his centuriones, omnis lectos, et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextra, Faesulanum quendam in sinistra parte curare iubet; ipse cum libertis et colonis propter aquilam assistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu 4 habuisse dicebatur. At ex altera parte C. Antonius, pedibus aeger, quod proelio adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permit- 5 tit. Ille cohortis veteranas, quas tumulti caussa conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat; ipse equo circumiens unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat, ut meminerint, se contra latrones inermis, pro patria, pro liberis, 6 pro aris atque focis suis certare. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

a sinistra *montes* essent, a dextera *loca propter rupem aspera*.

3. *ab his*] i. e. ab ea parte, ubi subsidium erat, amotos.

omnis lectos] i. e. qui omnes lecti erant (*lauter ausgesuchte Leute*); cf. Iug. 103, 1. Tria autem hominum genera distinguuntur, centuriones, evocati, gregarii milites.

evocatos] Ita dicebantur, qui stipendiis expletis, unde magnus iis erat militiae usus, ultro nomen dabant.

optumum quemque armatum] i. e. fortissimum quemque, qui armis instructus esset; non omnes enim arma habebant, ut dictum c. 57, 6.

curare] i. e. officia ducis obire; cf. Iug. 46, 7. 57, 3. 60, 1. 5. 100, 2.

colonis] Intelliguntur Sullae veterani, quibus illa regio data fuerat; cf. ad c. 28, 4. Eos omnes *evocatos* fuisse valde verisimile est.

4. *M. Petreio*] Idem esse videtur, qui quattuordecim annis post Pompeii legatus in Hispania a Caesare victus est.

5. *tumulti*] *Tumultus* subitum est belli periculum, cui celeriter occurrendum est; cf. Cic. Philipp. VIII, 1, 2. *Bello vacationes valent, tumultu non valent.*

pro aris] v. ad Cat. 52, 3.

6. *homo militaris*] v. ad Cat. 45, 2.

praefectus] sc. alae equitum, cuius maior erat dignitas quam tribunorum.

ipsos] Germanice est *persönlich*; cf. Iug. 52, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

LX. Sed ubi, omnibus rebus exploratis, Petreius tuba signum dat, cohortis paulatim incedere iubet, idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum est, unde a ferentariis proelium committi posset, maxumo clamore cum infestis signis concurrunt, pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani, pristinae virtutis memores, cominus acriter instare; illi haud timidi resistunt; maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis accersere, omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire; strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petreius ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere, cohortem praetoriam in medios hostis inducit, eosque perturbatos atque alios alibi resistentis interficit; deinde utrimque ex lateribus ceteros aggreditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias seque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissumos hostis incurrit, ibique pugnans confoditur.

LXI. Sed confecto proelio, tum vero cerneres, quanta audacia quantaque vis animi fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors praetoria dis-iecerat, paulo divorsius, sed omnes tamen advorsis volneribus conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paululum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivus, in voltu retinens. Postremo ex omni copia neque in proelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est. Ita cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi

LX. 1. *idem facit* etc.] Ab his verbis apodosis incipit.

2. *a ferentariis*] Genus militum levis armaturae fuit, fundis, glande ac lapidibus pugnantium.

5. *tendere*] i. e. pugnare ac resistere.

alios alibi resistentis] i. e. non amplius acie sed singulatim resistentis.

6. *in primis*] i. e. inter primos, in primis ordinibus.

7. *relictum*] i. e. superesse, ceteris fuga dispersis.

LXI. 1. *tum vero*] v. ad Cat. 51, 4.

2. *quos medios* etc.] i. e. quos *media acie perrupta* cohors praetoria disiecerat; cf. c. 60, 5.

4. *etiam*] i. e. *adhuc*; cf. Cic. in Verr. III, 23, 56. *Quum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus erat; nam strenuissumus quisque aut occiderat in proelio, aut graviter volneratus
8 discesserat. Multi autem, qui de castris visundi aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant; fuere item, qui inimicos suos
9 cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, maeror, luctus atque gaudia agitabantur.

9. *laetitia, maeror* etc.] *Laetitia* ita differt a *gaudiis*, quemadmodum *maeror* a *luctu*, siquidem priora opposita animum designant placide affectum, posteriora eundem significant sensus suos actibus quibusdam prodentem. — De chiasmo v. ad Cat. 2, 5. 14, 2.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI

IUGURTHA

SIVE

DE BELLO IUGURTHINO

LIBER.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ARGUMENTUM.

1. Homines non defectu virium, sed perverso earum usu infirmi sunt; industria et virtute optima quaeque consequuntur.

2. Corporis bona fluxa et fragilia; ingenium aeternum et rerum praestantissimarum efficiens.

3. Verum quum ex iis propter temporum iniquitatem rerum publicarum cura omittenda sit,

4. historiae studium ingenio exercendo aptissimum est. Eius rei excusatio tum ab ipsa eius utilitate tum a corruptis civitatis moribus petitur.

---

5. Belli Iugurthini gravitas. — Superiora Numidici regni tempora. — Iugurthae genus.

6. Is ingenio atque corpore validus popularibusque carus a Micipsa timetur, et

7. perfido consilio ad bellum Numantinum mittitur, ubi virtute et industria eminuit.

8. Ab hominibus factiosis spe imperii accensus a P. Scipione modestiae admonetur, et

9. cum eius litteris honorificis domum dimissus a Micipsa benevole accipitur et adoptatur.

10. Micipsae morientis extrema ad Iugurtham oratio, qua fratres ei commendat.

11. Discordia inter regulos orta. Iugurtha summo Hiempsalis fratris odio incensus,

12. dolo eum interficiendum curat.

---

13. Tum Adherbal, armis frustra tentatis, Romam contendit. Iugurtha, legatis eodem missis, ingentibus muneribus fautores ex nobilitate sibi parat.

14. Adherbalis in senatu oratio. — A patris atque avi memoria exorsus nusquam se auxilium petere posse nisi a Romanis lamentatur; Iugurthae scelus, quam immane sit, docet; familiae suae fidem in Romanos, suam miseriam ac salutis inopiam commemorat; postremo metum iacit, ne Iugurthae gratia apud multos sibi obsit, ac desperatione rerum suarum ad vitae taedium se adigi dicit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

15. Legati Iugurthae impudenter Adherbalem incusant. Varie in senatu pro Iugurtha et pro Adherbale certatur.

16. Fautores Iugurthae vincunt. Legati in Africam missi et a Iugurtha pecunia corrupti regnum inter eum et Adherbalem dividunt.

---

17. Africae descriptio. Eius terrae fines et incolae.

18. Medi, Persae et Armenii in Africam transvecti; inde Mauri et Numidae exorti.

19. Phoenicum plurimae coloniae in ora maritima conditae. Carthaginiensium imperium provincia romana factum. Numidia et Mauretania.

---

20. Iugurtha acrius quam antea Adherbali regnum eripere studet, idque cum exercitu invadit.

21. Adherbal improspere pugnat et Cirtam compulsus obsidetur.

22. Legati Roma ad utrumque regem missi a Iugurtha falsis verbis decipiuntur.

23. Adherbal acri obsidione pressus legatos cum litteris ad senatum mittit auxilium petitum.

24. Litterae Adherbalis, quibus declarat se a Iugurtha ad desperationem actum regnum suum Romanis tradere, quorum iam sit armis nefarium hostem reprimere.

25. Iugurtha, cui factio nobilium patrocinabatur, legatos in Africam missos nihil curans, ab incepto non deterretur, ac

26. Cirta dedita Adherbalem interfecit.

---

27. Tum Romae, Memmio imprimis contra factionem nobilitatis exsurgente, bellum decernitur;

28. Iugurthae legati urbe arcentur; Calpurnius consul cum exercitu Numidiam ingreditur:

29. sed simul cum Scauro a Iugurtha auro corruptus clementibus regem condicionibus in deditionem accepit.

30. Ea re magna Romae indignatio orta Memmio plebem instigante.

31. Memmii oratio in contione. — Professus multis difficultatibus se non deterreri a libertate tuenda ignaviam plebis vituperat, quae nobilium superbiam nimis lente ferat. Quorum quum summa sit vis et impudentia, obviam eundum esse, atque quaestionem habendam in auctores tanti flagitii.

32. Cassius praetor in Africam mittitur ad Iugurtham Romam ducendum, dum praefecti Romani exercitus avaritia corrupti flagitiosissime se gerunt.

33. Iugurtha, Baebii tr. pl. auxilio munitus, a Memmio accusatur, sed

34. quaestio a Baebio impeditur. Eodem tempore Romae

35. Massiva Numida, quia animum in Numidiae regnum intendere videbatur, Iugurtha auctore per Bomilcarem obtruncatur. Tum

36. Albinus cos. bellum redintegrat, sed infectis rebus Romam redit,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

37. ubi turbis tribuniciis comitia impediuntur. — Interea Aulus hieme imprudens expeditionem suscipit,

38. et a Iugurtha in insidias inductus gravissimaque clade affectus cum exercitu sub iugum mittitur.

39. Magna eo consternatio Romae orta; consul Albinus, rebus afflictis mederi frustra quaerens, in Africam abit.

40. Romae auctore C. Mamilio quaestio in eos, qui rem in Africa corruperant, aspere exercetur.

---

41. Digressio de partium studiis. — Concordia post Carthaginem deletam sublata, nobilitatis factio exorta est, quae avaritia et dominationis cupiditate omnia corrupit.

42. A Ti. et C. Graccho tentata libertatis defensio maximas et cruentas contentiones genuit.

---

43. Metellus cos. factus magna cura, omnibus annitentibus, bellum parat.

44. In Africa exercitum incredibiliter corruptum et imbellem accipit.

45. Eum magna sapientia emendat.

46. Iugurthae, iam deditionem offerenti, fidem non habet, sed caute cum exercitu procedit, neque pacata Numidiae facie ad remittendam circumspectionem inducitur.

47. Vagam praesidio occupat, Iugurtham ambigua spe pacis ducit.

48. Is dolo animadverso de integro bellum sumit, ac Metello in itinere insidias struit.

49. Insidiarum ratio; iis Metellus prudenter occurrit.

50. Pugna commissa Romani valde a Numidis premuntur.

51. Metellus aegre sustinet, sed

52. Denique hostes fundit. Interea Rutilio legato periculum a Bomilcare imminet;

53. quo feliciter propulsato, plena victoria a Romanis reportatur.

54. Metellus Iugurtham clade accepta non fractum agris vastandis urget.

55. Victoriae nuntius Romae summo gaudio acceptus. — Iugurtha Romanos continuo lacessit,

56. Metellus Zamam oppugnare parat, dum Marius Siccae repentino Iugurthae impetu in discrimen adducitur.

57. Ad Zamam acriter cum oppidanis pugnatur.

58. Iugurtha castra Romana invadit magnamque perturbationem efficit.

59. Pugna ad castra reiteratur.

60. Zamae oppugnatio virtute oppidanorum frustra est.

61. Metellus in hiberna discedit, et Bomilcarem ad Iugurtham sibi tradendum impellit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

62. Is regi, ut deditionem faciat, persuadet. Qua maximam partem effecta, ille consilii poenitens rursus bellum sumit.

---

63. Marius consulatus cupidine exagitatur. Eius ingenium atque mores.

64. A Metello cum contemptu tractatus, inceptum cupidius persequitur.

65. Gauda Numida equitibusque Romanis in Africa adiutoribus usus per literas favorem populi Rom. quaerit.

---

66. Vagenses, a Iugurtha sollicitati, in praesidium Romanum impetum faciunt.

67. Romani omnes caeduntur.

68. Metellus ulciscendi caussa clam cum exercitu ad Vagam accedit.

69. Urbe capta Vagenses perfidiae graves poenas dant.

---

70. Bomilcar cum Nabdalsa insidias Iugurthae struit.

71. Quibus casu detectis Nabdalsa apud Iugurtham se purgare studet.

72. Bomilcar interficitur; Iugurtha inde ab hoc tempore in summa anxietate agit.

---

73. Marius Romam profectus consul fit.

---

74. Interea Iugurtha, in summas rerum suarum angustias compulsus, parum prospere Metellum aggreditur.

75. Metellus itinere molestissimo per solitudines ad Thalam oppidum, quo Iugurtha fugerat, pergit.

76. Numida evasit; oppidum aegre a Romanis captum; cives se ipsos cum omnibus rebus suis igni corrumpunt.

---

77. Leptitanorum legati a Metello praesidium petunt contra factionem Hamilcaris.

78. Syrtium descriptio. Leptitanorum origo et reipublicae forma.

79. Philaenorum virtus, qui ad patriae fines augendos vitam suam condonaverunt.

---

80. Iugurtha Gaetulorum et Bocchi societate se firmare studet; tum

81. reges coniuncti Cirtam oppidum aggredi constituunt.

82. Metellus iis obviam ire parans, accepto nuntio de Mario consule facto supra modum affligitur. Quare

83. ut bellum intactum traheret, Bocchum spe pacis a societate Iugurthae avertere studet.

---

84. Marius Romae summo plebis studio nova belli auxilia parat, ac simul infestum nobilitati animum prodit.

85. Eius oratio in contione populi.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Exorsus a gravitate ac difficultate muneris sibi delati nobiles ipsi infestissimos vehementer insectatur, qui, quum soli omnes sibi honores arrogent, iis recte gerendis inhabiles sint, atque in summa ignavia sua tamen superbissimi agant. Tum quod sibi imagines desint, quibus illi tantopere glorientur, virtute se et industria compensaturum ostendit, et omnino quantopere illorum vanitatem et luxuriam verae bonaeque artes superent, docet; unde optima quaeque populum de bello sibi demandato sperare iubet.

86. Marius novo modo militibus scriptis, exercitum in Africa accipit,

87. prospere bellum redintegrat, et

88. Iugurtham acriter urget.

89. Tum Capsam, oppidum magnum inter solitudines, petere parat.

90. Summa cura omnibus ad expeditionem provisis,

91. oppidanos nihil metuentes subito invadit, urbem capit et incendit.

92. Ex quo fama auctus, castellum in saxo asperrimo, ubi regis thesauri erant, expugnare intendit; sed loci natura oppugnationem eludente,

93. casu Ligus quidam viam ad castellum invenit;

94. quo duce milites delecti in summum montem enisi castello potiuntur.

---

95. Sullae adventus in castra. Eius genus, ingenium atque mores.

96. Summam belli peritiam brevi consequitur.

97. Iugurtha adiuncto Bocchо ex improviso Marium adoritur;

98. sed militum Romanorum virtute ac Marii consilio impetus frustra est.

99. Postero die Numidarum maxima strages per Marium editur.

100. Tum Marius in hiberna proficiscitur, caute omnia agens.

101. In itinere rursus a Iugurtha et Bocchо in agmen Rom. impetus fit. Post gravem Romanorum perturbationem hostes Marii et Sullae virtute plane funduntur.

---

102. Bocchi rogatu Sulla legatus ad eum missus regem ad pacem faciendam proclivem reddit.

103. Legati Bocchi ad Marium missi, eo absente a Sulla liberaliter habentur; deinde,

104. Mario ex expeditione reverso, Romam eunt; Bocchо a Romanis via gratiae comparandae ostenditur.

105. Sulla, transigendi caussa ad Bocchum missus, in itinere eius filium Volucem offendit.

106. Cum eo coniunctus in Iugurtham incidit, quae res, proditionis falsa suspicione orta, Romanos magno terrore implet; sed

107. Sulla intrepidus audacissimo consilio per Iugurthae castra feliciter transit.

108. Ad Bocchum ubi venit, cum eo, fidei adhuc ambiguo, de habendo consilio componit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

109. Consilio ad speciem habito, deinde clam inter se colloquuntur.

110. Bocchus oratione magnifica promptum suum animum in Sullam et Romanos extollens societatem ut amicus offert; at

111. Sulla non nisi Iugurtha tradito pacem et amicitiam eum a Romanis sperare posse respondet. Id ille tergiversatus postremo promittit; et

112. ubi Iugurtham fallacibus nuntiis spe pacis implevit, ab eo de tradendo sibi Sulla sollicitatur.

113. Tum utrumque laeta spe ducens et in ipso rei discrimine adhuc fluctuans denique Iugurtham in colloquio constituto circumventum capit et Sullae tradit.

114. Eodem tempore Gallis Italiae imminentibus, Marius, reipublicae fulmen, iterum consul declaratur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

TABULA CHRONOLOGICA

RERUM IN BELLO IUGURTHINO NOTABILIUM.

Anni u. c.	Anni a. Chr. n.	
548	206	Masinissa in amicitiam a Scipione recipitur. c. 5, 4.
553	201	Masinissa partem agrorum, qui Carthaginiensium fuerant, dono accipit. ib.
606	148	Masinissa moritur. — Micipsa primo cum fratribus, deinde solus regnum obtinet. c. 5, 6.
619	135	Iugurtha hieme huius anni cum auxiliis Numidarum Numantiam in Scipionis castra venit. c. 7, 2.
621	133	Iugurtha Numantia deleta gloria auctus in Numidiam redit. c. 8. 9.
633	121	Iugurtha a Micipsa adoptatur. c. 9, 3. 11, 6.
636	118	Micipsa moritur. c. 11, 1.
638	116	Hiempsal Iugurthae dolo interficitur. c. 12.
		Iugurtha Adherbalis regnum armis invadit. c. 13.
		Adherbal Romam venit auxilium rogatum. c. 14.
		Decem legati in Africam mittuntur, qui regnum Numidiae inter Iugurtham et Adherbalem dividunt. c. 16.
		Bellum denuo inter reges exoritur. Adherbal Cirtae obsidetur. c. 20. 21.
		Iterum legati tres in Africam mittuntur. c. 22.
		Adherbal, Cirtae valde pressus, litteras supplices Romam mittit. c. 23. 24.
		Tertio legati tres in Africam mittuntur. c. 25.
		Cirta dedita Adherbal necatur.
642	112	Memmio instigante senatus bellum contra Iugurtham gerendum censet. c. 27.
643	111	L. Calpurnius Bestia cos. in Africam cum exercitu missus. c. 28.
—	—	A Iugurtha pecunia corruptus rem socorditer gerit. c. 29.
—	—	Aestivis confectis Romam redit. Memmius acerrimis contionibus noxiam nobilitatem exagitat. c. 30. 31.
—	—	Cassius praetor in Africam mittitur ad Iugurtham Romam arcessendum. c. 32.
—	—	Ibi quaestio regi intenta fautorum impudentia eluditur. c. 33. 34.
644	110	Massiva Romae Iugurthae dolo interficitur. c. 35.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Anni u. c.	Anni a. Chr. n.	
644	110	Albinus cos. bello segniter gesto Romam redit, exercitum Aulo fratri tradit. c. 36.
—	—	Romae comitia totius anni impediuntur. c. 37, 1—2.
—	—	Aulus imperite bellum gerens sub iugum mittitur. c. 37, 3. 38.
645	109	Albinus adhuc ex superiore anno cos. in Africam proficiscitur. c. 39.
—	—	Romae rogatione Mamilia asperrima quaestio in Iugurthae amicos exercetur. c. 40.
—	—	Q. Caec. Metellus interea cos. factus bellum cum Iug. prudentius et felicius gerit, regem aliquoties fundit, et ad deditionem faciendam adigit, quam ille mox deseruit. c. 43—62.
646	108	Metello imperium in sequentem annum prorogatur. c. 62, 10.
—	—	Vagae praesidium Romanum per perfidiam oppidanorum trucidatur. c. 66—69.
—	—	Metellus per Bomilcarem et Nabdalsam Iugurthae insidias frustra tendit. c. 70—72.
—	—	Marius, iam dudum consulatus cupidine agitatus (c. 63—65.), et media fere aestate a Metello Romam dimissus consul creatur. c. 73.
—	—	Iugurtha iterum a Metello vincitur; — Thala urbs capitur. c. 74. 75. 76.
—	—	Iugurtha Bocchum socium sibi adiungit. c. 80. 81.
—	—	Metellus, cognito Marium sibi successorem datum, rem lente gerit. c. 82. 83.
647	107	Marius cos., strenue omnibus ad bellum paratis, Iugurthae acriter instat, c. 84. 86—89, 3;
—	—	Capsam capit, c. 89, 4. 90. 91;
—	—	castellum munitissimum fortuna adiutus expugnat. c. 92—94.
—	—	Sulla quaestor in castra venit. c. 95.
—	—	Iugurtha et Bocchus aestate iam exacta duobus gravibus proeliis deinceps funduntur. c. 97—101.
—	—	Vergente anno Bocchus pacis cupidum se ostendit. c. 102.
648	106	Dum proximo anno multum ultro citroque transigitur, Sulla in eo negotio summam prudentiam, calliditatem, audaciam ostendit. c. 103—113.
—	—	Iugurtha a Bocco proditus Sullae traditur. c. 113, 5.
649	105	Marius et reliquam praeterlapsi et maximam huius anni partem rerum componendarum caussa in Africa remanet.
—	—	Marius absens iterum cos. fit. c. 114, 3.
650	104	Kal. Ian. Marius triumphat. ib.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

IUGURTHA.

I. Falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbe-
2 cilla atque aevi brevis forte potius quam virtute regatur. Nam contra reputando neque maius aliud neque praestabilius invenias, magisque naturae industriam hominum quam vim aut tempus deesse.
3 Sed dux atque imperator vitae mortalium animus est. Qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortuna eget; quippe quae probitatem, industriam alias-
4 que artis bonas neque dare neque eripere cuiquam potest; sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis pessumdatus est perniciosa lubidine paulisper usus, ubi per socordiam vires,

I. 1. *aevi*] *Aevo* designatur temporis spatium, quod quis vita explevit.

forte potius quam virtute] *Fors* quum in iis cernatur, quae sine lege ac consilio fiunt, *forte* comprehenduntur res improvisae nec in hominum voluntate positae, quae extrinsecus obtrusae impediunt, quominus ea lege vivant, quam optimam ducunt. *Virtus* autem *ratio* est *perfecta* eaque libera nec aliunde pendens vitae moderatrix.

2. *contra*] i. e. ex contrario.

reputando] Querela illa de natura humana quum a levitate iudicii proficiscatur, *reputando* significat *mentis acie intendenda*.

3. *dux atque imperator*] Imago petita a re militari. Graviores autem *imperatoris* quam *ducis* sunt partes, quorum hic viam modo praeit, ille summus omnium rerum arbiter est; unde plenior notio per *atque* annectitur.

pollens potensque et clarus] *Pollens* est, qui magnis viribus est praeditus, *potens*, qui virium usu multum valet (germ. *kräftig u. vermögend*). *Clarus* dicitur animus non *fama, qua celebretur*, sed *splendore, quo spectatur*.

quippe quae — potest] v. ad Cat. 48, 2.

artis] v. ad Cat. 2, 4.

4. *ad inertiam — pessumdatus est*] Insolenter *pessumdari* cum *ad* praepositione constructum brevitatis efficiendae caussa. Sensus enim est: *sin ita depravatus est, ut inertiam — sequatur*.

perniciosa lubidine etc.] Haec verba pariter ut *captus* etc. ad *pessumdatus est* referuntur, ita quidem, ut altero participio *origo* pessumdandi altero quasi *transitus* ad ipsam perniciem describatur. Planius sententiarum ratio apparet posteriore participio soluto et ante praedicatum collocato: sin captus pravis cupidinibus, *post-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tempus, ingenium diffluxere, naturae infirmitas accusatur; suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt. Quod si hominibus 5
bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multumque etiam periculosa petunt, neque regerentur magis quam regerent casus, et eo magnitudinis procederent, uti pro mortalibus gloria aeterni fierent.

II. Nam uti genus hominum compositum ex corpore et anima est, ita res cunctae studiaque omnia nostra corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc 2
vis corporis et alia omnia huiuscemodi brevi dilabuntur; at ingeni egregia facinora sicut anima immortalia sunt. Postremo corporis 3
et fortunae bonorum ut initium, sic finis est, omniaque orta occi-

quam perniciosa lubidine paulisper usus est, ad inertiam — pessumdatus est.

diffluxere] i. e. dissoluta et distracta quasi ad nihilum reciderunt.

auctores] Quo magis ipsorum hominum culpa pateret, Sallustius liberiore modo *auctores*, quod subiectum est, apposito vocabulo *quisque*, unde accusativus pendet, postposuit. Sensus est: *auctores culpae, quae cuiusque propria est, eam ad negotia* (i. e. ad res externas) *transferunt.*

5. *bonarum rerum*] Intelliguntur eae, quae *virtuti* (cf. §. 3.) conveniunt.

aliena] Sunt ea, quae fortunae debentur, neque ad veram animi naturam pertinent.

multum] Adverbium hoc de tempore dictum significat *saepe*, de modo *valde*.

regerentur] sc. *casibus;* v. ad Cat. 51, 38. Cic. Epp. ad Famm. IX, 26, 6. *Habeo, non habeor a Laide.*

pro mortalibus] i. e. *ex mort.;* cf. Iug. 53, 8. *Pro metu repente gaudium exortum.* Liv. III, 71, 7. *Quem pro domino iudicem fecerint.*

II. 1. *genus hominum*] Germanice hoc reddendum est *der Mensch*, quippe quo omnes homines in unam notionem comprehenduntur.

anima] v. ad Cat. 2, 8.

naturam sequuntur] i. e. secundum corporis vel animi naturam comparata sunt.

3. *postremo*] v. ad Cat. 14, 3.

incorruptus] i. e. corruptioni sive interitui non obnoxius, qui corrumpi non potest. Ita Iug. 43, 5. *invictus* dicitur, qui vinci nequit; 76, 1. *infectum* positum de eo, quod perfici non potest; 91, 7. *coercitum*, quod coerceri potest.

agit] In *agendo* simul in est et movendi et dirigendi et constituendi notio.

habet] Praegnanti sensu est *in potestate habet;* cf. Hist. Fr. III, 81, 6. *Vos singulis habendos praebetis.*

4. *corporis gaudiis*] *Gaudium* quum proprie animi sit, insolenter Sall. *corporis gaudia* dixit de iis voluptatibus, quae non ex animo repetitae, sed corpore effectae etiam percipiuntur corpore.

ceterum] v. ad Cat. 51, 26.

incultu] i. e. neglecta cultura; cf. Liv. XLII, 12, 7. *Suos honores desertos per incultum ac neglegentiam.*

artes animi] Germanice reddas: *geistige Leistungen.*

III. 1. *magistratus et imperia*] Illo vocabulo summa munera *civilia*, hoc *militaria* significantur.

postremo] v. ad Cat. 14, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

dunt et aucta senescunt; animus incorruptus, aeternus, rector hu-
4 mani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum atque ignaviam aetatem agunt, ceterum ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortalium est, inculto atque socordia torpescere sinunt, quum praesertim tam multae variaeque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

III. Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum minume mihi hac tempestate cupiunda videntur, quoniam neque virtuti honos datur, neque illi, quibus per frau-
2 dem vis fuit, utique tuti aut eo magis honesti sunt. Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et possis et delicta corri-

cura rerum publicarum] Germanice est: *Interesse u. Theilnahme an der Politik.*

cupiunda] v. ad Cat. 10, 2. Ceterum hoc verbum per zeugma ad tria substantiva praegressa refertur; *cura* enim non tam *non cupiunda*, quam *non suscipienda* est.

hac tempestate] Quum Sallustius primis post Caesaris mortem annis scripserit, intelligitur illud tempus turbarum plenissimum et armis civilibus cruentum, quo tum contra Caesaris interfectores a triumviris, tum inter hos ipsos de summa rerum certabatur.

honos] Non per se valet *magistrātum*, sed in universum capiendum de *dignitate*, quae egregiis viris vel muneribus gerendis vel republica strenue iuvanda additur; cf. Cat. 35, 3. *Quod non dignos homines honore honestatos videbam.* Iug. 31, 1. *Innocentiae plus periculi quam honoris est.* Cic. Brut. 81, 281. *Quum honos sit praemium virtutis iudicio studioque civium delatum ad aliquem, qui cum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur.*

vis fuit] Quemadmodum *virtuti*, i. e. probis (v. ad Hist. Fr. III, 81, 20.), opponuntur *illi, qui per fraudem nituntur*, ita *honori*, i. e. legitimo virtutis praemio, opponitur *vis*, i. e. summum civitatis arbitrium, et quidem malis artibus et contra leges partum armisque sustentatum; cf. Hist. Fr. III, 81, 5. *Omnes alii vim cunctam et imperia sua — in vos convertere.* Tacit. Hist. IV, 39, 2. *Vis penes Mucianum fuit.* Sine invidia vox de *potentia armis nitente* legitur Iug. 24, 8.

utique] i. e. prorsus, ab omni parte.

eo magis honesti] Sensus est: qui *vim* habeant in civitate, propterea non magis esse *honoratos*.

2. *Nam vi quidem* etc.] Haec per chiasmum ita pertinent ad antecedentia, ut explicent, cur vis non tutos aut honestos faciat; sequentia vero (*frustra — dementiae est*) spectant ad superiora illa *neque virtuti honos datur.*

patriam aut parentes] *Patria* est urbs ipsa cum civibus Romanis; *parentes* sunt provinciales imperio Romano subiecti; cf. Iug. 102, 7.

delicta] Intelliguntur mala et peccata cuiusvis generis, quibus civitas laborat. *Delicta corrigere* igitur vernaculā significat *Uebelstände abstellen.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

gas, tamen importunum est, quum praesertim omnes rerum mutationes caedem, fugam aliaque hostilia portendant; frustra autem niti 3
neque aliud se fatigando nisi odium quaerere extremae dementiae est; nisi forte quem inhonesta et perniciosa lubido tenet potentiae 4
paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

IV. Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, imprimis magno usui est memoria rerum gestarum. Cuius de virtute 2
quia multi dixere, praetereundum puto, simul ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere. Atque ego 3
credo fore, qui, quia decrevi procul a republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant; certe, qui-

importunum] i. e. molestum et periculosum.

portendant] i. e. futura monstrent (germanice *in Aussicht stellen*); cf. Iug. 92, 2.

3. *frustra autem niti*] sc. contra eos, qui vim in civitate obtinent. Qui ita nitantur, Sallustius intelligit eos, quibus antea dixerat *honorem non dari*.

quaerere] i. e. impenso labore atque studio parare; cf. Iug. 85, 30. 87, 2. 89, 1. Hist. Fr. III, 1, 1.

4. *nisi forte* etc.] Sallustius quum *duas* omnino esse rationes dixisset magistratuum gerendorum, quarum neutra ad rerum publicarum curam invitare possit, iam *tertiam* ponit, ab illis diversam quidem, sed talem, quam *vix credibile sit* quemquam *honestum* initurum; cf. ad Cat. 20, 17.

gratificari] i. e. concedere et tanquam gratiae obtinendae caussa offerre. — Infinitivus pendet ex coniunctis verbis *lubido tenet*; v. ad Cat. 4, 1.

IV. 1. *memoria rerum gestarum*] Plane respondent haec vernaculo *die Geschichte*, cuius vocabuli notio tam cognitione et scientia rerum, quae antea fuerunt, quam earum compositione et narratione continetur.

2. *praetereundum puto*] Breviter dictum hac sententia: *de ea re dicendum non puto*.

per insolentiam] Haec cum verbis *laudando extollere* coniungenda primum locum occupant, ut id, cui auctor maxime occurrere vult, cum vī emineat. — *Insolentia* eius est, quī nimium sibi tribuit.

memet] Accusativus subiecti est.

3. *Atque ego credo* etc.] Per *atque* adiungitur gravior sententia in hunc modum: non solum in laudibus historiae multi offendent, *sed adeo erunt*, qui studium ipsum vituperent eique nomen inertiae imponant. cf. ad Cat. 51, 35.

salutare plebem] Id faciebant, qui honores petebant, plebem, adhibito etiam nomenclatore, ambeuntes, singulos obvios nominibus appellantes eorumque gratiae se commendantes.

conviviis] i. e. epulis, prandiis et viscerationibus.

4. *magistratus*] Praeter quaesturam bis gestam tribunus plebis fuit a. 52. a. Chr. n., praetor a. 47.

quales viri etc.] Duobus argumentis utitur Sallustius, ut probet, cur civitatis morum taedio captus iam dudum a rebus publicis plane abstinendum putaverit; alterum est, quod eo tempore, quo ipse magistratus adeptus esset, egregii viri ad debitos honores pervenire non possent; alte-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

bus maxuma industria videtur salutare plebem et conviviis gratiam
4 quaerere. Qui si reputaverint, et, quibus ego temporibus magistratus adeptus sum, quales viri idem assequi nequiverint, et postea quae genera hominum in senatum pervenerint, profecto existumabunt me magis merito quam ignavia iudicium animi mei mutavisse, maiusque commodum ex otio meo quam ex aliorum negotiis reipu-
5 blicae venturum. Nam saepe ego audivi Q. Maxumum, P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, quum maiorum imagines intuerentur, vehementissume sibi animum
6 ad virtutem accendi; scilicet non ceram illam neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam

rum, quod Caesare interfecto indignissimi homines senatores fierent. Igitur ut *duo tempora*, ita etiam *duo hominum genera* sibi opponuntur.

quae genera hominum] Intelliguntur ii, quos Antonius ex adulterato Caesaris testamento in senatum legit; cf. Sueton. Aug. c. 35. *Erant (sc. senatores) super mite, et quidam indignissimi, et post necem Caesaris per gratiam et praemium allecti, quos orcinos vulgus vocabat.*

merito] i. e. iusta de caussa, iure; cf. Hist. Fr. I, 13.

iudicium animi] Germanice est *Grundsätze;* cf. Cic. de Orat. III, 16, 59. *Inventi sunt, qui quum a negotiis animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem contemnerent.* Id. ibid. II, 3, 10.

ex otio meo] i. e. ex studio memoriae rerum gestarum, cui iam per otium vacare licet.

ex aliorum negotiis] *Negotia* sunt reipublicae administratio, sive munera publica, quippe quae neque cum dignitate obtineri, neque cum fructu geri possint.

venturum] *Venire alicui* dicuntur, quae ei vel contingunt vel accidunt; cf. Ing. 8, 2. *Ultro illi et gloriam et regnum venturum.* 103, 2. *Reputando, quae sibi duobus proeliis venerant.*

5. *Q. Maxumum*] Significatur Q. Fabius Maximus Verrucosus, qui dictator bello Punico secundo cunctando restituit rem.

P. Scipionem] Utrum P. Scipio Africanus maior an minor intelligendus sit, ambiguum: de illo ut cogitemus, suadet hoc, quod cum Q. Maximo tempore coniunctus fuit; hunc significari dicas eo, quod maior ei copia fuit maiorum gloria gaudendi, quam illi superiori.

solitos ita dicere] v. ad Cat. 47, 1.

6. *Scilicet* etc.] His verbis auctor commemoratam Maximi et Scipionis sententiam illustrat, ut, quemadmodum ad suum studium pertineat, intelligatur. Accusativus c. inf. autem non pendet ex *scilicet* (cuius particulae est ea vis, ut id demonstret, quod per se perspicuum est et cuiusvis intelligentiae patet, germanice *natürlich*), sed repetendus est ex praecedentibus verbis *solitos dicere*, ex quibus hoc elicias: scilicet, quum ita dicerent, hoc censebant etc.

tantam vim in sese habere] i. e. tantopere ipsos commovere.

sed memoria etc.] In adversativa periodi parte Sallustius ita ab instituta oratione deflexit, ut, quum primo ex Maximi Scipionisque mente dixisset, in sententiam generalem transiret; inde factum, ut pro *sibi*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus 7
eorum famam atque gloriam adaequaverit. At contra quis est
omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria cum maioribus suis contendat? etiam homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur, proinde quasi praetura et consulatus atque alia omnia huius- 8
cemodi per se ipsa clara et magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ea sustinent, virtus est. Verum ego liberius 9
altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque; nunc ad inceptum redeo.

V. Bellum scripturus sum, quod populus Romanus cum Iugurtha, rege Numidarum, gessit, primum quia magnum et atrox variaque victoria fuit, dein quia tunc primum superbiae nobilitatis obviam itum est, quae contentio divina et humana cuncta permiscuit, 2
eoque vecordiae processit, uti studiis civilibus bellum atque vastitas Italiae finem faceret. Sed priusquam huiuscemodi rei initium expe- 3
dio, pauca supra repetam, quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux 4
Carthaginiensium Hannibal post magnitudinem nominis Romani Ita-

reflexivo, quod praegresso *sese* responderet, substitueret *egregiis viris*.

eorum famam] Paulo liberiore modo *eorum* refertur ad superioris enunciati vocem *maiorum;* sed mollitur ea insolentia, quod pariter *cerae, figurae* atque *rerum gestarum* vocabula ad illos spectant.

7. *his moribus*] *Hic* quum id demonstret, quod praesens est, sensus est: moribus talibus (i. e. tam corruptis), quales nunc sunt; cf. Cic. Epp. ad Attic. X, 11. *Quid enim dicam hac iuventute.*

furtim et per latrocinia] i. e. clandestinis insidiis, ut fures, et per vim apertam, ut latrones, cf. Cat. 59, 5. Hist. Fr. I, 56, 7.

8. *proinde quasi*] Ea vis est harum particularum, ut falsa quaedam similitudo *neque recte cum modo praecedentis rei conveniens* designetur; cf. Cat. 12, 5.

ac non] v. ad Cat. 52, 12.

habeantur] i. e. possideantur; cf. Iug. 31, 10. Ceterum sententia est: honores magnificos esse, si egregii sint, qui eos gerant, nullius pretii, si ab indignis gerantur.

9. *liberius altiusque*] *Liberius*, sc. quam prooemii fines patiuntur; *altius*, i. e. longius (sc. *a proposito*) quasi in mare altum; cf. Liv. XXXI, 1, 5. *Provideo animo, quicquid progrediar, in vastiorem me altitudinem ac velut profundum invehi.*

V. 1. *variaque victoria*] Ablativi sunt qualitatis, quibus significatur in illo bello victoriam modo apud Iugurtham modo apud Romanos fuisse.

2. *Studiis civilibus* etc.] Intelligitur

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

liae opes maxume attriverat, Masinissa, rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, cui postea Africano cognomen ex virtute fuit, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat, ob quae, victis Carthaginiensibus et capto Syphace, cuius in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus, quascunque 5 urbis et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit. Sed imperi vitaeque 6 eius finis idem fuit. Dein Micipsa filius regnum solus obtinuit, 7 Mastanabale et Gulussa fratribus morbo absumptis. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit, Iugurthamque, filium Mastanabalis fratris, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit.

VI. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxu neque inertiae corrumpendum dedit, sed, uti mos gentis illius est, equitare, iaculari, cursu cum aequalibus certare, et quum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse; ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus aut in primis ferire, plu- 2 rumum facere, minumum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio laetus fuerat, existumans virtutem Iugurthae regno suo

bellum sociale et continuo insecutum Marii et Sullae civile.

3. *supra repetam*] v. ad Cat. 5, 9.

4. *post magnitudinem*] i. e. ex quo Romani ad magnitudinem pervenerant; cf. Cat. 5, 6. Iug. 55, 4.

in amicitiam receptus] Id factum anno 207. a. Chr. n.

magnum atque late] *Magnum* non continuo cum substantivo coniungendum, sed cum verbo sociatum ad definiendum subiectum pertinet, quo fit, ut recte adverbium addi possit. Structurae ratio germanice sic patebit: dessen Reich *als ein bedeutendes und in weiter Ausdehnung* mächtig war. cf. Cic. Tusc. V, 2, 5. *Philosophiae nos — nunc penitus totosque tradidimus.*

5. *bona atque honesta* etc.] i. e. cum fide et honestate semper culta est.

Sed imperi etc.] Praegnanti sensu *imperio* totum atque indivisum regnum Numidiae significatur. Masinissa enim mortuo regnum inter eius filios per P. Scipionem divisum fuit, teste Appiano Pun. c. 106. Liv. Epit. L.

6. *Dein*] i. e. aliquo interiecto tempore, sc. postquam Masinissa mortuo imperium divisum fuit.

7. *privatum reliquerat*] i. e. privatum esse voluerat, sive inter regni heredes esse noluerat; nisi forte errore quodam Sallustii Masinissae tribuitur, quod post eius mortem a P. Scipione constitutum fuit; cf. Appian. et Liv. ll. ll.

cultu] v. ad Cat. 37, 6.

domi] i. e. in domum suam ascitum ibique degentem.

VI. 1. *pleraque tempora*] i. e. fere omnia temp.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

gloriae fore, tamen, postquam hominem adulescentem, exacta sua aetate et parvis liberis, magis magisque crescere intellegit, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. Terrebat eum natura mortalium, avida imperi et praeceps ad explendam animi cupidinem, praeterea opportunitas suae liberorumque aetatis, quae etiam mediocris viros spe praedae transvorsos agit, ad hoc studia Numidarum in Iugurtham accensa, ex quibus, si talem virum dolis interfecisset, ne qua seditio aut bellum oriretur, anxius erat. 3

VII. His difficultatibus circumventus ubi videt neque per vim neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus, quod erat Iugurtha manu promptus et appetens gloriae militaris, statuit eum obiectare periculis et eo modo fortunam tentare. Igitur bello Numantino Micipsa quum populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans vel ostentando virtutem vel hostium saevitia facile eum occasurum, praefecit Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. Nam Iugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hostium cogno- 2 3 4

3. *praeceps*] v. ad Cat. 37, 4.

opportunitas suae etc.] i. e. opportunitas ad invadendum regnum, posita in sua aetate *provecta*, liberorum *parva*.

quae etiam etc.] Enunciatum relativum ad solam *opportunitatis* vocem spectat, non item ad genitivos adiunctos.

mediocris viros] i. e. prae ceteris non eminentes, neque ad maiores conatus aptos aut propensos.

transvorsos agit] i. e. a recta avertit et in pravum abstrahit; cf. Iug. 14, 20.

ex quibus] sc. studiis.

VII. 1. *circumventus*] i. e. pressus, sive implicatus.

2. *bello Numantino*] Illud bellum motum a. 143. a. Chr. n. Viriatho imprimis concitante, et per undecim annos improspere a Romanis gestum a. 133. cum ipso Numantiae urbis excidio per P. Scipionem finitum est.

quos — mittebat] Id factum hieme, quae intercessit inter a. 135. et 134. a. Chr. n. teste Appian. Hisp. 80.

4. *ut erat*] v. ad Cat. 31, 7.

qui tum Romanis imperator erat] Structurae ratio respondet fere vulgari vernaculae modo: der damals den Römern ihr Oberbefehlshaber war.

5. *quod difficillumum in primis est*] *In primis* quomodo ad augendam orationis vim cum superlativo iungi possit, facile intelligitur ex germanica translatione: *was eine höchst schwierige Aufgabe erster Grösse ist*. cf. Cic. in Verr. III, 27, 68. *Itaque homini in primis improbissimo (dem ärgsten Schuft erster Grösse) respondent.*

ex providentia] v. ad Cat. 12, 2. — De membrorum chiasmo v. ad Cat. 2, 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

vit, multo labore multaque cura, praeterea modestissume parendo et saepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi perveneral, ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset. Ac sane, quod difficillumum in primis est, et proelio strenuus erat et bonus consilio, quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet. Igitur imperator omnis fere res asperas per Iugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti; quippe cuius neque consilium neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat munificentia animi et ingeni solertia, quis rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia coniunxerat.

VIII. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi atque nobiles, quibus divitiae bono honestoque potiores erant, factiosi domi, potentes apud socios, clari magis quam honesti, qui Iugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore, uti solus imperio Numidiae potiretur; in ipso maxumam virtutem, Romae omnia venalia esse. Sed postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia et ipse revorti domum decrevit, donatum atque laudatum magnifice pro contione

timorem] Vernaculâ est *Zaghaftigkeit*, non confundenda illa cum *metu*, qui providentiae cognatus est.

6. *quippe cuius — erat*] v. ad Cat. 48, 2.

7. *munificentia animi*] *Munificus* quum *sordido* opponatur, verbis id significatur, quod germanice dicitur *nobele Gesinnung*; cf. Iug. 103, 5. 110, 5.

ingeni sollertia] Germanice est: *geistige Gewandtheit;* cf. Iug. 96, 1. *Sulla sollertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est.*

quis rebus etc.] Duo ablativi diversa potestate ad verbum pertinent; *quis rebus* enim abl. instrumenti est, *familiari amicitia* abl. modalis; v. ad Hist. F[illegible] 81, 26. Sententia sic concipienda: quis rebus sibi multos ex Romanis ita coniunxerat, *ut eorum familiari amicitia uteretur.*

VIII. 1. *novi*] Insolentius *homines novi* (Cat. 23, 6. Iug. 4, 7. 73, 7. 85, 13.) hic et Iug. 63, 7. 65, 5. unde *novi* dicuntur.

factiosi domi] i. e. in urbe fraude, dolo, malis artibus coniuncti ad dominationem obtinendam; v. ad Cat. 54, 5. Iug. 27, 2. 31, 15. 15, 4. 41, 1. 77, 1.

clari] Ita dicuntur, in quos omnium oculi sunt coniecti, saepe id non optimis artibus assecuti; unde *honestis* opponuntur; cf. Liv. VIII, 27, 6. *Quidam pretio asciti, clari magis inter populares, quam honesti.* Tacit. Hist. II, 10, 1. *Vibius Crispus, inter claros magis quam inter bonos.*

non mediocrem animum] Per litotem dictum valet: *valde elatum, summis aspirantem* animum; v. ad Cat. 3, 1.

pollicitando] i. e. ultro offerendo gratiam atque auxilium suum.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iugurtham in praetorium abduxit, ibique secreto monuit, uti potius publice quam privatim amicitiam populi Romani coleret, neu quibus largiri insuesceret; periculose a paucis emi, quod multorum esset; si permanere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum; sin properantius pergeret, suamet ipsum pecunia praecipitem casurum.

IX. Sic locutus cum litteris eum, quas Micipsae redderet, dimisit. Earum sententia haec erat: Iugurthae tui bello Numantino 2
longe maxuma virtus fuit, quam rem tibi certo scio gaudio esse. Nobis ob merita sua carus est; ut idem senatui et populo Romano sit, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor. Eu habes virum dignum te atque avo suo Masinissa. Igitur rex, 3
ubi ea, quae fama acceperat, ex litteris imperatoris ita esse cognovit, quum virtute tum gratia viri permotus flexit animum suum, et Iugurtham beneficiis vincere aggressus est, statimque eum adopta-

2. *abduxit*] sc. quia in contione non satis commodus fuit locus omnia, quae res poscebat, dicendi; cf. Liv. XXX, 14, 3. *Scipioni Laelius et Masinissa supervenerunt; quos quum egregiis laudibus frequenti praetorio celebrasset, abductum in secretum Masinissam sic alloquitur.*

publice] i. e. universo populo Romano officia praestando.

privatim] i. e. donis ac muneribus singulorum gratiam captando; cf. Cat. 49, 3.

largiri] Invidioso sensu est *pecunia corrumpere*, quomodo etiam *largitionis* vocabulum usurpatur; cf. Iug. 15, 1; 5. 103, 6.

quod multorum esset] His quum tecte spectetur ad maiestatem et auctoritatem senatus populique Romani, sensus est: *id, cuius deferendi ac tribuendi potestas penes universum populum esset.*

illi] Ubi in orat. recta *secunda* persona obtinet, in obliqua *ille* ponitur; cf. Iug. 11, 6. 33, 4. 51, 4. 56, 4. 62, 1. 64, 2. 65, 3. 106, 1.

sin properantius pergeret] i. e. sin exspectare nollet, quae ultro illi ventura essent.

suamet] v. ad Cat. 23, 2.

IX. 2. *senatui et populo rom.*] Differt haec formula a vulgari *sen. pop. que rom.*; scilicet per *que* particulam duae illae partes, quibus constat imperium romanum, in unum quasi corpus coniunctae comprehenduntur; *et* vel *atque* particulis efficitur, ut utraque pars per se cogitetur; cf. Iug. 41, 2. 104, 5. 111, 1. 112, 3.

en habes] *En* vivide monstrat rem vel praesentem vel cogitatione concipiendam; cf. Cat. 20, 14.

3. *flexit*] i. e. commutavit, abiecto, quod antea ceperat (cf. c. 7, 2.), consilio; cf. Iug. 62, 8. *Igitur Iugurtha — rursus coepit flectere animum suum.*

vincere] i. e. ad meliorem mentem traducere sibique conciliare.

statimque eum adoptavit] Haec, quia quodammodo pugnant cum eo, quod Micipsa *paucos post annos* brevi ante mortem orationem sequentem habuisse narratur, non nimis stricto sensu intelligenda sunt. Iugurtha enim quum a. 133. a. Chr. n. Nu-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

4 vit et testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse paucos post annos morbo atque aetate confectus quum sibi finem vitae adesse intellegeret, coram amicis et cognatis itemque Adherbale et Hiempsale filiis dicitur huiuscemodi verba cum Iugurtha habuisse:

X. Parvum ego te, Iugurtha, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi, existumans non minus me tibi, quam si genuissem, ob beneficia carum fore; neque ea res falsum 2 me habuit. Nam, ut alia magna et egregia tua omittam, novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti, tuaque virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti; in Hispania nomen familiae renovatum est; postremo, quod difficillumum inter 3 mortalis est, gloria invidiam vicisti. Nunc, quoniam mihi natura finem vitae facit, per hanc dexteram, per regni fidem moneo obtestorque te, ut hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fra-

mantia rediisset, tribus ante Micipsae mortem annis (cf. c. 11, 6.) adoptatus est. Id autem factum a. 121.; ille enim mortuus est a. 118., ut cognoscitur ex Livii Epit. 62.

X. 1. *sine spe*] Germanice: *ohne Aussichten*, sc. melioris fortunae. — Ceterum substantiva cum *sine* praepositione iuncta vicem attributi sustinent; cf. Iug. 6, 1. 54, 6. 66, 4.

in meum regnum accepi] Respicit Micipsa ad id, quod c. 5, 7. traditum est. Privatus enim relictus fuerat Iugurtha, sed Micipsa eum ut regis filium habuit. Quod igitur dicere poterat *in meam domum accepi*, paullo magnificentius dixit *in meum regnum*.

quam si genuissem] sc. *te*. Opponitur *beneficiorum vis naturali caritati*. Sensus enim est: existumabam *beneficia* mea eundem amorem mei tibi excitatura, qui *ipsâ naturâ* liberis in parentes ingenitus esse solet.

falsum me habuit] Insolenter dictum pro *me fefellit*.

2. *magna et egregia*] Substantivorum potestate haec dicta de iis, *quae incepit atque fecit Iugurtha;* cf. Cic. de Orat. 1, 9, 37. *Regum multa sunt eximia ad constituendam rempublicam.* Tacit. Ann. XIV, 38, 3. *Classicianus Suetonii adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam reipublicae trahebat.* Nep. de Regg. 1, 3. *Xerxi maxime est illustre, quod — bellum intulit Graeciae.*

rediens] i. e. quum redires, simul cum reditu; cf. 106, 1.

meque regnumque] v. ad Cat. 10, 3.

nomen familiae renovatum] Respicit Micipsa ad Masinissam, qui bello Punico secundo multa et praeclara rei militaris facinora in Hispania fecerat. — *Nomen* praegnanti sensu est *gloria, claritudo*; cf. Iug. 58, 3.

gloria invidiam vicisti] i. e. in tanta gloria ita te gessisti, tantumque a fastu et arrogantia abfuisti, ut nemo tibi gloriam tuam inviderot; cf. Iug. 6, 1. *Quum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus esse.*

3. *pro regni fidem*] i. e. per eam fidem, quae decet eum, qui regnum obtinet; cf. Iug. 24, 10. *Me manibus impiis eripite, per maiestatem imperi, per amicitiae fidem.* Ipsius Micipsae fidem intelligi eo patet,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tres sunt, caros habeas, neu malis alienos adiungere, quam sanguine coniunctos retinere. Non exercitus neque thesauri praesidia regni 4
sunt, verum amici, quos neque armis cogere neque auro parare queas; officio et fide pariuntur. Quis autem amicior, quam frater 5
fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equi- 6
dem ego vobis regnum trado firmum, si boni eritis; sin mali, imbecillum. Nam concordia parvae res crescunt, discordia maxumae dilabuntur. Ceterum ante hos te, Iugurtha, qui aetate et sapientia 7
prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet. Nam in omni certamine, qui opulentior est, etiamsi accipit iniuriam, tamen, quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hiempsal, 8
colite, observate talem hunc virum, imitamini virtutem, et enitimini, ne ego meliores liberos sumpsisse videar quam genuisse.

XI. Ad ea Iugurtha, tametsi regem ficta locutum intellegebat, et ipse longe aliter animo agitabat, tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis post diebus moritur. Postquam 2
illi more regio iusta magnifice fecerant, reguli in unum convenere, ut inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal, qui 3
minumus ex illis erat, natura ferox et iam ante ignobilitatem Iugurthae, quia materno genere impar erat, despiciens, dextera Adherbalem assedit, ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori

quod praecedit *per hunc dexteram*, quae Micipsae est.

alienos] *Alieni* opponuntur *propinquis;* cf. §. 5.

4. *verum amici*] *Verum* particula quum non simpliciter tollat praecedens enunciatum negativum, sed oppositam sententiam simul graviter confirmet, germanice valet *wohl aber;* cf. Iug. 31, 7. *Utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit.* ib. §. 18. *Vindicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam, non manu neque vi, — verum quaestionibus.*

5. *hostis*] *Hostis* etiam extra bellum dicitur is, qui tanto odio in aliquem fertur, ut ferocibus factis non abstineat, in bello tantum committi solitis. Nempe Micipsa Iugurtham monet, ne bellum fratribus faciat, eosque vi regno expellat.

6. *equidem*] v. ad Cat. 57, 15.

7. *ante hos*] i. e. intentiore studio quam hi.

8. *colite, observate*] *Colit* aliquem is, qui gratam ei praestat operam, et re ipsa, quantum potest, eum iuvat; *observat* is, qui nihil eorum negligit, quod alteri placere posse videatur. Utrum gravius sit, ex rerum condicione et cuiusque iudicio pendet.

talem] i. e. tam egregium; cf. Iug. 6, 3. 63, 6. 112, 3.

XI. 1. *pro tempore*] i. e. prout rerum praesentium ratio poscebat; cf. Iug. 49, 6. 74, 3.

2. *moritur*] Anno 118. a. Chr. n.; v. ad cap. 9, 3.

illi] sc. Micipsae.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

4 ducitur, Iugurtha foret. Dein tamen, ut aetati concederet, fatigatus
5 a fratre, vix in partem alteram transductus est. Ibi quum multa de administrando imperio dissererent, Iugurtha inter alias res iacit, oportere quinquenni consulta et decreta omnia rescindi; nam per
6 ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. Tum idem Hiempsal placere sibi respondit; nam ipsum illum tribus pro-
7 xumis annis adoptatione in regnum pervenisse. Quod verbum in
8 pectus Iugurthae altius, quam quisquam ratus erat, descendit. Itaque ex eo tempore ira et metu anxius moliri, parare, atque ea modo cum animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur. Quae ubi tardius procedunt neque lenitur animus ferox, statuit quovis modo inceptum perficere.

XII. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensionem placuerat dividi thesauros finisque imperi
2 singulis constitui. Itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in loca pro-
3 pinqua thesauris alius alio concessere. Sed Hiempsal in oppido Thirmida forte eius domo utebatur, qui proxumus lictor Iugurthae carus acceptusque ei semper fuerat; quem ille casu ministrum oblatum promissis onerat impellitque, uti tamquam suam visens domum eat, portarum clavis adulterinas paret (nam verae ad Hiempsalem

3. *minumus*] Insolentius dictum pro *minumus natu;* cf. Liv. I, 53, 5. *materno genere impar*] cf. c. 5, 7.

4. *concederet*] Compositum maiore vi dictum, quam simplex *cedere;* cf. Iug. 14, 25. 102, 4. Hist. Fr. I, 60. *transductus est*] Germanice: *er liess sich bringen;* cf. Iug. 85, 38.

5. *iacit*] i. e. obiter proponit. *parum animo valuisse*] Non falsum id fuisse patet ex Iug. 65, 1.

7. *verbum*] h. l. idem valet, atque *sententia* (*d. Aeusserung*).

8. *cum animo habere*] Similiter dictum *cum animo reputare*, Iug. 13, 5. 70, 5. 108, 3., *cum animo volvere*, Iug. 6, 2., *cum animo trahere*, Iug. 93, 1. Cogitatur in his animus quasi altera persona.

XII. 1. *ab regulis*] *Reguli* dicuntur regis filii vel imperium nondum adepti, vel parvo imperio praediti; cf. c. 11, 2. Liv. XXVII, 4, 9. *Legati et alios Africae regulos adire iussi.*

3. *proxumus lictor*] Romani quum solerent tum militiae suae (v. ad Cat. 53, 3.) tum magistratuum vocabula ad exteras gentes transferre, *lictor* latiore sensu est *satelles rerumque curator.* Qui Romae in serie incedentium lictorum ultimus erat ipsumque magistratum praecedebat, *proximus* vocabatur; unde h. l. intelligitur is, qui prae ceteris Iugurthae res curabat et negotia exsequebatur. Ceterum haec verba per appositionem ad *qui* pertinent.

onerat] Promissorum amplitudinem et multitudinem declarat hoc verbum; cf. Liv. XXIV, 13, 4. *Hanni-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

referebantur); ceterum, ubi res postularet, se ipsum cum magna manu venturum. Numida mandata brevi conficit, atque, uti doctus 4
erat, noctu Iugurthae milites introducit. Qui postquam in aedis 5
irrupere, divorsi regem quaerere, dormientis alios, alios occursantis interficere, scrutari loca abdita, clausa effringere, strepitu et tumultu omnia miscere, quum interim Hiempsal reperitur occultans se in tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput eius, uti iussi erant, ad Iugurtham 6
referunt.

XIII. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divolgatur; Adherbalem omnisque, qui sub imperio Micipsae fuerant, metus invadit; in duas partis discedunt Numidae: plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. Igitur Iu- 2
gurtha quam maxumas potest copias armat, urbis partim vi, alias voluntate imperio suo adiungit, omni Numidiae imperare parat. Ad- 3
herbal, tametsi Romam legatos miserat, qui senatum docerent de caede fratris et fortunis suis, tamen fretus multitudine militum parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex 4
proelio profugit in provinciam, ac deinde Romam contendit. Tum 5
Iugurtha, patratis consiliis, postquam omnis Numidiae potiebatur, in otio facinus suum cum animo reputans, timere populum Romanum, neque advorsus iram eius usquam nisi in avaritia nobilitatis et

bal oneratos ingentibus promissis domum redire iubet.

referebantur] sc. quoties portae claudebantur, ineunte nocte.

5. *divorsi*] i. e. in varias partes dispersi, alius alio loco; v. ad Cat. 20, 5.

mulieris ancillae] cf. Cat. 38, 1. 52, 26. Iug. 6, 2.

XIII. 3. *tametsi — miserat*] Scilicet primo rem ad senatum detulerat, sperans fore, ut is Iugurtham auctoritate sua coerceret; sed non expectans decretum ipse sibi consulere conatus est.

fortunis] Insolenter Sallustius plurali huius v. utitur eo sensu, quo vulgo singularis usurpatur; cf. Iug. 14, 24. 23, 2. 62, 1. 83, 2.

4. *in provinciam*] i. e. in eam Africae partem, quae olim Carthagini subiecta (v. 19, 7.) in Romanorum dicionem venerat; cf. Iug. 25, 5; 10. 39, 4. 61, 2.

5. *patratis consiliis*] sc. Hiempsale interfecto, Adherbale eiecto.

postquam — potiebatur] Imperfecto quum nondum absoluta actio praeteriti temporis significetur, sensus est: ex quo Numidia paullatim in eius possessionem venit; cf. Cat. 6, 3. 56, 4. Iug. 28, 2. 36, 4. 53, 7. 70, 5.

neque — usquam] i. e. neque ulla in re; v. ad Cat. 3, 3.

6. *praecepit, uti — expleant*] v. ad Cat. 41, 5.

quaecunque] Neutro plurali latissimo sensu tum homines tum res com-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

6 pecunia sua spem habere. Itaque paucis diebus cum auro et argento multo legatos Romam mittit, quis praecepit, primum uti veteres amicos muneribus expleant, deinde novos acquirant, postremo
7 quaecunque possint largiundo parare ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere et ex praecepto regis hospitibus aliisque, quorum ea tempestate in senatu auctoritas pollebat, magna munera misere, tanta commutatio incessit, ut ex maxuma invidia in gratiam
8 et favorem nobilitatis Iugurtha veniret; quorum pars spe, alii praemio inducti singulos ex senatu ambiundo nitebantur, ne gravius in
9 eum consuleretur. Igitur ubi legati satis confidunt, die constituto senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus:

XIV. Patres conscripti. Micipsa pater meus moriens mihi praecepit, uti regni Numidiae tantummodo procurationem existumarem meam, ceterum ius et imperium eius penes vos esse; simul eniterer domi militiaeque quam maxumo usui esse populo Romano, vos mihi cognatorum, vos affinium loco ducerem; si ea fecissem, in vostra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habitu-
2 rum. Quae quum praecepta parentis mei agitarem, Iugurtha, homo omnium, quos terra sustinet, sceleratissumus, contempto imperio vostro, Masinissae me nepotem et iam ab stirpe socium atque ami-
3 cum populi Romani regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego,

prehenduntur; v. ad Iug. 14, 16. et cf. Hist. Fr. I, 69. *Mauri, vanum genus, ut alia Africae.* Liv. I, 53, 11. *In se ipsum postremo saeviturum, si alia desint.*

8. *quorum*] v. ad Cat. 7, 4. 16, 1.

9. *senatus — datur*] i. e. iis petentibus permissum, ut senatum adire mandataque sua et postulata exponere liceret.

XIV. 1. *procurationem*] *Procuratio* eius est, qui vicarias iusti domini partes sustinet. Similiter de Masinissa Livius XLV, 13, 15. *Masinissam — usu regni contentum scire dominium et ius eorum, qui dederint, esse.*

ceterum] v. ad Cat. 51, 26.

cognatorum — affinium loco] i. e. pro cognatis — pro affinibus; cf. Hist. Fr. I, 56, 5. *Indigni republica habiti praedae loco aestumantur.*

munimenta regni] Non est appositio, sed obiectum verbi tertium.

2. *Quae quum praecepta — agitarem*] i. e. quum totus essem in praeceptis observandis.

quos terra sustinet] i. e. qui innumerabiles sunt in terra; cf. Plaut. Poen. prol. 90. *Venditque — homini, si leno 'st homo, quantum hominum terra sustinet, sacerrumo.*

iam ab stirpe socium] i. e. non recens factum, sed natum soc., quippe qui hunc honorem quasi hereditate acceperim.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

patres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea quam ob maiorum meorum beneficia posse a vobis auxilium petere, ac maxume deberi mihi beneficia a populo Romano, quibus non egerem; secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est, 4 neque mihi in manu fuit, Iugurtha qualis foret, ad vos confugi, patres conscripti, quibus, quod mihi miserrumum est, cogor prius oneri quam usui esse. Ceteri reges aut bello victi in amicitiam a 5 vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vostram appetiverunt; familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides eius quam fortuna petenda erat. Quorum progeniem vos, patres conscripti, nolite pati 6 me, nepotem Masinissae, frustra a vobis auxilium petere. Si ad 7 impetrandum nihil caussae haberem praeter miserandam fortunam, quod paulo ante rex genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto, tamen erat maiestatis Romani populi prohibere iniuriam, neque pati cuiusquam regnum per scelus crescere. Verum ego iis finibus eiectus sum, quos ma- 8

3. *quoniam — venturus eram*] i. e. quoniam in fatis erat, ut venirem.

ac maxume] sc. vellem. — Quod antea optaverat Adherbal, ut *suamet ipsius merita exstarent* in populum Rom., id ita corrigit, ut sibi longe exoptatissimum esse dicat, si beneficiis Romanorum, pro merito suo sibi tribuendis, plane non egeat; sin vero egeat, ut saltem auxilio Romanorum ut debito sibi beneficio uti possit.

secundum ea] i. e. *proxime* (demnächst), sc. irrito priore optato; cf. Cic. in Vat. 6, 15. *Secundum ea quaero, servarisne in eo fidem.* Caes. B. G. I, 33, 2. *Hac oratione habita concilium dimisit, et secundum ea multae res eum hortabantur.*

4. *Sed quoniam* etc.] His verbis Adherb. regreditur ad eam, quam, ante illata optata sua, exorsus erat sententiam, ut auxilium senatus imploraret, simul ostendens sine sua culpa id fieri.

neque mihi — qualis foret] i. e. neque valui Iugurtham talem efficere, qualem (sc. in me) esse oportebat; cf. infra §. 13. 31, 5. Ter. Hec. IV, 4, 44. *Uxor quid faciat, in manu non est mea.* Id. ib. III, 5, 43. *Tibi in manu est, ne fiat.*

usui esse] Ex *cogor*, unde haec verba pendent, per zeugma assumendum est *possum;* cf. Cat. 17, 2. Iug. 28, 7. 46, 8. 55, 1. 85, 28. 92, 2.

5. *petenda erat*] i. e. quo tempore talis erat populi Rom. condicio, cuius fidem quidem, sed non fortunam peteres; v. ad Cat. 10, 2.

7. *deformatus*] *Deformare* quum proprie sit in tristem aspectum commutare, translate dicitur de iis, quae ex dignitate in miseram atque inhonestam condicionem coniiciuntur; cf. Cic. p. Sull. 26, 73. *Quid reliquam*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ioribus meis populus Romanus dedit, unde pater et avus meus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginiensis. Vostra beneficia mihi erepta sunt, patres conscripti, vos in mea iniuria despecti
9 estis. Eheu me miserum! Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, ut, quem tu parem cum liberis tuis regnique participem fecisti, is potissumum stirpis tuae exstinctor sit? Numquam ergo familia nostra quieta erit? semperne in sanguine, ferro, fuga ver-
10 sabimur? Dum Carthaginienses incolumes fuere, iure omnia saeva patiebamur; hostes ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa eiecta est, laeti pacem agitabamus, quippe quis hostis nullus erat, nisi forte quem vos ius-
11 sissetis. Ecce autem ex improviso Iugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia sese ecferens, fratre meo atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum eius sceleris sui praedam fecit, post, ubi me isdem dolis nequit capere, nihil minus quam vim aut bellum exspectantem in imperio vostro, sicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseriis effecit, ut ubi-
12 vis tutius quam in meo regno essem. Ego sic existumabam, patres

constantiam vitae commemorem? dignitatem? liberalitatem? moderationem in privatis rebus, splendorem in publicis? Quae ita a fortuna deformata sunt, ut tamen a natura inchoata compareant.

Romani populi] Hoc verborum ordine utitur, ut cum vi efferat Romanos, quia Romani essent, i. e. populus tam validus atque generosus, debuisse iniuriam prohibere.

prohibere iniuriam] In universum hoc dictum est, neque ita, ut suppleatur *a me*.

8. *Verum ego* etc.] Cum gravi asseveratione *generali* caussae antea commemoratae adiungitur *nova* haec, ad ipsos Romanos pertinere iniuriam a Iugurtha factam.

9. *huccine — evasere*] i. e. talemne eventum habuere; cf. Ter. Andr. I, 2, 5. *Heri semper lenitas verebar quorsum evaderet.*

ferro] i. e. pugna, certamine; cf. Iug. 42, 4.

10. *iure*] *i.* e. ut aliter fieri non poterat, ut necesse erat; in iure enim necessitas summa; cf. Cic. Tusc. III, 15, 31. *Iure erat (Socratis) idem semper vultus, quam mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio.*

nisi — iussissetis] Plene sic dictum erat: nisi forte *is fuit*, quem vos *nobis hostem esse* iussissetis.

11. *extorrem patria — effecit*] cf. Hist. Fr. I, 56, 3. *Lepidus se e contempto metuendum effecit.* ibid. IV, 19, 8. *Eumenem ex rege miserrumum servorum effecere.* Ceterum haec verba primarium constituunt enunciatum, cui subiicitur consecutiva enunciatio, plenius per *ita ut* annectenda.

tutius — essem] i. e. tutius agitarem, tutiore condicione essem.

12. *sic existumabam*] *Sic* indefinite dictum explicatur sequente accusativo c. infin.; cf. Cat. 51, 15. Iug. 114, 2.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

conscripti, uti praedicantem audiveram patrem meum, qui vostram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem suscipere, ceterum ex omnibus maxume tutos esse. Quod in familia nostra fuit, 13
praestitit, ut in omnibus bellis adesset vobis; nos uti per otium tuti simus, in vostra manu est, patres conscripti. Pater nos duos fra- 14
tres reliquit; tertium, Iugurtham, beneficiis suis ratus est coniunctum nobis fore. Alter eorum necatus est, alterius ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? aut quo potissumum infelix acce- 15
dam? Generis praesidia omnia exstincta sunt; pater, uti necesse erat, naturae concessit; fratri, quem minume decuit, propinquus per scelus vitam eripuit; affinis, amicos, propinquos ceteros meos alium alia clades oppressit; capti ab Iugurtha pars in crucem acti, pars bestiis obiecti sunt; pauci, quibus relicta est anima, clausi in tenebris, cum moerore et luctu morte graviorem vitam exigunt. Si 16
omnia, quae aut amisi aut ex necessariis advorsa facta sunt, incolumia manerent, tamen, si quid ex improviso mali accidisset, vos implorarem, patres conscripti, quibus pro magnitudine imperi ius et iniurias omnis curae esse decet. Nunc vero exul patria, domo, 17
solus atque omnium honestarum rerum egens, quo accedam, aut quos appellem? nationesne an reges, qui omnes familiae nostrae ob vostram amicitiam infesti sunt? An quoquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta pluruma sint? aut quis-

13. *praestitit*] Supple *id*, cui illustrando sequens enuntiatum per epexegesin additur.

nos uti per otium etc.] Sententia, verecunde proposita, haec est: iam vestrum est me tueri.

14. *Alter eorum*] Inter haec et antecedentia supplendum est: *ita quum duo mihi fratres essent.*

15. *quem minume decuit*] Relativum spectat ad supplendum *is*. Toti enuntiato per appositionem additum *propinquus*.

exigunt] i. e. trahunt usque ad finem.

16. *quae aut amisi — facta sunt*] Relativum, quod ad *amisi* est accusativus, ad *facta sunt* nominativo est cogitandum; cf. Iug. 31, 18. *Quod magis vos fecisse, quam illis accidisse indignum est.* 101, 5.

ex necessariis] Hoc quamquam neutrum est, tamen sensu in universum patente homines imprimis comprehendit (v. ad Iug. 13, 6.). Quippe hoc dicit Adherbal: si omnia mihi incolumia essent, neque quicquam rerum mearum amisissem, *neque Iugurtha aliique, qui mihi proximi sunt, mutato animo hostes adversariique facti essent.*

17. *Nunc vero*] Per *nunc* particulam transitur ad praesentem rerum statum, ei, de quo antea dictum fuit, oppositum, quae vis adiecta *vero* particula augetur; cf. infra §. 24. Hist. Fr. III, 81, 2. Iug. 85, 13.

aut quisquam] *Aut* non infert dis-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

18 quam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo Masinissa nos ita instituit, patres conscripti, ne quem coleremus, nisi populum Romanum, ne societates, ne foedera nova acciperemus; abunde magna praesidia nobis in vostra amicitia fore; si 19 huic imperio fortuna mutaretur, una occidendum nobis esse. Virtute ac dis volentibus magni estis et opulenti; omnia secunda et 20 obedientia sunt; quo facilius sociorum iniurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Iugurthae parum cognita transvorsos agat, quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita caussa, statuatis; fingere me verba et fugam simulare, cui licuerit in regno 21 manere. Quod utinam illum, cuius impio facinore in has miserias proiectus sum, eadem haec simulantem videam, et aliquando aut apud vos aut apud deos immortalis rerum humanarum cura oriatur; ne ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatus impietatis in parentem nostrum, fratris mei 22 necis mearumque miseriarum gravis poenas reddet. Iamiam frater, animo meo carissume, quamquam tibi immaturo, et unde minume decuit, vita erepta est, tamen laetandum magis quam dolendum 23 puto casum tuum; non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem et omnis has, quae me premunt, aerumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio

iunctivam interrogationem, sed praecedenti interrogationi novam adiungit, qua illa vel artioribus finibus circumscribatur, vel corrigatur; cf. supra §. 15. Fr. Hist. I, 49, 21. II, 50, 3.

nostri] v. ad Cat. I, 3.

18. *huic imperio*] *Huic* pronomine utitur Adherbal, quia Romae verba facit.

10. *Tantum illud vereor* etc.] Haec in abruptiore oratione ita cohaerent cum antecedentibus: Neque dubito, quin mihi opem laturi sitis, si intellexeritis iure me queri; sed tantum illud vereor, etc.

parum cognita] i. e. quae quam infida et fraudulenta sit, parum illi cognoverunt.

21. *proiectus*] Germanice est *preisgegeben*; cf. Fr. Hist. III, 1, 1. *Quem proiectum ad bellum saevissumum — fame confecistis.*

ne ille — reddet] Haec ita cohaerent cum altero optato (*utinam aliquando — cura oriatur*), ut Adherbal confidenter pronuntiet, *si modo Romani aut dii sibi opitulentur*, profecto Iugurtham poenas scelerum daturum; cf. Cat. 52, 57. *Ne ista mansuetudo — in miseriam convortet.*

sceleribus ferox atque praeclarus] i. e. qui ob scelera feliciter patrata superbit adeoque splendorem sibi addidit.

22. *unde*] v. ad Cat. 3, 3.

23. *amisisti*] Per zeugma hoc verbum ad quattuor proxima substan-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

regno, rerum humanarum spectaculum praebeo, incertus, quid agam, tuasne iniurias persequar, ipse auxili egens, an regno consulam, cuius vitae necisque potestas ex opibus alienis pendet. Uti- 24
nam emori fortunis meis honestus exitus esset! neu vivere contemptus viderer, si defessus malis iniuriae concessissem. Nunc neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore. Patres conscripti, 25
per vos, per liberos atque parentes vostros, per maiestatem populi Romani, subvenite misero mihi, ite obviam iniuriae, nolite pati, regnum Numidiae, quod vostrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere.

XV. Postquam rex finem loquendi fecit, legati Iugurthae, largitione magis quam caussa freti, paucis respondent: Hiempsalem ob saevitiam suam ab Numidis interfectum; Adherbalem ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri, quod iniuriam facere nequivisset. Iugurtham ab senatu petere, ne se alium putarent, ac Numantiae cognitus esset, neu verba inimici ante facta sua ponerent. Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus statim con- 2
sulitur. Fautores legatorum, praeterea magna pars, gratia depravata, Adherbalis dicta contemnere, Iugurthae virtutem extollere laudibus; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno scelere et flagitio, sua quasi pro gloria, nitebantur. At contra pauci, qui- 3

tiva refertur. Sensus est: anima amissa non tam regnum *amisisti*, quam fuga, exilio, egestate, aerumnis *liberatus es*.

rerum humanarum etc.] i. e. talis sum, in quo rerum humanarum infirmitas et inconstantia spectetur.

incertus, quid agam etc.] i. e. consilii plane inops, sive *pietatis* officia explere, i. e. *tuam mortem ulcisci* paro, sive *regiam dignitatem* sustinere, *mihi meoque regno* consulere volo. Neutrum mihi concessum. Nam ut illud possim, viribus opus est, quae mihi desunt, quum ipse auxilio egeam; hoc multo minus valeo, quum vitae necisque potestas, *qua vel maxime constat regia dignitas*, mihi nulla sit, sed ex alienis, i. e. vestris, opibus pendeat.

24. *fortunis meis*] Dativus est; v. ad Cat. 40, 2.

neu vivere etc.] Duo optat Adherbal: si aut mortem sibi consciscat, ut id sibi honestum sit, aut, si iniuriam Iugurthae patienter ferat, ut id sine contemptu fieri possit; sed neutrum sibi dari queritur.

25. *per vos*] i. e. per dignitatem ac salutem vestram; cf. Hist. Fr. II, 50, 13. *Per vos, Quirites, et gloriam maiorum, tolerate advorsa.*

per scelus et sanguinem familiae nostrae] i. e. nefarie et caede familiae nostrae (sc. per Iugurtham) facta.

XV. 1. *ob saevitiam suam*] i. e. ob saevitiam naturâ eius ingenio insitam; cf. Iug. 11, 3.

Numantiae] i. e. ad Numantiam.

2. *fautores*] Intelliguntur *praemio*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

bus bonum et aequum divitiis carius erat, subveniundum Adherbali
4 et Hiempsalis mortem severe vindicandam censebant; sed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, avidus potentiae, honoris, divitiarum, ceterum vitia sua callide oc-
5 cultans. Is postquam videt regis largitionem famosam impudentemque, veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta lubidine continuit.

XVI. Vicit tamen in senatu pars illa, quae vero pretium aut
2 gratiam anteferebat. Decretum fit, uti decem legati regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Iugurtham et Adherbalem dividerent. Cuius legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus et tum in senatu potens, quia consul, C. Graccho et M. Fulvio Flacco inter-
3 fectis, acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Iugurtha tametsi Romae in inimicis habuerat, tamen accuratissime recepit; dando et pollicitando multa perfecit, uti famae, fide, postremo
4 omnibus suis rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via aggressus, plerosque capit; paucis carior fides quam
5 pecunia fuit. In divisione, quae pars Numidiae Mauretaniam attingit, agro virisque opulentior, Iugurthae traditur; illam alteram specie quam usu potiorem, quae portuosior et aedificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

corrupti; cf. c. 13, 8. Ceteri, *gratia depravati*, sunt ii, qui auctoritate fautorum Iugurthae permoti his placere studebant; cf. c. 16, 1. *Vicit pars illa, quae vero pretium aut gratiam anteferebat.*

3. *bonum et aequum*] v. ad Cat. 9, 1.

4. *Aemil. Scaurus*] Consul fuit a. 115. a. Chr. n., censor a. 109. Inde a consulatu princeps senatus semper nobilitatis partium propugnator extitit.

5. *polluta licentia*] *Pollutum* quum latiore sensu dicatur quicquid foedum ac detestabile habetur, sententia est: veritus, ne detestabili licentia usus invidiam sibi conflaret.

XVI. 1. *vero*] i. e. bono, recto, incorrupto; cf. Iug. 30, 2. Hist. Fr. I, 108.

2. *quod — obtinuerat*] v. ad Cat. 14, 7.

L. Opimius] Consul fuit a. 121. a. Chr. n.

C. Graccho etc.] v. Iug. 31, 7. 42, 1 sqq.

exercuerat] v. ad Cat. 38, 4.

3. *fide*] Antiquior dativi forma pro *fidei;* cf. Iug. 74, 1.

5. *agro*] Praegnanti sensu est *agro fertili.*

illam alteram] Ubi ex duobus, quae distinguuntur, *alterum* iam ex praecedentibus cognitum est, interdum *ille* additur; cf. Iug. 13, 1. 73, 4. Cic. in Catil. IV, 5, 9.

possedit] Per prolepsin dictum valet *divisione facta obtinuit et ita possedit;* cf. Iug. 18, 11. ubi *possedere* est *occupavere ac deinde habuere.* 48, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

XVII. Res postulare videtur Africae situm paucis exponere, et eas gentis, quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit, attingere. Sed quae loca et nationes ob calorem aut asperitatem, item so- 2
litudines minus frequentata sunt, de iis haud facile compertum narraverim; cetera quam paucissumis absolvam. In divisione or- 3
bis terrae plerique in parte tertia Africam posuere, pauci tantummodo Asiam et Europam esse, sed Africam in Europa. Ea 4
finis habet ab occidente fretum nostri maris et Oceani, ab ortu solis declivem latitudinem, quem locum Catabathmon incolae appellant. Mare saevum, importuosum, ager frugum fertilis, bonus 5
pecori, arbore infecundus, coelo terraque penuria aquarum. Ge- 6
nus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum; plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere; nam morbus haud saepe quemquam superat; ad hoc malefici generis pluruma animalia. Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique 7
postea accesserint, aut quomodo inter se permixti sint, quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, divorsum est, tamen ut ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis dicebantur, interpretatum nobis est, utique rem sese habere cultores eius terrae pu-

XVII. 1. *exponere*] Infinitivus pendens ex *postulare* pro complemento est huius verbi; v. ad Cat. 5, 9.

2. *compertum*] v. ad Cat. 14, 7. In singulari hoc inest: *quicquam, quod compertum sit.*

3. *in parte tertia posuere*] i. e. quum tres partes sint, tertiae parti attribuunt. Sequentia liberius pendent ex *posuere* verbo, siquidem per zeugma inde audiendum est *statuunt* sive *censent.*

4. *Ea*] sc. Africa, quippe de qua sola hic dicere instituit; v. ad Cat. 48, 1.

nostri maris] i. e. mediterranei; cf. Iug. 18, 4. Hist. Fr. I, 10.

declivem latitudinem etc.] Intelligitur ea terrae pars, quae a Cyrenaica ad Nilum usque leniter declivis porrigitur. Eam Sallustius, alios auctores secutus, Asiae attribuit.

6. *salubri*] i. e. suapte natura robusto.

interiere] Non est aoristus, sed vi perfecti propria valet qui *mortui sunt.*

ad hoc etc.] Insolentia huius iuncturae eo effecta est, quod Sall. praecedentia, quae relativa sententia enuntiari debebant (*quos plerumque sen. diss.* etc.), primariam enuntiationem fecit.

7. *quae plerosque obtinet*] Insolenter dictum pro: quam plerique, tanquam certam, amplectuntur. Vulgo enim *fama obtinet* vel *tenet* absolute dicitur.

regis Hiempsalis] Non eius, qui ab Iugurtha necatus est, sed qui Iubae pater fuit, a. 81. a. Chr. n. a Pompeio in regnum restitutus; cf. Hist. Fr. I, 47.

interpretatum nobis est — dicam]

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tant, quam paucissumis dicam. Ceterum fides eius rei penes auctores erit.

XVIII. Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, asperi incultique, quis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus neque lege aut imperio cuiusquam regebantur; vagi, palantes, qua nox coëgerat, sedes habebant. Sed postquam in Hispania Hercules, sicut Afri putant, interiit, exercitus eius, compositus ex variis gentibus, amisso duce ac passim multis, sibi quisque, imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persae et Armenii, navibus in Africam transvecti, proxumos nostro mari locos occupavere, sed Persae intra Oceanum magis; iique alveos navium invorsos pro tuguriis habuere, quia neque materia in agris neque ab Hispanis emundi aut mutandi copia erat; mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paulatim per connubia Gaetulos secum miscuere; et quia saepe tentantes agros alia, deinde alia loca petiverant, semet ipsi Nomadas appellavere. Ceterum adhuc aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sunt. Medi autem et Armenii accessere Libyes (nam ii

De prima persona pluralis et singularis coniuncta cf. Cat. 7, 7. Iug. 95, 2.

XVIII. 1. *humi pabulum*] i. e. crudum, coquendi arte non mollitum aut conditum.

2. *aut imperio*] Haec in bimembri oratione alteram partem posterioris membri constituunt; cf. Iug. 72, 2. *Neque loco neque mortali cuiquam aut tempori satis credere.* 74, 1. 85, 29. Fr. Hist. I, 95.

3. *passim*] i. e. variis locis, neque ordine; cf. Cic. Epp. ad Famm. XI, 13, 4. *Ille iit passim, ego ordinatim.*

sibi quisque] Haec ablativis absolutis eo modo, quem poscit verbi finiti structura (*quum amisso duce passim multi sibi quisque imp. peterent*), liberius interposita sunt; cf. Iustin. XXIX, 1, 8. *His regibus pueris, etsi nulli senioris aetatis rectores erant, tamen in suorum quisque maiorum vestigia nitentibus, magna indoles virtutis enituit.* Liv. XXI, 45, 9. *Tum vero omnes velut diis auctoribus, in spem suam quisque acceptis —, proelium poscunt.*

4. *intra Oceanum*] i. e. extra fretum Herculis, qua Oceanus Africam alluit.

6. *mare magnum*] i. e. Oceanus.

ignara] Passive *incognita;* cf. Iug. 52, 4. 103, 6.

7. *tentantes agros*] sc. num habitando et frugibus ferendis idonei essent.

9. *accessere Libyes*] De structura *accedere* verbi c. acceus. cf. Iug. 20, 3. 62, 1. 71, 5. 97, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

propius mare Africum agitabant, Gaetuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus); iique mature oppida habuere; nam freto divisi ab Hispania mutare res inter se instituerant. Nomen eorum paulatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros pro Medis appellantes. Sed res Persarum brevi adolevit; ac postea nomine Numidae, propter multitudinem a parentibus digressi, possedere ea loca, quae proxuma Carthagine Numidia appellatur. Deinde utrique alteris freti finitumos armis aut metu sub imperium suum coëgere, nomen gloriamque sibi addidere, magis ii, qui ad nostrum mare processerant, quia Libyes quam Gaetuli minus bellicosi. Denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis possessa est; victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere. 10 11 12

XIX. Postea Phoenices, alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperi cupidine sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim aliasque urbis in ora marituma condidere, eaeque brevi multum auctae pars originibus suis praesidio aliae decori fuere. Nam de Carthagine silere melius puto quam parum dicere, quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa dividit, se- 2 3

ab ardoribus] i. e. a zona calida; cf. Iug. 19, 6.

hique] sc. Medi et Armenii; v. ad c. 17, 4.

freto divisi] i. e. tantummodo angustiis maris divisi; *freto* enim, quod *magno mari* opponitur, caussa instituti commercii indicatur.

inter se] Quum intelligantur *Medi et Armenii* atque *Hispani*, paullo negligentius hoc dictum est, quasi subiectum esset *ipsi et Hispani*.

11. *possedere*] v. ad Iug. 10, 5.

proxuma Carthagine] *Propinquus* et *proximus* ubi cum ablativo construitur, propinquitatis notio constituitur loco, unde aliquid non multum abest; cf. Iug. 19, 4. *Proxumi Hispania Mauri sunt.* Fr. Hist. IV, 32. *C. Verres littora Italia propinqua firmavit.*

12. *utrique*] Intelligendi sunt Persae sive Numidae tum ad Oceanum habitantes, tum qui ab iis digressi prope Carthaginem consederant.

pars inferior] i. e. ad mare vergens.

in gentem — concessere] Ita dicuntur, qui aliis subiecti cum iis quasi coalescunt; cf. Liv. XXIX, 29, 10. *Gens Massylorum omnis in ditionem imperiumque Mezetuli concessit.*

XIX. 1. *Phoenices, alii — pars*] v. ad Cat. 2, 1.

imperi cupidine etc.] Constructionis ratio haec est, ut *imperi cupidine* attributi vi pertineat ad *sollicitata*, ex hac autem voce ad verba *aliis avidis* suppleatur *sollicitatis*. Sensus est: propter imperi cupidinem tum plebe tum etiam nonnullis optimatibus ad turbas civiles concitatis, ac civitate vel eiectis vel sponte discedentibus.

Hipponem] Intelligitur *Diarrhytus* prope Uticam.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

cundo mari prima Cyrene est, colonia Theraeon, ac deinceps duae Syrtes, interque eas Leptis, deinde Philaenon arae, quem locum Aegyptum versus finem imperi habuere Carthaginienses, post aliae 4 Punicae urbes. Cetera loca usque ad Mauretaniam Numidae tenent; 5 proxumi Hispania Mauri sunt. Super Numidiam Gaetulos accepi- 6 mus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare, post eos Ae- 7 thiopas esse, dein loca exusta solis ardoribus. Igitur bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida et finis Carthaginiensium, quos novissume habuerant, populus Romanus per magistratus administrabat, Gaetulorum magna pars et Numidae usque ad flumen Mulucham sub Iugurtha erant, Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, praeter nomen cetera ignarus populi Romani, itemque nobis neque 8 bello neque pace antea cognitus. De Africa et eius incolis ad necessitudinem rei satis dictum.

XX. Postquam, diviso regno, legati Africa decessere, et Iugurtha contra timorem animi praemia sceleris adeptum sese videt, certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romae venalia esse, simul et illorum pollicitationibus accensus, quos paulo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis ani-

Leptim] sc. minorem inter Hadrumetum et Thapsum.

originibus] i. e. metropolibus, unde colonine emissae; cf. Liv. XXVI, 13, 16. *Albam a fundamentis proruerunt, ne memoria originum suarum exstaret.*

2. *Nam de Carthagine*] v. ad Cat. 52, 34.

3. *ad Catabathmon*] i. e. prope Catab., in vicinitate Catabathmi.

secundo mari] Constructio facta ad analogiam dictionis *secundo flumine*. Sensu verba non differunt ab eo, quod est *secundum mare*, i. e. *si secundum mare pergas*, sive *si maris oram sequaris*.

Theraeon] Thera insula fuit ex Cycladibus, cuius cultores Sparta erant oriundi.

Leptis] sc. Magna.

Philaenon arae] De iis v. infra c. 79. Ceterum Sallustius in ordine locorum afferendo negligentior fuit, qui, quum significare vellet ad Cyrenen usque pertinere Syrtim, in regione *Syrtica* autem *aras Philaenon* proxime a Cyrenaica abesse, his immiscuerit Syrtium mentionem, quo inceptus ordo impeditus est.

4. *proxumi Hispania*] v. ad Iug. 18, 11.

7. *Igitur*] Hac particula transitus fit ad propositum; cf. Iug. 96, 1.

novissume[i. e. ante bellum punicum *tertium*, quo tempore eorum fines iam imminuti erant.

populus Rom. — administrabat] i. e. provincia Romana erat, quae *Africa* vocabatur; cf. Iug. 25, 5.

cetera ignarus] cf. Fr. Hist. IV, 9. *Cetera egregius.* Inc. 77. *Sanctus alia.*

XX. 1. *decessere*] cf. Iug. 23, 1. 28, 2. 35, 8. 38, 9.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

mum intendit. Ipse acer, bellicosus; at is, quem petebat, quietus, 2
imbellis, placido ingenio, opportunus iniuriae, metuens magis quam
metuendus. Igitur ex improviso finis eius cum magna manu inva- 3
dit, multos mortalis cum pecore atque alia praeda capit, aedificia
incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit, deinde cum 4
omni multitudine in regnum suum convortit, existumans dolore per-
motum Adherbalem iniurias suas manu vindicaturum, eamque rem
belli caussam fore. At ille, quod neque se parem armis existu- 5
mabat et amicitia populi Romani magis quam Numidis fretus erat,
legatos ad Iugurtham de iniuriis questum misit; qui tametsi contu-
meliosa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decrevit, quam
bellum sumere, quia tentatum antea secus cesserat. Neque eo 6
magis cupido Iugurthae minuebatur, quippe qui totum eius regnum
animo iam invaserat. Itaque non, ut antea, cum praedatoria manu, 7
sed magno exercitu comparato bellum gerere coepit et aperte to-
tius Numidiae imperium petere. Ceterum qua pergebat, urbis, 8
agros vastare, praedas agere, suis animum, hostibus terrorem
augere.

XXI. Adherbal ubi intellegit eo processum, uti regnum aut
relinquendum esset aut armis retinendum, necessario copias parat,
et Iugurthae obvius procedit. Interim haud longe a mari prope 2
Cirtam oppidum utriusque exercitus consedit, et quia die extre-
mum erat, proelium non inceptum. Sed ubi plerumque noctis pro-
cessit, obscuro etiamtum lumine, milites Iugurthini, signo dato,

2. *acer — quietus*] Haec ita sibi opponuntur, ut illud (cf. Iug. 7, 4. 27, 2. 43, 1.) significet eum, qui insito ardore atque fervore ad agendum promptus est (*rührig*, *unternehmend*), hoc desidem et quietis amantem.

opportunus iniuriae] i. e. cui facile et cum impunitatis spe iniuriam facere possis; cf. Liv. XXVIII, 19, 8. *Ne quis unquam civem militemve opportunum iniuriae duceret.*

4. *iniurias suas*] v. ad Cat. 51, 11.

7. *animo iam invaserat*] cf. Cic. in Verr. I, 56, 135. *Iste, qui iam spe et opinione praedam illam devorasset.*

8. *praedas*] cf. Iug. 32, 4. 41, 7. 44, 5.

XXI. 2. *Cirtam*] Hodie *Constantine* est.

die] Antiquior genitivi forma; cf. Iug. 52, 3. 97, 3. Fr. Hist. I, 105. I, 113.

obscuro etiamtum lumine] *Lumen* de *sole* i. e. de globo solis capiendum; cf. Fr. Hist. IV, 43. *Lumine etiamtum incerto.*

fugant funduntque] Naturalis isque vulgatus ordo inversus; v. ad Cat. 36, 4.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

castra hostium invadunt; semisomnos partim, alios arma sumentis fugant funduntque; Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit, et ni multitudo togatorum fuisset, quae Numidas insequentis moenibus prohibuit, uno die inter duos reges coeptum atque patratum 3 bellum foret. Igitur Iugurtha oppidum circumsedit, vineis turribusque et machinis omnium generum expugnare aggreditur, maxume festinans tempus legatorum antecapere, quos ante proelium factum 4 ab Adherbale Romam missos audiverat. Sed postquam senatus de bello eorum accepit, tres adulescentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant, senatus populique Romani verbis nuntient: velle et censere, eos ab armis discedere, de controversiis suis iure potius quam bello disceptare; ita seque illisque dignum esse.

XXII. Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis, quod Romae, dum proficisci parant, de proelio facto et oppugnatione 2 Cirtae audiebatur; sed is rumor clemens erat. Quorum Iugurtha accepta oratione respondit: sibi neque maius quicquam neque carius auctoritate senati esse; ab adulescentia ita se enisum, ut ab optumo quoque probaretur; virtute, non malitia P. Scipioni, summo viro, placuisse; ob easdem artis ab Micipsa, non penuria liberorum, 3 in regnum adoptatum esse; ceterum quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum iniuriam minus tolerare; Adherbalem dolis vitae suae insidiatum; quod ubi comperisset, sceleri 4 eius obviam isse; populum Romanum neque recte neque pro bono

togatorum] i. e. civium romanorum, qui infra c. 26, 1. dicuntur *Italici*, et §. 3. *negotiatores*. cf. c. 47, 1.

tempus legatorum] i. e. tempus, quo legatis opus erat ad negotium suum exsequendum. Id *antecapere festinabat* ita, ut, antequam redirent, Cirta oppido potiretur.

4. *disceptare*] cf. Caes. B. C. III, 107, 2. *De controversiis iure apud se potius, quam inter se armis disceptare.* Liv. XXXVIII, 38, 17.

seque illisque dignum] sc. *Romanis*, ut dominis ac patronis, *illis*, ut eorum clientibus ex senatusque arbitrio pendentibus.

XXII. 1. *clemens*] Translate *clemens* dicitur, quicquid modicum est; quare *rumor clemens* est, qui rem minus atrocem et gravem nuntiat, quam per se est.

2. *Quorum Iugurtha* etc.] De verborum ordine cf. Cat. 37, 9.

malitia] Proprie dicta haec vox in universum *malas artes* significat, *virtuti*, i. e. *bonis artibus* oppositas, ut ex sequentibus patet.

4. *pro bono*] i. e. *bene*. Adverbii vis ex eo prodit, quod qui *pro bono facit*, ita facit, ut id *boni locum obtineat*, sive *boni loco sit*; cf. Suet. Tit. 7. *Atque illi ea fama pro bono ces-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

facturum, si ab iure gentium sese prohibuerit; postremo de omnibus rebus legatos Romam brevi missurum. Ita utrique digrediuntur. Adherbalis appellandi copia non fuit.

XXIII. Iugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque propter loci naturam Cirtam armis expugnare potest, vallo atque fossa moenia circumdat, turris exstruit easque praesidiis firmat, praeterea dies noctisque aut per vim aut dolis tentare, defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare, suos hortando ad virtutem arrigere, prorsus intentus cuncta parare. Adherbal, ubi intellegit, omnis suas fortunas in extremo sitas, hostem infestum, auxili spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse, ex iis, qui una Cirtam profugerant, duos maxume impigros delegit; eos multa pollicendo ac miserando casum suum confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent.

XXIV. Numidae paucis diebus iussa efficiunt; litterae Adherbalis in senatu recitatae, quarum sententia haec fuit:

Non mea culpa saepe ad vos oratum mitto, patres conscripti, sed vis Iugurthae subigit, quem tanta lubido exstinguendi me invasit, ut neque vos neque deos immortalis in animo habeat, sanguinem meum quam omnia malit. Itaque quintum iam mensem socius et amicus populi Romani armis obsessus teneor; neque mihi Micipsae patris mei beneficia neque vostra decreta auxiliantur; ferro

sit. Caes. B. G. V, 7, 7. *Nihil hunc se absente pro sano facturum.*

iure gentium] sc. iure gentium unicuique licebat sibi consulere, si iniuria lacesseretur.

5. *copia non fuit*] sc. legatis per Iugurtham, quippe cuius plurimum interesset, ne illi Adherbalem convenirent.

XXIII. 1. *armis*] i. e. oppugnatione, impetu.

formidinem] Per metonymiam *formido* dicitur pro *re, quae formidinem efficit*; cf. Iug. 66, 1. ib. §. 2. 89, 1.

confirmat] i. e. primo dubitantes et recusantes impellit.

XXIV. 2. *oratum mitto*] i. e. precibus vos adeo.

vis] i. e. iniuria armis illata.

in animo habeat] i. e. neque vostrum n. deorum memor sit = n. v. n. deos *vereatur.*

3. *patris mei beneficia*] sc. in Iugurtham collata.

5. *nisi tamen* etc.] Post negantem sententiam per *nisi* exceptio infertur cum ellipsi aientis verbi, quod praegresso neganti respondeat. Sensus est: Plura de Iug. scribere nolo; *nisi hoc scribam, me intelligere, illum* etc. = *sed tamen hoc unum scribam* etc. cf. Iug. 67, 3. 100, 5. — *Tamen* additum exceptionem gravius effert.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

4 an fame acrius urgear, incertus sum. Plura de Iugurtha scribere dehortatur me fortuna mea; et iam antea expertus sum, parum fidei
5 miseris esse; nisi tamen intellego, illum supra quam ego sum petere, neque simul amicitiam vostram et regnum meum sperare.
6 Utrum gravius existumet, nemini occultum est. Nam initio occidit Hiempsalem, fratrem meum, dein patrio regno me expulit; quae
7 sane fuerint nostrae iniuriae, nihil ad vos. Verum nunc vostrum regnum armis tenet, me, quem vos imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet; legatorum verba quanti fecerit, pericula mea de-
8 9 clarant. Quid reliquum, nisi vis vostra, quo moveri possit? Nam ego quidem vellem, et haec, quae scribo, et illa, quae antea in senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem
10 verbis faceret. Sed quoniam eo natus sum, ut Iugurthae scelerum ostentui essem, non iam mortem neque aerumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiae, quod vostrum est, uti lubet, consulite; me manibus impiis eripite per maiestatem imperi, per amicitiae fidem, si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissae.

XXV. His litteris recitatis fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent, et quam primum Adherbali subveniundum; de Iugurtha interim uti consuleretur, quoniam legatis non paruisset.
2 Sed ab isdem illis regis fautoribus summa ope enisum, ne tale

supra — petere] i. e. in me non subsistere, sed *ulterius tendere*, sc. vobis ipsis hostem fore, quorum imperio se subtrahere parat.

Utrum gravius existumet] i. e. neutrum eum grave existumare = utrumque iuxta aestumare.

7. *vostrum regnum*] sc. quod Romani Adherbali in divisione Numidiae (v. 16, 2.) assignaverant.

posuistis] cf. Cic. p. Flacco c. 19, 45. *Hermippus custos frumento publico est positus.*

8. *vis*] Intelliguntur *arma*; v. ad Iug. 3, 1.

9. *Nam ego quidem* etc.] Referuntur haec ad supplendam sententiam: nolite putare, me rem verbis augere! Nimis vera sunt mea verba! v. ad Cat. 52, 34.

10. *miseria mea*] sc. sero vobis cognita.

ut Iugurthae scelerum ostentui essem] i. e. ut in me ostenderetur sive cognosceretur, quae Iugurtha scelera committeret; cf. Tacit. Ann. XII, 14, 5. *Gotarzes Meherdatem auribus decisis vivere iubet ostentui clementiae suae.*

regno — consulite] i. e. de regno decernite.

XXV. 2. *illis*] sc. de quibus iam supra (c. 15, 2.) dictum est; cf. Cat. 57, 2. 31, 4. 58, 10. Iug. 27, 1.

tale] sc. quale in re tam atroci par erat fieri, i. e. grave et Iugurthae damnosum.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

decretum fieret. Ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis 3
solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam maio- 4
res natu, nobiles, amplis honoribus usi; in quis fuit M. Scaurus,
de quo supra memoravimus, consularis et tum in senatu princeps.
Ii, quod res in invidia erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo 5
navim ascendere, dein brevi Uticam appulsi litteras ad Iugurtham
mittunt: quam ocissume ad provinciam accedat, seque ad eum ab
senatu missos. Ille ubi accepit, homines claros, quorum auctori- 6
tatem Romae pollere audiverat, contra inceptum suum venisse,
primo commotus, metu atque lubidine divorsus agitabatur. Time- 7
bat iram senatus, ni paruisset legatis; porro animus cupidine cae-
cus ad inceptum scelus rapiebat. Vicit tamen in avido ingenio 8
pravum consilium. Igitur, exercitu circumdato, summa vi Cirtam 9
irrumpere nititur, maxume sperans, diducta manu hostium, aut vi
aut dolis sese casum victoriae inventurum. Quod ubi secus pro- 10
cedit, neque, quod intenderat, efficere potest, uti prius, quam le-
gatos conveniret, Adherbalis potiretur, ne amplius morando Scau-
rum, quem plurumum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus
in provinciam venit. Ac tametsi senati verbis graves minae nun- 11
tiabantur, quod ab oppugnatione non desisteret, multa tamen ora-
tione consumpta, legati frustra discessere.

XXVI. Ea postquam Cirtae audita sunt, Italici, quorum vir-

3. *bonum publicum*] v. ad Cat. 38, 3. *solet*] v. ad Cat. 29, 2.

4. *maiores natu*] In priore legatione (cf. 21, 4.) tres *adulescentes* fuerant.

supra] v. Iug. 15, 4.

5. *provinciam*] v. ad Iug. 19, 7.

6. *divorsus agitabatur*] i. e. in contrarias partes agitabatur; v. ad Cat. 5, 8.

7. *porro*] v. ad Cat. 46, 2.

8. *pravum*] v. ad Cat. 5, 1.

9. *casum*] Praegnanti sensu significat *commodam occasionem;* cf. Iug. 56, 4. Tacit. Ann. I, 13, 1. *Arruntium, si casus daretur, ausurum.*

10. *quod intenderat*] *Quod* non pendet ex *intenderat*, sed ex *efficere* verbo supplendo.

uti prius etc.] His verbis appositionis vi illustratur praecedens enunciatum; cf. Iug. 49, 2. *Omnia suis provisa* etc. Caes. B. G. I, 13, 2. *Helvetii quum id, quod ipsi diebus viginti aegerrime confecerant, ut flumen transirent, uno illum die fecisse intelligerent.*

11. *consumpta*] i. e. sine effectu adhibita, nullo inde usu atque commodo percepto; cf. Iug. 62, 9. 93, 1. 98, 2.

frustra] i. e. ita ut legatio frustra esset = ita, ut nihil plane eorum, quorum caussa venerant, effectum esset; cf. Iug. 31, 5. 61, 1. 28, 1.

XXVI. 4. *Italici*] Iidem sunt, qui supra c. 21, 2. *togati* dicuntur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tute moenia defensabantur, confisi, deditione facta, propter magnitudinem populi Romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque et oppidum Iugurthae tradat, tantum ab eo vitam paciscatur, 2 de ceteris senatui curae fore. At ille, tametsi omnia potiora fide Iugurthae rebatur, tamen, quia penes eosdem, si advorsaretur, cogendi potestas erat, ita, uti censuerant Italici, deditionem facit. 3 Iugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat, deinde omnis puberes Numidas atque negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius fuerat, interficit.

XXVII. Quod postquam Romae cognitum est, et res in senatu agitari coepta, iidem illi ministri regis interpellando ac saepe gratia, interdum iurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac ni C. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer et infestus potentiae nobilitatis, populum Romanum edocuisset, id agi, ut per paucos factiosos Iugurthae scelus condonaretur, profecto omnis invidia prolatandis consultationibus dilapsa foret; tanta vis 3 gratiae atque pecuniae regis erat. Sed ubi senatus delicti conscientia populum timet, lege Sempronia provinciae futuris consu- 4 libus Numidia atque Italia decretae; consules declarati P. Scipio Nasica, L. Bestia Calpurnius; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia 5 obvenit; deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur; stipendium aliaque, quae bello usui forent, decernuntur.

magnitudinem] i. e. potentiam et auctoritatem.

2. *potiora*] i. e. maioris pretii et commodi; cf. Iug. 16, 5. 62, 9. 83, 1.

3. *necat*] Proprie hoc dicitur de immani crudelitate, qua quis interimitur. — Res facta a. 112. a. Chr. n.

negotiatores] v. ad Cat. 40, 2.

obvius fuerat] i. e. obvius factus erat; cf. Iug. 50, 4. et v. ad Cat. 37, 1.

XXVII. 1. *leniebant*] Imperfectum de conatu dictum valet *lenire studebant*; cf. Iug. 29, 3. 34, 1. 40, 2.

2. *acer*] v. ad Iug. 20, 2.

factiosos] v. ad Iug. 8, 1.

condonaretur] v. ad Cat. 52, 8.

3. *lege Sempronia*] Ea lege, quam C. Gracchus a. 123. a. Chr. tulerat, cautum erat, ut ante comitia consularia senatus decerneret, in quas provincias novi consules mitterentur. Eas consules vel comparabant inter se, vel sortiebantur.

4. *consules declarati*] In annum 111. a. Chr. n.

P. Scipio Nasica] Filius erat eius, qui Tib. Gracchum occiderat, dicendi elegantia ac sale facetiisque insignis, teste Cicerone, Brut. 31, 128.

L. Bestia Calpurnius] Constantem aurea aetate nominum ordinem, ut nomen gentile praeponeretur cognomini, primus deseruit Sallustius. Inde ab Augusto nihil ea permutatione frequentius.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

XXVIII. At Iugurtha, contra spem nuntio accepto, quippe cui Romae omnia venum ire in animo haeserat, filium et cum eo duos familiaris ad senatum legatos mittit, hisque ut illis, quos Hiempsale interfecto miserat, praecepit, omnis mortalis pecunia aggrediantur. Qui postquam Romam adventabant, senatus a Bestia 2 consultus est, placeretne legatos Iugurthae recipi moenibus; iique decrevere, nisi regnum ipsumque deditum venissent, ut in diebus proxumis decem Italia decederent. Consul Numidis ex senati de- 3 creto nuntiari iubet; ita infectis rebus illi domum discedunt. Inte- 4 rim Calpurnius, parato exercitu, legat sibi homines nobilis, factiosos, quorum auctoritate, quae deliquisset, munita fore sperabat; in quis fuit Scaurus, cuius de natura et habitu supra memoravimus. Nam in consule nostro multae bonaeque artes animi et corporis 5 erant, quas omnis avaritia praepediebat; patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissumus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium atque inde 6 Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectae. Igitur Calpurnius 7 initio, paratis commeatibus, acriter Numidiam ingressus est, multosque mortalis et urbis aliquot pugnando cepit.

XXIX. Sed ubi Iugurtha per legatos pecunia tentare bellique,

XXVIII. 1. *contra spem*] Pertinent haec verba ad definiendam *nuntii* vocem. Sensus enim est: *alio atque speraverat nuntio accepto*. cf. ad c. 25, 11.

praecepit — aggrediantur] cf. Iug. 13, 6.

2. *postquam — adventabat*] i. e. quum iam ad urbem accederent in eoque essent, ut intrarent; v. ad Iug. 13, 5.

iique decrevere] v. ad Cat. 16, 2.

in diebus etc.] i. e. *intra dies* etc. cf. Iug. 96, 1.

4. *legat*] i. e. legatos sibi asciscit.

habitu] cf. Cic. de Inv. I, 24, 35. *Quae industria comparata sunt, ad habitum pertinent.* Significantur igitur *mores* consuetudine, litteris, studiis civilibus, ambitione, aliisque rebus formati.

5. *Nam in consule* etc.] Paulo negligentius haec ad superiora ita referuntur, ut explicetur, cur Calpurnius iam ante profectionem id egerit, ut delicta sua impunita esse possent. Quae sententia ut constet, *quas* solvendum in *sed eas*, in antecedentibus autem supplendum *quidem*.

firmissimus] i. e. intrepidus, obfirmatum animum in rebus asperis gerens; cf. Iug. 50, 4. 51, 5.

pericula et insidias] *Pericula* aperte obveniunt, *insidiae* clandestino dolo parantur.

6. *Siciliam*] Concinnitatis caussa propter praegressum *Rhegium* terrae nomen sine praepositione positum; cf. Iug. 33, 4. *Romae Numidiaeque facinora eius memorat.*

transvectae] Per zeugma hoc verbum refertur ad *Rhegium*; v. ad Iug. 14, 4.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quod administrabat, asperitatem ostendere coepit, animus aeger
2 avaritia facile convorsus est. Ceterum socius et administer omnium consiliorum assumitur Scaurus, qui tametsi a principio, plerisque ex factione eius corruptis, acerrume regem impugnaverat, tamen magnitudine pecuniae a bono honestoque in pravum abstractus est.
3 Sed Iugurtha primo tantummodo belli moram redimebat, existumans, sese aliquid interim Romae pretio aut gratia effecturum: postea vero quam participem negoti Scaurum accepit, in maxumam spem adductus recuperandae pacis, statuit cum iis de omnibus pactionibus
4 praesens agere. Ceterum interea fidei caussa mittitur a consule Sextius quaestor in oppidum Iugurthae Vagam; cuius rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat,
5 quoniam deditionis mora induciae agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit, ac pauca praesenti consilio locutus de invidia facti sui, atque ut in deditionem acciperetur, reliqua cum Bestia et Scauro secreta transigit; dein postero die, quasi per saturam sen-
6 tentiis exquisitis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro consilio imperatum erat, elephanti triginta, pecus atque equi multi cum parvo argenti pondere quaestori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. In Numidia et exercitu nostro pax agitabatur.

XXIX. 1. *tentare*] sc. Calpurnium.

ostendere] sc. re ipsa atque experimento, ut intelligeret dux Romanus, sibi cum acerrimo adversario rem esse.

aeger avaritia] i. e. avaritiâ tanquam morbo correptus.

2. *assumitur*] sc. a Bestia.

3. *redimebat*] i. e. redimere studebat; v. ad Iug. 27, 1.

4. *fidei causa*] sc. obses missus est, cuius fide Iugurtha ad consulem veniret.

deditionis mora] i. e. donec deditio, *quae trahebatur*, facta esset.

5. *de invidia facti sui*] i. e. ad invidiam facti sui diluendam.

secreta] i. e. ita, ut secreta ceterisque ignota essent (*als Geheimniss*), adiectivo praedicatum definiente; v. ad Cat. 26, 5. 33, 3.

quasi per saturam] *Lanx satura*, brevitatis caussa *satura* dicta, quum lanx esset variis cibi generibus repleta, *per saturam* translate adverbii potestate significabat *variis rebus inter se permixtis, confuse ac perturbate, nullo ordine.*

6. *pro consilio*] Sensu non differt ab *in consilio*, quamquam *pro* particulae propria potestas ita constat, ut Bestia, quum eas res Iugurthae imperaret, in conspectu consilii (=*pro consilio*) stetisse cogitandus sit; cf. Iug. 8, 2.

cum parvo argenti pondere] sc. hoc ipso constabat pacis avaritia factae fraus, quod parva pecuniae summa tradebatur quaestori in aerarium conferenda, longo maximam Bestia atque Scaurus privatim accipiebant.

ad magistratus rogandos] i. e. ut

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

XXX. Postquam res in Africa gestas, quoque modo actae forent, fama divolgavit, Romae per omnis locos et conventus de facto consulis agitari. Apud plebem gravis invidia, patres solliciti erant; probarentne tantum flagitium, an decretum consulis subvorterent, parum constabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is 2 auctor et socius Bestiae ferebatur, a vero bonoque impediebat. At C. Memmius, cuius de libertate ingeni et odio potentiae nobili- 3 tatis supra diximus, inter dubitationem et moras senatus, concionibus populum ad vindicandum hortari, monere, ne rempublicam, ne libertatem suam desererent, multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere; prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romae Memmi facundia 4 clara pollensque fuit, decere existumavi unam ex tam multis orationem eius perscribere; ac potissumum ea dicam, quae in contione post reditum Bestiae huiuscemodi verbis disseruit:

XXXI. Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipublicae omnia superet, opes factionis, vostra patientia, ius nul-

praecesset comitiis magistratuum creandorum.

XXX. 1. *res — gestas* etc.] De constructione variata v. ad Cat. 5, 9.

per omnis locos] *Per* quamquam sine sensus detrimento cum *in* et abl. permutari potest, proprie tamen significat res quasi indistincte super multa loca diffusas esse, neque certo loco contineri.

2. *constabat*] sc. *iis;* cf. Cat. 53, 4.

a vero — impediebat] Ad analogiam *prohibere* verbi *impedire* cum *a* praepositione constructum; cf. Cic. p. Mur. 18, 39. *A delectatione omni negotiis impedimur.*

3. *supra*] cf. 27, 2.

prorsus — accendebat] Quemadmodum *prorsus* particula ea, quae adhuc dici possint, in unum complectitur (v. ad Cat. 15, 5.), ita *accendebat* imperfectum expositionem de Memmii actionibus per infinitivos progressam absolvit; cf. Cat. 56, 4. Iug. 15, 2.

4. *Memmi facundia*] De ea cf. Cic. Brut. 36, 136. *C. et L. Memmii fuerunt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. Itaque in iudicium capitis multos vocarunt, pro reis non saepe dixerunt.* Iniquius Cicero de utroque Memmio iudicavit, quia partibus popularibus addicti fuerunt.

unam ex tam multis orationem] cf. Iug. 19, 7. *Pleraque ex Punicis oppida.*

post reditum Bestiae] Rediit ille exacta aestate anni 111. a. Chr. n.

XXXI. 1. *dehortantur a vobis*] Paulo insolentius dictum significat: hortantur, ne rerum vostrarum curam suscipiam.

ni — superet] Quo constet coniunctivi praesentis ratio, haec quasi ex mente earum rerum, quae *dehortari* dicuntur, repetenda sunt.

factionis] i. e. paucorum potentium, optimatium; cf. ad Iug. 8, 1.

ius nullum] i. e. iuris solutio.

2. *Nam illa quidem piget* etc.] His verbis illustratur praecedens sententia: *quod innocentiae plus periculi quam*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

lum, ac maxume, quod innocentiae plus periculi quam honoris est. 2 Nam illa quidem piget dicere, his annis viginti quam ludibrio fueritis superbiae paucorum, quam foede quamque inulti perierint 3 vostri defensores, ut vobis animus ab ignavia atque socordia corruptus sit, qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exsurgitis, atque 4 etiam nunc timetis eos, quis decet terrori esse. Sed quamquam haec talia sunt, tamen obviam ire factionis potentiae animus sub- 5 igit. Certe ego libertatem, quae mihi a parente meo tradita est, experiar; verum id frustra an ob rem faciam, in vostra manu situm 6 est, Quirites. Neque ego vos hortor, quod saepe maiores vostri fecere, uti contra iniurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione 7 opus est; necesse est, suomet ipsi more praecipites eant. Occiso Tiberio Graccho, quem regnum parare aiebant, in plebem Romanam quaestiones habitae sunt; post C. Gracchi et M. Fulvi caedem item vostri ordinis multi mortales in carcere necati sunt. Utriusque 8 cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit. Sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere; quicquid sine sanguine civium

honoris est. Liberius autem Sallustius membra periodi composuit, verbis *illa quidem piget dicere — corruptus sit* subiiciens relativum enuntiatum *qui — exsurgitis*, quum sententiae ratio hanc potius exigeret periodi conformationem: *nam, ne illa dicam, his annis — corruptus sit, ne nunc quidem — exsurgitis* etc.

his annis viginti] i. e. proximis annis xx. — Quum defensores plebis intelligantur Ti. et C. Gracchi, rotundo numero *viginti* anni ponuntur pro *viginti duobus;* Ti. Gracchus enim occisus est a. 133. a. Chr. n.

ab ignavia] Praepositione *origo* corruptionis, quippe ex ignavia *profectae*, distinctius significatur, quam nudo ablat. caussali; cf. Liv. IV, 31, 9. *Exercitu ipso ab re mala perculso.* Germanice reddas *in Folge.*

3. *obnoxiis*] Absolute *obnoxius* dicitur, qui re iniqua ita pressus tenetur, ut nihil contra agere possit; cf. Fr. Hist. IV, 120, 4. *Ille obnoxius, qualem tu voles societatem, accipiet.* Liv. XXIII, 12, 9. *Si reticeam, aut superbus aut obnoxius videar.*

4. *haec talia sunt*] i. e. praesens condicio, inde a Ti. Gracchi caede orta, tam desperata est, qualem dixi; cf. §. 9.

subigit] v. ad Cat. 10, 5.

5. *quae mihi a parente* etc.] i. e. quam legitime a patre acceptam iure meo teneo, a cuius usu nemo me prohibere potest.

experiar] i. e. libertatis tuendae periculum faciam.

in vostra manu] v. ad Iug. 14, 4.

7. *regnum*] v. ad Cat. 5, 6.

quaestiones] i. e. iudicia in caussis capitalibus; cf. infra §. 13. 18. 34, 2. 40, 1. 4. 5.

non lex, verum lubido] *Lex* ita opponitur *lubidini*, ut praegnanti sensu designet *certam quandam et immotam iuris constituti rationem.* Germanice non est *ein Gesetz*, sed *das Gesetz.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ulcisci nequitur, iure factum sit. Superioribus annis taciti indigna- 9
bamini aerarium expilari, reges et populos liberos paucis nobilibus
vectigal pendere, penes eosdem et summam gloriam et maxumas
divitias esse; tamen haec talia facinora impune suscepisse parum
habuere, itaque postremo leges, maiestas vostra, divina et humana
omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui ea fecere, pudet aut 10
poenitet, sed incedunt per ora vostra magnifici, sacerdotia et con-
sulatus, pars triumphos suos ostentantes, perinde quasi ea honori,
non praedae habeant. Servi aere parati iniusta imperia dominorum 11
non perferunt; vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem
toleratis. At qui sunt ii, qui rempublicam occupavere? Homines 12
sceleratissumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentissumi
iidemque superbissumi, quis fides, decus, pietas, postremo honesta
atque inhonesta omnia quaestui sunt. Pars eorum occidisse tribu- 13
nos plebis, alii quaestiones iniustas, plerique caedem in vos fecisse
pro munimento habent. Ita quam quisque pessume fecit, tam ma- 14
xume tutus est; metum a scelere suo ad ignaviam vostram trans-
tulere; quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere
in unum coëgit. Sed haec inter bonos amicitia, inter malos factio 15

8. *ulcisci*] Passive; cf. Liv. II, 17, 7. V, 49, 3. Congruit passiva forma *nequitur* verbi.

9. *talia*] i. e. tam detestabilia; cf. Cat. 51, 17.

divina et humana omnia] v. ad Cat. 12, 2.

hostibus tradita] i. e. Iugurthae prodita, vendita.

11. *perinde quasi ea honori* etc.] i. e. perinde quasi ea sic habeant, ut iis honori, non praedae sint. Concinnitatis caussa autem *praedae habere* positum pro *praedae esse;* ita enim dicitur, quodcunque vel rapitur, vel raptum tenetur; cf. Iug. 69, 3. 90, 2.

12. *postremo*] v. ad Cat. 14, 3.

honesta atque inhonesta etc.] i. e. qui neque inhonestis quaestus caussa abstinent, et honesta quoque non ad virtutem, sed ad quaestum referunt; cf. Cat. 30, 4.

13. *occidisse tribunos plebis*] Haec et seqq. spectare ad Gracchana tempora in promptu est.

caedem in vos fecisse] i. e. caede in vos grassatos esse.

pro munimento habent] i. e. parti — munimenti instar est, sive: his rebus tanquam munimento utuntur.

14. *quam — tam*] Par his particulis gradus summorum scelerum ac maximae securitatis, qualecunque utrumque est, designatur; cf. infra §. 16. Fr. Hist. I, 49, 24.

metum — transtulere] i. e. metum, quem ipsi habere debebant propter scelera sua, iniecerunt vobis, qui ignaviâ illa non vindicastis.

15. *factio*] v. ad Iug. 8, 1.

16. *vastaretur*] v. ad Cat. 15, 4.

beneficia] i. e. honores et munera populi favori et benevolentiae debita; cf. Iug. 85, 3. 8, 26.

17. *bis per secessionem* etc.] Prior

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

16 est. Quod si tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt, profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur, et beneficia vostra penes optumos, non audacissumos
17 forent. Maiores vostri parandi iuris et maiestatis constituendae gratia bis per secessionem armati Aventinum occupavere, vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini? atque eo vehementius, quo maius dedecus est parta amittere, quam
18 omnino non paravisse. Dicet aliquis: Quid igitur censes? Vindicandum in eos, qui hosti prodidere rempublicam? Non manu neque vi, quod magis vos fecisse quam illis accidisse indignum est,
19 verum quaestionibus et indicio ipsius Iugurthae; qui si dediticius est, profecto iussis vostris obediens erit; sin ea contemnit, scilicet existumabitis, qualis illa pax aut deditio sit, ex qua ad Iugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentis maxumae divitiae, in rem-
20 publicam damna atque dedecora pervenerint; nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet, et illa quam haec tempora magis placent, quum regna, provinciae, leges, iura, iudicia, bella atque paces, postremo divina et humana omnia penes paucos erant, vos autem, hoc est populus Romanus, invicti ab hostibus, impera-

secessio, de qua v. Hist. Fr. I, 11., facta a. 494. a. Chr. n., altera a. 449; cf. Liv. III, 51, 10 sqq. et v. ad Cat. 33, 3.

atque eo vehementius] *Atque* in respondendo eam vim habet, ut non tantum id, quod interrogatum est, tacite concedatur, sed etiam gravius quid addatur. Sensus igitur est: *sanè nitendum est, et quidem eo vehementius.*

parta amittere] Res quum *amittantur* vel negligentia vel casu, sensus est: *parta sibi eripi pati*; cf. Cat. 33, 4.

18. *Non manu* etc.] Ad sententiarum nexum supplendum est: *ita sane censeo; sed non manu* etc.

quod — fecisse etc.] v. ad Iug. 14, 16.

et indicio] i. e. et quidem ita habendis, ut ipsius regis indicium et confessio verum aperiat, et, quam illi poena digni sint, ostendat.

19. *si deditícius est*] i. e. si re vera ita se gerit, ut deditum decet.

qualis] i. e. *quam perfida et turpis;* qua sententia nititur ironia per *scilicet* significata; v. ad Cat. 51, 10.

20. *nisi forte*] v. ad Cat. 20, 17.

nondum etiam] *Etiam* ita auget vim *nondum* particulae, ut respondeat vernaculo *noch immer nicht*, pro quo etiam dici possit *ne nunc quidem;* cf. Ter. Hec. V, 1, 18. *Nondum etiam dixi id, quod volui.*

haec tempora] sc. quibus vindicare possumus in obnoxios proditores reipublicae.

hoc est pop. R.] Vis et gravitas formulae *hoc est, id est* eo constat, quod ita corrigitur praecedens vox, ut, quod res vere et proprie est, pro altero ponatur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tores omnium gentium, satis habebatis animam retinere; nam servitutem quidem quis vostrum recusare audebat? Atque ego, tametsi 21
flagitiosissumum existumo impune iniuriam accepisse, tamen vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, aequo animo paterer, ni misericordia in perniciem casura esset. Nam et 22
illis, quantum importunitatis habent, parum est impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur, et vobis aeterna sollicitudo remanebit, quum intellegetis aut serviundum esse aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem aut concordiae quae spes 23
est? Dominari illi volunt, vos liberi esse; facere illi iniurias, vos prohibere; postremo sociis vostris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam divorsis mentibus pax aut amicitia 24
esse? Quare moneo hortorque vos, ne tantum scelus impunitum 25
omittatis. Non peculatus aerari factus est, neque per vim sociis ereptae pecuniae, quae quamquam gravia sunt, tamen consuetudine iam pro nihilo habentur; hosti acerrumo prodita senati auctoritas, proditum imperium vostrum; domi militiaeque respublica venalis fuit. Quae nisi quaesita erunt, nisi vindicatum in noxios, quid erit 26
reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? Nam impune quaelubet facere, id est regem esse. Neque ego vos, Qui- 27
rites, hortor, ut malitis civis vostros perperam quam recte fecisse,

21. *Atque ego*] v. ad Cat. 51, 35.

in perniciem casura esset] i. e. *talem exitum habitura*, ut perniciem afferat.

22. *quantum — habent*] i. e. pro importunitate sua maxima. *Importunitas* autem constat libidine atque audacia (germanice *Unverschämtheit*).

deinde faciundi] Vis sententiae inest in notione *praeteriti* temporis (*fecisse*), cui opponitur *futurum*. Quare *deinde* valet *in posterum*.

per manus] i. e. per vim; cf. supra §. 18. 39, 1.

23. *fidei — concordiae*] sc. ab illis praestandae. De *concordia* v. Hist. Fr. I, 49, 24.

vostris] Ita dicit Memmius, non *nostris*, quo maiorem maiestatis suae sensum maioremque indignitatem in plebe excitet; cf. §. 25.

24. *in tam divorsis mentibus*] v. ad Cat. 2, 10., et de *divorsus* voce ad Cat. 2, 1.

25. *hosti acerrumo* etc.] Adversativam haec sententiam inferunt sine adversandi particula; cf. Cat. 52, 6.

26. *Quae nisi quaesita erunt*] i. e. de quibus nisi quaestiones habitae erunt.

regem esse] v. ad Cat. 2, 1. et ad Iug. 64, 5. Haud dubie Memmius respicit criminationes nobilitatis de regno a Ti. Graccho affectato; cf. §. 7.

27. *Neque ego* etc.] Quum hac sententia restringantur praecedentia et leniantur, *neque* significat *neque tamen*; cf. Iug. 20, 6. 57, 3. 84, 3. 105, 2. Hist. Fr. I, 61.

ut malitis — fecisse] i. e. ut *lubi-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

28 sed ne ignoscendo malis bonos perditum eatis. Ad hoc in republica multo praestat benefici quam malefici immemorem esse: bonus tantummodo segnior fit, ubi neglegas, at malus improbior. 29 Ad hoc si iniuriae non sint, haud saepe auxili egeas.

XXXII. Haec atque alia huiuscemodi saepe dicundo Memmius populo persuadet, uti L. Cassius, qui tum praetor erat, ad Iugurtham mitteretur, eumque interposita fide publica Romam duceret, quo facilius indicio regis Scauri et reliquorum, quos pecuniae ca- 2 ptae arcessebant, delicta patefierent. Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitui praecerant, secuti morem 3 imperatoris sui pluruma et flagitiosissuma facinora fecere. Fuere, qui auro corrupti elephantos Iugurthae traderent; alii perfugas ven- 4 dere, pars ex pacatis praedas agebant; tanta vis avaritiae animos 5 eorum veluti tabes invaserat. At Cassius, perlata rogatione a C. Memmio ac perculsa omni nobilitate, ad Iugurtham proficiscitur, eique timido et ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet, quoniam se populo Romano dedisset, ne vim quam misericordiam eius experiri mallet. Privatim praeterea fidem suam interponit, quam ille non minoris quam publicam ducebat; talis ea tempestate fama de Cassio erat.

XXXIII. Igitur Iugurtha contra decus regium cultu quam ma-

dinem in vindicando habentes malitis eos, qui cives vestri sunt (i. e. nobiles) delinquere potius, quam recte facere.

28. *Ad hoc in republ.* etc.] Adiungit Memmius ad monitum suum, ne ignoscendo malis boni perdantur, generalem sententiam hanc: omnino in republ. utilius esse malis quam bonis civibus animum intendere.

29. *Ad hoc si iniuriae* etc.] Haec postrema confirmant praecedens dictum eo, quod, etiamsi *neglecti boni segniores fiant*, tamen id minus noceat, quia *eorum* auxili haud saepe egeas, si, malis ubique coercitis, iniuriae non sint.

XXXII. 1. *populo*] v. ad Cat. 38, 3.

L. Cassius] Cognomine *Longinus*, is est, qui a. 107. a. Chr. n. Marii in consulatu collega ab Helvetiis in proelio occisus est; cf. Caes. B. G. 1, 7.

fide publica] v. ad Cat. 47, 1.

pecuniae captae] Praegnanti sensu *capere pec.* est *contra leges accipere*; cf. Cic. Legg. III, 20, 46. *Sequuntur de captis pecuniis et de ambitu leges.*

4. *tanta vis — invaserat*] cf. Cat. 36, 5.

5. *ex conscientia*] v. ad Cat. 12, 2. et ad 14, 2.

quoniam] Germanice est *da nun einmal.*

dedisset] cf. Iug. 75, 5. *Qui se post regis fugam Metello dederant.*

XXXIII. 1. *contra decus regium*] cf. Auct. B. Alex. 57, 1. *Deiotarus, depositis regiis insignibus, neque tan-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

xume miserabili cum Cassio Romam venit. Ac tametsi in ipso 2
magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia
aut scelere cuncta ea gesserat, quae supra diximus, C. Baebium
tribunum plebis magna mercede parat, cuius impudentia contra ius
et iniurias omnis munitus foret. At C. Memmius, advocata contione, 3
quamquam regi infesta plebes erat, et pars in vincula duci iubebat,
pars, ni socios sceleris sui aperiret, more maiorum de hoste sup-
plicium sumi, dignitati quam irae magis consulens, sedare motus et
animos eorum mollire, postremo confirmare, fidem publicam per
sese inviolatam fore. Post, ubi silentium coepit, producto Iugur- 4
tha, verba facit, Romae Numidiaeque facinora eius memorat, sce-
lera in patrem fratresque ostendit; quibus iuvantibus quibusque
ministris ea egerit, quamquam intellegat populus Romanus, tamen
velle manifesta magis ex illo habere; si verum aperiat, in fide et
clementia populi Romani magnam spem illi sitam; sin reticeat, non
sociis saluti fore, sed se suasque spes corrupturum.

XXXIV. Deinde, ubi Memmius dicendi finem fecit, et Iugur-
tha respondere iussus est, C. Baebius tribunus plebis, quem pe-
cunia corruptum supra diximus, regem tacere iubet, ac tametsi
multitudo, quae in contione aderat, vehementer accensa, terrebat
eum clamore, voltu, saepe impetu atque aliis omnibus, quae ira

tum privato vestitu, sed etiam reorum habitu, supplex ad Caesarem venit.

2. *ac tametsi in ipso* etc.] Sententiarum rationem sic concipe: ac tametsi in ipso *iam per se* magna vis animi erat, *ut nulla confirmatione egere videretur*, tamen, quum ei animus *etiam additus esset* ab omnibus — C. Baebium parat etc. De *tamen* particula in apodosi concessivae sententiae omissa cf. infra §. 3. 35, 9; 39, 5.

contra ius et iniurias] *Ius* est, quod ex merito et legibus in Iugurtham propter eius scelera statui poterat; *iniuriae* intelligendae de vi et impetu ab infestis adversariis etiam contra leges in eum faciendo.

3. *dignitati — consulens*] i. e. magis id secutus, quod dignitas postulabat, quam quod ira facere stimulabat; cf. ad Cat. 51, 7.

per sese] i. e. quantum in ipso esset.

4. *coepit*] cf. Iug. 62, 7. 85, 17. 91, 4.

producto] Proprium id verbum de tribunis plebis, si quem coram contione aut sententiam dicere iubebant, aut de caussa interrogabant.

Romae Numidiaeque] v. ad Iug. 28, 6.

non sociis saluti fore etc.] Quum maxime ex Iugurtha quaereretur, *quibus iuvantibus et ministris egerit*, sensus est: silentio suo non modo sociis saluti non fore (quod et ipse et illi sperent), sed etiam (quod non reputaret) se ipsum suasque spes corrupturum.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

2 fieri amat, vicit tamen impudentia. Ita populus ludibrio habitus ex contione discedit; Iugurthae Bestiaeque et ceteris, quos illa quaestio exagitabat, animi augescunt.

XXXV. Erat ea tempestate Romae Numida quidam, nomine Massiva, Gulussae filius, Masinissae nepos, qui, quia in dissensione regum Iugurthae advorsus fuerat, dedita Cirta et Adherbale 2 interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui proxumo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissae sit, Iugurthamque ob scelera invidia cum metu urgeat, regnum Numidiae ab senatu petat. 3 Avidus consul belli gerundi moveri quam senescere omnia male- 4 bat; ipsi provincia Numidia, Minucio Macedonia evenerat. Quae postquam Massiva agitare coepit, neque Iugurthae in amicis satis praesidi est, quod eorum alium conscientia, alium mala fama et timor impediebat, Bomilcari, proxumo ac maxume fido sibi, imperat, pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massivae paret, ac maxume occulte; sin id parum procedat, quovis modo Numidam 5 interficiat. Bomilcar mature regis mandata exsequitur, et per homines, talis negoti artifices, itinera egressusque eius, postremo loca atque tempora cuncta explorat; deinde, ubi res postulabat, 6 insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati

XXXIV. 1. *voltu*] *Voltus* significat eum oculorum orisque habitum, qui tacitus est mentis sermo; cf. Cat. 16, 1. Iug. 113, 3.

quae ira fieri amat] *Amare*, insolenter ad graeci verbi φιλεῖν exemplum usurpatum, subiectum habet *ira* vocem, sequente accusativo c. infin. Sensus est: *quae irâ fieri solent;* cf. Hist. Fr. Inc. 75. *Volgus amat fieri.* Alias hoc verbum eodem sensu vulgari modo construitur; cf. Iug. 41, 3.

XXXV. 1. *Gulussae*] cf. c. 5, 6.

dedita Cirta] cf. c. 26.

2. *proxumo anno*] Annus est 110. a. Chr. n.

invidia cum metu urgeat] i. e. Iugurthaque non solum in invidia sit, sed eo etiam laboret, quod pop. Rom. de eo metuat, sc. ne ad maiorem audaciam et impudentiam progrediatur.

3. *senescere*] Translato sensu est *languescere, torpere, quiescere;* cf. Cat. 20, 10. Hist. Fr. 1, 101. *Nisi quum ira belli desenuisset.* III, 81, 19. *Illis senescunt vires.*

4. *conscientia*] v. ad Cat. 14, 2.

impediebat] sc. quominus Iugurthae praesidio essent.

proxumo] v. ad Iug. 12, 3.

Massivae paret] v. ad Cat. 32, 1.

sin id parum procedat] Haec ita referuntur ad praecedentia, ut ad *maxume occulte* supplentur *si possit;* cf. Iug. 46, 4. et v. ad Cat. 51, 24.

6. *ex eo numero*] v. ad Cat. 8, 5. coll. Cat. 32, 3. Iug. 18, 4. 38, 6.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

erant, paulo inconsultius Massivam aggreditur: illum obtruncat, sed ipse deprehensus, multis hortantibus et in primis Albino consule, indicium profitetur. Fit reus magis ex aequo bonoque quam ex 7
iure gentium Bomilcar, comes eius, qui Romam fide publica venerat. At Iugurtha, manifestus tanti sceleris, non prius omisit con- 8
tra verum niti, quam animum advortit, supra gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse. Igitur, quamquam in priore actione 9
ex amicis quinquaginta vades dederat, regno magis quam vadibus consulens clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus, ne reliquos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret. Et ipse paucis diebus eodem profectus est, iussus a senatu Italia decedere. Sed postquam Romam egressus est, 10
fertur, saepe eo tacitus respiciens, postremo dixisse, urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit.

XXXVI. Interim Albinus renovato bello commeatum, stipendium aliaque, quae militibus usui forent, maturat in Africam portare; ac statim ipse profectus, ut ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis aut deditione aut quovis modo bellum conficeret. At contra Iugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias mo- 2

indicium profitetur] i. e. rem omnem aperit edocetque.

7. *ex aequo bonoque*] v. ad Cat. 9, 1. — De *ex* praep. v. ad Cat. 12, 2.

comes eius etc.] Appositio hic non tam subiecti naturam, quam rationem praedicati cum subiecto illustrat. Sensus est: *utpote qui comes esset.* Fides publica enim, Iugurthae data, etiam eius comitibus praestanda fuit.

8. *manifestus tanti sceleris*] v. ad Cat. 52, 36.

9. *in priore actione* etc.] Duas fuisse actiones ex *priore* voce intelligitur. Ubi res non una actione absolvebatur, priore caussa cognoscebatur, testes interrogabantur, reum actor *vadabatur*, i. e. iubebat eum sponsoribus sive vadibus datis promittere constituto ad agendum die in iudicio se affuturum. Bomilcar autem quum in regis potestate esset, *Iugurtha ipse* pro eo vades ex amicis suis dedit; sed de regno magis quam de vadibus sollicitus, Bomilcare clam dimisso eos deseruit.

XXXVI. 1. *portare*] Proprie hoc dicitur de omnibus rebus ad bellum necessariis in sedem belli transferendis; cf. Cat. 6, 5. Iug. 39, 4. 104, 3.

quod tempus] *Comitiorum* vocabulum quum temporis notionem habeat, relativum eo pertinens attractione sequenti *temporis* vocabulo coniungitur; v. ad Cat. 8, 5.

armis aut deditione aut quovis modo] i. e. iusta victoria, aut ita, ut Iugurtha sponte imperata faceret, aut condicionibus et pacto (cf. Iug. 112, 1.).

3. *tum*] Haec particula pertinet

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

rae caussas facere; polliceri deditionem ac deinde metum simulare, cedere instanti et paulo post, ne sui diffiderent, instare; ita belli 3 modo, modo pacis mora consulem ludificari. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consili regis existumarent, neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum socordia magis quam dolo crederent. Sed postquam dilapso tempore comitiorum dies adventabat, Albinus, Aulo fratre in castris pro praetore relicto, Romam decessit.

XXXVII. Ea tempestate Romae seditionibus tribuniciis atro- 2 citer respublica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius, tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur, quae 3 dissensio totius anni comitia impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro praetore in castris relictum supra diximus, aut conficiundi belli aut terrore exercitus ab rege pecuniae capiundae, milites mense Ianuario ex hibernis in expeditionem evocat, magnisque itineribus, hieme aspera, pervenit ad oppidum Suthul, 4 ubi regis thesauri erant. Quod quamquam et saevitia temporis et opportunitate loci neque capi neque obsideri poterat (nam circum murum, situm in praerupti montis extremo, planities limosa hiemantibus

ad *haud ignarum*; quippe opponitur *posterior* Albini ratio *prioribus* eius consiliis, principio belli initis.

ex tanta properantia] v. ad Cat. 4, 1.

4. *postquam — adventabat*] v. ad Iug. 13, 5.

comitiorum dies] Comitia creandis consulibus extrema aestate haberi solebant.

Aulo — pro praetore] *Pro praetore* esse dicebatur legatus, cui imperator, dum ipse aberat, summum imperium tradebat; cf. Iug. 103, 4. — *Legatus* dicitur Aulus c. 38, 1.

XXXVII. 1. *Ea tempestate*] Anni 110. a. Chr. n. altera parte.

3. *Ea morā*] sc. quod et Albinus impeditis comitiis Romae retinebatur, neque novus consul in Africam venire poterat.

terrore exercitus] i. e. terrore, quem exercitus suus Iugurthae iniiceret.

hieme aspera] Haec vi enunciationis concessivae ita pertinent ad *magnis* vocem, ut sensus sit: quamvis hiems *aspera* esset, quae iter impediret, tamen *magnis* itineribus pervenit etc.

4. *neque capi neque obsideri*] i. e. neque primo impetu expugnari, neque circumvallari.

in praerupti montis extremo] Insolentius substantivi potestate positum *extremum;* cf. Iug. 90, 1. *Aestatis extremum erat.* 93, 2. *Ad summum montis egressus est.* Hist. Fr. II, 103. v. ad Iug. 48, 3. Ceterum *in montis extr.* est *in summo montis margine.*

hiemantibus] i. e. per hiemem confluentibus.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

aquis paludem fecerat), tamen aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet, aut cupidine caecus ob thesauros oppidi potiundi, vineas agere, aggerem iacere, aliaque, quae incepto usui forent, properare.

XXXVIII. At Iugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, subdolus eius augere amentiam, missitare supplicantis legatos, ipse quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare. Denique Aulum spe pactionis perpulit, uti relicto Suthule 2
in abditas regiones sese, veluti cedentem, insequeretur; ita delicta occultiora fore. Interea per homines callidos die noctuque exerci- 3
tum tentabat; centuriones ducesque turmarum, partim uti transfugerent, corrumpere, alii signo dato locum uti desererent. Quae post- 4
quam ex sententia instruit, intempesta nocte de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. Milites Romani, perculsi tu- 5
multu insolito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare, trepidare omnibus locis; vis magna hostium, coelum nocte atque nubibus obscuratum, periculum anceps; postremo fugere an manere tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos 6

aut simulandi gratia etc.] i. e. aut *specie tantum* — aut *re vera* etc.

ob thesauros] Haec utrum ad *cupidine caecus*, an ad *oppidi potiundi* referas, parum interest; certe utrumque licet, nec sensus multum discrepat.

aliaque — properare] Cum accus. construitur hoc verb. etiam Iug. 105, 2. 112, 2. Eodem modo dicitur *festinare aliquid;* cf. Iug. 67, 1. Hist. Fr. I, 123. Inc. 71.

XXXVIII. 1. *subdolus*] Adiectivo uti maluit Sulla quam adverbio, quia ita *legato* vano gravius opponitur *rex* dolosus.

quasi vitabundus] i. e. quasi enixe id agens, ut pugnam cum Aulo vitaret; cf. Iug. 60, 4. 101, 9. Hist. Fr. III, 20.

2. *ita delicta occultiora fore*] His verbis a Iugurtha caussa affertur, cur vellet Aulum in remotis regionibus de pactione secum agere. *Delicta* intelligenda sunt *Auli; occultiora* autem pertinet ad senatum et populum Rom., quem Iugurthae intererat non accurate cognoscere, quae Aulus, ab ipso ad temeraria consilia illectus, peccasset.

3. *partim uti transfugerent* etc.] *Partim* quum vices sustineat *alii* adiectivi (cf. Iug. 40, 2. 83, 3. 89, 1.), constructio sic constat: *centuriones — corrumpere, uti partim transfugerent, alii — uti desererent.*

locum] Praegnanti sensu est *suum locum;* cf. Cat. 9, 4. Iug. 52, 4. 101, 4.

4. *intempesta nocte*] v. ad Cat. 27, 3.

5. *periculum anceps*] sc. quod et *in castris* propter militum pavorem ac tumultum hostiumque impetum, et *extra castra* propter fugae difficultatem imminebat, quae sententia sequentibus accuratius illustratur.

6. *gregariis militibus*] Sunt *legionarii milites Romani*, sociis oppositi.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

paulo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum cum duabus turmis Thracum et paucis gregariis militibus transiere ad regem, et centurio primi pili tertiae legionis per munitionem, quam uti defenderet acceperat, locum hostibus introeundi dedit, eaque Numidae 7 cuncti irrupere. Nostri foeda fuga, plerique abiectis armis, pro- 8 xumum collem occupavere. Nox atque praeda castrorum hostis, 9 quo minus victoria uterentur, remorata sunt. Deinde Iugurtha postero die cum Aulo in colloquio verba facit; tametsi ipsum cum exercitu fame ferroque clausum tenet, tamen se memorem humanarum rerum, si secum foedus faceret, incolumis omnis sub iugum missurum; praeterea uti diebus decem Numidia decederet. Quae 10 quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen, quia mortis metu mutabant, sicuti regi lubuerat, pax convenit.

XXXIX. Sed ubi ea Romae comperta sunt, metus atque moeror civitatem invasere. Pars dolere pro gloria imperi, pars insolita rerum bellicarum timere libertati, Aulo omnes infesti, ac maxume, qui bello saepe praeclari fuerant, quod armatus dedecore 2 potius quam manu salutem quaesiverat. Ob ea consul Albinus ex

centurio primi pili] i. e. primus centurio pilanorum, sive triariorum.

eaque] cf. Cat. 57, 3. Iug. 18, 2. 50, 3. 6. 101, 11. Hist. Fr. I, 10.

8. *clausum tenet*] Insolentior in oratione obliqua indicativus ex quadam confusione rei, *qualis per se est, narrandae*, et, quoniam ex alterius mente pendet, *ad eius cogitationem referendae*, repetendus videtur. Ita enim incipit Sallustius, quasi non Iugurthae verba referat, sed factum ipsum per se exponat, et tamen in apodosi ipsum Iugurtham loquentem facit; cf. Iug. 54, 1. 63, 1. — *Clausum* non est *inclusum*, sed *ita pressum, ut evadere nequeat*.

9. *sub iugum missurum*] Id non fecit ex more Numidarum, sed Romanorum morem, sibi cognitum, quo maior ignominia foret, in ipsos adhibuit. Indicabatur autem, eum, qui sub iugum iret, a victore interfici potuisse.

10. *mutabant*] Intransitivo sensu est: aliam speciem induebant, i. e. alia videbantur, atque erant. Silicet res turpissimae ac flagitiosissimae ex summa necessitate aliquam accipiebant excusationem, ut, quam turpes essent, non sentiretur. De *mutare* verbo cf. Tacit. Ann. XII, 29, 1. *Vannius — diuturnitate in superbiam mutans* (*umschlagend* in Uebermuth). Liv. XXXIX, 51, 10.

XXXIX. 1. *dolere pro gloria*] *Dolere pro aliqua re* dicitur, quum angimur ob rem *caram*, quae detrimentum accepit. Sensus igitur est: *dolebant, metuentes, ne tanta labes accepta gloriam imperii minueret*; cf. Cic. de Finn. I, 7, 24. *Ut omittam dolorem, quem optimus quisque pro patria et pro suis suscipit.*

2. *consul Albinus* etc.] Pertinent haec ad annum 109. a. Chr. n. Sed quum comitiis impeditis (cf. c. 37, 2.) consules in annum 109. nondum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

delicto fratris invidiam ac deinde periculum timens senatum de foedere consulebat, et tamen interim exercitui supplementum scribere, ab sociis et nomine Latino auxilia arcessere, denique omnibus modis festinare. Senatus ita, uti par fuerat, decernit, suo atque populi iniussu nullum potuisse foedus fieri. Consul impeditus a tribunis plebis, ne, quas paraverat copias, secum portaret, paucis diebus in Africam proficiscitur; nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus, in provincia hiemabat. Postquam eo venit, quamquam persequi Iugurtham et mederi fraternae invidiae animo ardebat, cognitis militibus, quos praeter fugam, soluto imperio, licentia atque lascivia corruperat, ex copia rerum statuit sibi nihil agitandum.

XL. Interim Romae C. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senati decreta neglegisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos quique

essent creati, Albinus, consul anni 110., magistratum retinuit, donec novus consul succederet; cf. c. 44, 4.

2. *ab sociis et nomine Latino*] *Socii* ubi a *nomine Latino* discernuntur (cf. c. 40, 2. 42, 1. 43, 4. 84, 2. 95, 1.), sunt *Italici; nomen Latinum* complectitur omnes Latinos, qui civitatem quidem non habebant, sed tamen paullo meliore erant quam socii condicione.

3. *uti par fuerat*] Plusquamperfecto respicitur non tam ad illud tempus, quo senatus decernebat, quam ad superius, siquidem *iam ante factum decretum*, re ipsa exigente, *par fuerat* foedus improbari.

populi iniussu] cf. Cic. p. Balbo 15, 34. *De quo foedere populus Rom. sententiam non tulit, qui iniussu suo nullo pacto potest religione teneri.*

4. *uti convenerat*] cf. c. 38, 9. 10.

5. *ex copia rerum*] i. e. pro rerum, quae tunc erant, statu et condicione; cf. Iug. 98, 3. 90, 1. 54, 9. 76, 3.

statuit] i. e. iudicavit, censuit; cf. 54, 5. Cat. 4, 1.

XL. 1. *Interea — rogationem — promulgat*] Hoc factum vere anni 109. a. Chr. n., ut patet ex eo, quod praeter ceteros etiam in *Aulum*, quippe qui post cladem *hieme* anni 109. acceptam (cf. c. 37, 3.) cum hoste pactiones fecisset (c. 38, 10.), quaestio postulata est.

uti quaereretur] v. ad Iug. 31, 7.

in legationibus aut imperiis] De plurali v. ad Cat. 14, 5.

2. *conscii sibi*] v. ad Cat. 14, 2.

ex partium invidia] i. e. ex invidia sive odio, *quo partes* (sc. *populares*; cf. c. 41, 1. 43, 1.) *in optimates aestuabant.*

homines nominis Latini et socios Italicos] v. ad c. 39, 3. Quomodo ii rogationi impedimento esse potuerint, quum suffragii ferendi iure carerent, obscurum est. Non abhorret tamen a verisimilitudine, optimates illis spem civitatis obtinendae ostendisse, ut novo eoque gravissimo negotio obiecto plebis mentes animique a Mamilii rogatione averterentur.

parabant] v. ad Iug. 27, 1.

3. *quam intenta fuerit*] i. e. quam unice rem, quae agebatur, amplexa sit, neque alio se abduci passa sit; cf. Cat. 6, 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

perfugas tradidissent, item qui de pace aut bello cum hostibus
2 pactiones fecissent. Huic rogationi partim conscii sibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa et alia talia placere sibi faterentur, occulte per amicos ac maxume per homines nominis Latini et socios Italicos
3 impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile memoratu est, quam intenta fuerit, quantaque vi rogationem iusserit, magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicae; tanta lubido
4 in partibus erat. Igitur ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiae fuisse supra docuimus, inter laetitiam plebis et suorum fugam, trepida etiamtum civitate, quum ex Mamili rogatione tres quaesitores rogarentur, effecerat, ut ipse in eo numero
5 crearetur. Sed quaestio exercita aspere violenterque ex rumore et lubidine plebis; ut saepe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.

quanta vi] Vel latiore sensu esse potest *quanto studio et ardore* (cf. Cic. in Verr. III, 53, 124. *Summa vi data est opera a me*), vel magis proprie *quanto impetu.*

rogationem iusserit] *Iubere* proprium vocabulum fuit de iis, quae populus in comitiis comprobaret et constitueret; cf. Iug. 73, 7. 84, 1. 85, 11. Ipsa rogationis formula solennis fuit: *velitis, iubeatis, Quirites.*

malą illa] sc. quae ex quaestione proventura erant, damnatio, multa, exilium, capitis deminutio.

quam cura reipublicae] i. e. quam quod plebs putabat ex ea re reipublicae commoda ventura.

lubido] *Lubido* eius est, qui rationi non obtemperans non curat, quid verum, rectum, iustum sit; cf. §. 5. Cat. 51, 2. 52, 21. Iug. 42, 4. 4. *supra*] cf. c. 28, 4.

inter laetitiam etc.] i. e. dum ex altera parte plebs laetitia effertur, ex altera sui valde consternati sunt. *Fuga* enim de perturbatione optimatium, quae cum *clade* comparatur, intelligendum; cf. infra c. 65, 5. *Nobilitate fusa.* Cic. Epp. ad Attic. I, 16 in. *Quas ego pugnas et quantas strages edidi.*

trepida etiamtum civitate] i. e. ita etiamtum commotis et exagitatis civibus, ut circumspectione et prudentia in agendo carerent. Caussam eam fuisse significat Sallustius, cur Scaurus, qui et ipse suspectus esset, tamen inter quaesitores crearetur.

ex rumore etc.] *Plebis* ad utrumque substantivum pertinet; cf. Cat. 29, 1. *Senatum volgi rumoribus exagitatum.* Sensus est: quaestio exercita, caussâ non accurate cognitâ, sed *prout quisque a plebe dicebatur credebaturque in culpa esse.* — *Ex lubidine* significat plebem irae atque odio indulsisse in sententiis ferendis. — De eventu huius quaestionis cf. Cic. Brut. 24, 128. *Invidiosa lege Mamilia C. Galbam sacerdotem et quattuor consulares L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum civemque praestantissimum L. Opimium Gracchi interfectorem, a populo absolutum, quam is contra populi studium stetisset, Gracchani iudices sustulerunt.* — Gracchani iudices sunt equites.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

XLI. Ceterum mos partium popularium et senati factionum ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romae ortus est, otio atque abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide 2 modesteque inter se rempublicam tractabant, neque gloriae neque dominationis certamen inter civis erat; metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus decessit, 3 scilicet ea, quae res secundae amant, lascivia atque superbia incessere. Ita, quod in advorsis rebus optaverant otium, postquam 4 adepti sunt, asperius acerbiusque fuit. Namque coepere nobilitas 5 dignitatem in dominationem, populus libertatem in lubidinem vortere, sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abstracta sunt, respublica, quae media fuerat, dilacerata. Ceterum 6 nobilitas factione magis pollebat, plebis vis soluta atque dispersa in multitudine minus poterat. Paucorum arbitrio belli domique agi- 7

XLI. 1. *senati factionum*] v. ad Iug. 8, 1.

earum rerum, quae prima] Quum pro quovis adiectivi neutro substantivi potestate posito etiam *res* cum congruente adiectivo vel pronomine dici possit, haud raro utrumque dicendi genus ita confunditur, ut licet *res* praecedat, tamen neutrum sequatur; cf. Iug. 102, 9. *Humanarum rerum Fortuna pleraque regit.* Cic. de Divin. I, 53, 119. *Earum rerum utrumque a corde proficisci.* Quare h. l. *quae prima* non positum pro *quas primas*, sed *earum rerum* dictum pro *eorum*.

2. *populus et senatus Rom.*] v. ad Iug. 9, 2.

placide — tractabant] v. ad Cat. 39, 2. Pluralis inde repetendus, quod *populus* et *senatus* inter se discreti cogitantur.

gloriae] *Gloria* quum h. l. intelligatur *falsa* inhonestisque rebus nitens, illa quidem pariter vituperanda atque *dominatio*, verba non pugnant cum loco Cat. 7, 6. *Gloriae maximum certamen inter ipsos erat*, ubi de vera gloria agitur.

metus hostilis] i. e. metus ab hostibus; cf. Iug. 105, 3. Hist. Fr. I, 12. *Remoto metu Punico.*

3. *scilicet*] v. ad Iug. 4, 6.

quae — amant] v. ad Iug. 34, 1.

4. *asperius acerbiusque fuit*] i. e. maius periculum maioremque tristitiam et luctum attulit, sc. *quam illae ipsae res advorsae.*

5. *dignitatem in dominationem* etc.] His verbis Sall. declarat, quomodo uterque ordo ab eo, *quod cuiusque peculiare esset*, degeneraverit. *Nobilitas* enim, quum iure suo maiorem in civitate *dignitatem* et auctoritatem obtineret, ea non contenta *dominationem* i. e. tyrannidem (cf. Cat. 17, 5. Iug. 31, 16. 20. 23. Hist. Fr. III, 81, 4. 6. 11. 23. 28.) quaesivit; *populus* (i. e. plebs, cf. ad Cat. 38, 3.), cuius summum bonum in *libertate* (v. ll. ll.) constabat, gravibus contentionibus parta, modico eius usu non contentus ad *lubidinem*, i. e. immoderatam effusamque agendi licentiam progressus est; cf. c. 40, 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tabatur; penes eosdem aerarium, provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant; populus militia atque inopia urgebatur; praedas 8 bellicas imperatores cum paucis diripiebant; interea parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus 9 pellebantur. Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, 10 quoad semet ipsa praecipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent, moveri civitas et dissensio civilis quasi permixtio terrae oriri coepit.

XLII. Nam postquam Tiberius et C. Gracchus, quorum maiores Punico atque aliis bellis multum reipublicae addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere coepere, nobilitas noxia atque eo perculsa, modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ierat, et primo Tiberium,

respublica, quae media fuerat] *Respublica* quum omnia ea complectatur, quae omnium civium communia sunt, iura, leges, bonum publicum, *media est* inter utrasque partes, ubi neutri illas res curant, sed suo commodo intenti, quicquid possunt, inde ad se trahunt; quo fit, ut illa *dilaceretur*. — Plusquamperfectum eo nititur, quod resp., simulatque *dilacerata est*, media esse desiit.

6. *factione*] i. e. arta paucorum potentium coniunctione et quasi globo, ut loquitur Marius Iug. 85, 10.; v. etiam ad Iug. 8, 1.

in multitudine] Haec coniungenda cum *dispersa*.

7. *agitabatur*] i. e. omnia agebantur (*wurde verfahren*); cf. Hist. Fr. 1, 11. *Aequo et modesto iure agitatum*.

gloriae] v. ad Cat. 14, 5.

8. *militum*] sc. qui domo aberant, dum stipendia faciunt.

sedibus] i. e. agro publico.

9. *sine modo modestiaque*] v. ad Cat. 11, 4.

nihil pensi] v. ad Cat. 5, 6.

10. *reperti sunt, qui*] Gracchos intelligi planum est.

quasi permixtio terrae] Comparatur *dissensio civilis* cum eo rerum statu, qui futurus esset, si omnes terrae partes inter se confusae essent, et summa imis miscerentur. Insolentia huius comparationis mollitur *quasi* particula; cf. Iug. 29, 5.

XLII. 1. *quorum maiores*] Non solum avus P. Corn. Scipio Africanus, sed etiam pater Ti. Sempronius Gracchus, qui anno 179. a. Chr. n. consul Celtiberos debellaverat.

per socios] v. ad Iug. 39, 2. — Impedimenta rogationibus nobilitas ita parasse videtur, ut socii et Latini persuadere studeret, legem Gracchorum agrariam ipsis quoque, quippe qui partem agri publici tenerent, detrimento fore.

spes societatis] sc. cum nobilitate iungendae, unde maxima sibi commoda ventura sperabant, quum iam tum publicani magna negotia haberent.

primo Tiberium] Anno 133. a. Chr. n.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

dein paucos post annos eadem ingredientem Gaium, tribunum alterum, alterum triumvirum coloniis deducundis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverat. Et sane Gracchis cupidine victoriae haud satis 2
moderatus animus fuit. Sed bono vinci satius est, quam malo 3
more iniuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua 4
usa multos mortalis ferro aut fuga exstinxit, plusque in reliquum sibi timoris quam potentiae addidit. Quae res plerumque magnas civitates pessumdedit, dum alteri alteros vincere quovis modo et victos acerbius ulcisci volunt. Sed de studiis partium et omnis 5
civitatis moribus si singulatim aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius me deseret. Quamobrem ad inceptum redeo.

XLIII. Post Auli foedus exercitusque nostri foedam fugam Q. Metellus et M. Silanus, consules designati, provincias inter se partiverant, Metelloque Numidia evenerat, acri viro et, quamquam advorso populi partium, fama tamen aequabili et inviolata. Is ubi 2
primum magistratum ingressus est, alia omnia sibi cum collega ra-

paucos post annos] Anno 121. a. Chr. n.

eadem ingredientem] i. e. eâdem pergentem, eodem animo eâdemque via eadem consilia persequentem; cf. Pseudo-Sallust. de rep. ord. I, 5. *Pravâ viâ ingressus.*

cum M. Fulvio Flacco] Consul anno 125. a. Chr. n. semper a populi partibus stetit.

3. *sed bono vinci* etc.] Haec non ad Gracchos spectant, sed ad nobilitatem. Sententiae ratio, brevitate paulum obscurata, haec est: „Sane Gracchi cupidine victoriae modum excesserunt. Sed *nihilominus in iis vindicandis nobiles iusto atrociores ac minime boni fuere; nam viro* bono vinci satius est" etc. Nobiles enim, si vere boni fuissent, se vinci a Gracchis, quam iniuriam ab illis sibi factam malo more ulcisci maluissent.

malo more] *Mos* nobilium quum constaret intolerabili superbia et atrocitate in plebem, *malo more* est: iis artibus, quae malorum esse solent.

4. *Igitur* etc.] Hac particula monstrantur, quae ex praecedentibus consecuta sunt.

ex lubidine sua] v. ad Iug. 40, 3.

ferro aut fuga exstinxit] *Fuga* i. e. *exilio* (cf. Iug. 3, 2. Hist. Fr. I, 49, 18.) quum cives non necentur, sed civitate priventur, *exstinxit* per zeugma eo pertinet; cf. Iug. 3, 1. 14, 4.

plusque — timoris] i. e. eoque effecit, ut in reliquum *magis timeretur, quam potentiâ valeret.*

Quae res] sc. si altera pars maxime timorem alteri inferre studet, neque vera potentia pollet. Quippe ita non reprimuntur adversarii, sed ad maiorem iram et odium exstimulantur.

dum] Haec particula h. l. non solum temporis aequalitatem, sed etiam *caussam* designat.

5. *si — parem — deseret*] cf. Cic.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

3 tus, ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui milites scribere, praesidia undique arcessere, arma, tela, equos et cetera instrumenta militiae parare, ad hoc commeatum affatim, denique omnia, quae in bello vario et multa-
4 rum rerum egenti usui esse solent. Ceterum ad ea patranda senatus auctoritate, socii nomenque Latinum et reges ultro auxilia mit-
5 tundo, postremo omnis civitas summo studio annitebatur. Itaque ex sententia omnibus rebus paratis compositisque, in Numidiam proficiscitur, magna spe civium, quum propter artis bonas, tum maxume, quod advorsum divitias invictum animum gerebat, et avaritia magistratuum ante id tempus in Numidia nostrae opes contusae hostiumque auctae erant.

XLIV. Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur a Sp. Albino proconsule iners, imbellis, neque periculi neque laboris patiens, lingua quam manu promptior, praedator ex sociis et ipse
2 praeda hostium, sine imperio et modestia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis quam ex copia militum

Tusc. V, 35, 102. *Dies deficiet, si velis paupertatis caussam defendere.*

XLIII. 1. *Q. Metellus et M. Silanus*] Plenum illius nomen *Q. Caecilius Metellus*, huius *M. Iunius Silanus*. Annus consulatus fuit 109. a. Chr. n.

partiverant] v. ad Iug. 27, 4. Consules utrum sortitione an pactione usi sint, incertum.

advorso — partium] *Advorsus* ad analogiam vocabulorum *amicus, inimicus, adversarius, contrarius* substantivi potestate positum.

aequabili] i. e. constanti atque ea semper bona, quam sententiam additum *et inviolata* confirmat; cf. Cat. 2, 3.

2. *alia omnia — ratus*] i. e. alia omnia, praeter bellum Africanum, sibi communiter cum collega agenda ratus, *non tam ad ea, quippe quae leviora essent, quam ad bellum*, quod gesturus erat, *animum intendit*.

3. *bello vario*] i. e. quod non uno proelio conficitur, sed multis modis gerendum est, qui saepe mutantur; cf. Flor. II, 13, 26 (IV, 2.) *Anceps variumque sed incruentum in Hispania bellum cum legatis Cn. Pompei.*

4. *senatus*] Nominativus est; tres enim partes annitebantur, senatus, socii, civitas.

5. *ex sententia*] i. e. ita ut res sententiae responderent; cf. Iug. 38, 4. 109, 4.

invictum] v. ad Iug. 2, 3.

et avaritia etc.] Haec sententia, quae caussam continet praecedentis, copulandi particula annectitur; cf. Cat., 19, 2.

XLIV. 1. *praedator ex sociis*] i. e. praedam agens ex sociorum agris; v. ad Cat. 5, 4.

sine imperio — habitus] i. e. ita habitus, ut neque imperium exerceret dux, neque duci obedirent milites. De voce *modestia* v. ad Cat. 11, 4; de *habitus* ad Cat. 5, 9.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

auxili aut spei bonae accedebat. Statuit tamen Metellus, quam- 3
quam et aestivorum tempus comitiorum mora imminuerat, et exspectatione eventus civium animos intentos putabat, non prius bellum attingere quam maiorum disciplina milites laborare coëgisset. Nam 4
Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis aestivorum in imperio fuit, plerumque milites stativis castris habebat, nisi quum odos aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed neque mu- 5
niebantur ea, neque more militari vigiliae deducebantur; uti cuique lubebat, ab signis aberat; lixae permixti cum militibus diu noctuque vagabantur; palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum praedas certantes agere, eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio et aliis talibus; praeterea frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari; postremo, quaecunque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, ea in illo exercitu cuncta fuere et alia amplius.

XLV. Sed in ea difficultate Metellum non minus quam in rebus hostilibus magnum et sapientem virum fuisse comperior; tanta

3. *aestivorum tempus*] i. e. tempus ad bellum gerendum idoneum.

comitiorum mora] Anni 109. consules vere demum adulto consulatum inierant propter comitia superiore anno a tribunis impedita; cf. Iug. 37, 2.

exspectatione — intentos] v. ad Cat. 2, 9.

laborare] i. e. labores militiae perferre et consuetos habere; cf. c. 45, 2.

4. *stativis castris habebat*] De ablativo cf. Hist. Fr. III, 1, 5. *Hiemem castris inter saevissumos hostes egi.*

quum — subegerat] Ubi saepius facta res narratur, Sallustius indicativo utitur; cf. Iug. 50, 6. 55, 4. 60, 3. 92, 8. 98, 1. 101, 4.

5. *lixae*] Hoc vocabulo significari videntur, qui varia utensilia militibus venderent, omninoque ex iis quaestum facerent.

frumentum publice datum] Id certo die distribuebatur (v. Caes. B. G. VI, 33, 5.) et quidem in totum mensem (v. Liv. VIII, 2, 4.), unde etiam *menstruum* dictum; v. ad 45, 2.

in dies] i. e. in dies singulos; cf. Iug. 74, 1. Hist. Fr. I, 51.

XLV. 1. *ambitionem saevitiamque*] Illa cernitur in nimia indulgentia ad favorem militum consequendum (v. ad Iug. 64, 5.), haec in nimia in delictis puniendis severitate; cf. Iug. 100, 5.

tanta temperantia — moderatum] sc. ut hac laude dignus videatur. Caussam haec afferunt praecedentis sententiae (cf. Cat. 7, 3. 36, 5. Iug. 40, 3. 56, 5. 84, 3.), sequentia ipsam caussam illustrant.

2. *ne quisquam*] i. e. ne quis, quicunque esset; cf. infra: *ne quisquam egrederetur.*

ceteris arte modum statuisse] Duobus modis exercitum emendabat Metellus, alia, quae gravia essent, *ve-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

2 temperantia inter ambitionem saevitiamque moderatum; namque edicto primum adimenta ignaviae sustulisse, ne quisquam in castris panem aut quem alium coctum cibum venderet, ne lixae exercitum sequerentur, ne miles gregarius in castris neve in agmine servum aut iumentum haberet, ceteris arte modum statuisse. Praeterea transvorsis itineribus quotidie castra movere, iuxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere et eas ipse cum legatis circumire, item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur, uti cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma
3 portaret. Ita prohibendo a delictis magis quam vindicando exercitum brevi confirmavit.

XLVI. Interea Iugurtha, ubi, quae Metellus agebat, ex nuntiis accepit, simul de innocentia eius certior Roma factus, diffidere suis rebus; ac tum demum veram deditionem facere conatus est.
2 Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent, alia omnia dederent populo Romano.
3 Sed Metello iam antea experimentis cognitum erat, genus Numida-

tando et plane tollendo, alia eaque leviora *ad restrictiorem modum revocando*. Quare *ceteris* significat *ceteris rebus*, sc. quae disciplinae offecerant; *arte* autem adverbium est *artus* participii; cf. Iug. 85, 34. *Neque illos arte colam, me opulenter.* Hist. Fr. III, 81, 13. *Nisi viceritis — artius* (sc. vos) *habebunt.* — *Edicto* et ad *sustulisse* et ad *statuisse* pertinet.

transvorsis itineribus] Germanice sunt *Kreuz- und Querzüge*.

vigilias crebras] i. e. exiguis temporis intervallis deductas; cf. Iug. 50, 4. *Hostis crebro impetu — iter suum remoraturos.*

cum signis frequentes incederent] *Frequentes* dicuntur, qui uno in loco tam multi adsunt, ut ad iustum aut ad magnum numerum nihil desit; cf. Cat. 18, 8. 48, 6. Iug. 73, 7.

cibum et arma portaret] Praecipuum id in militia romana; cf. Cic. Tusc. II, 16, 37. *Militiae qui labor, quantus agminis? ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre, si quid ad usum velint, ferre vallum. Nam scutum, gladium, galeam in onere milites non plus numerant, quam lumeros, lacertos, manus.* Liv. XLIV, 2, 4. *Consul menstruum iusso milite secum ferre profectus.*

XLVI. 1. *innocentia*] v. ad Cat. 12, 1. Respicit auctor ad c. 43, 5., ubi dixit Metellum *adversum divitias invictum animum gessisse.*

2. *cum suppliciis*] i. e. cum instantibus precibus; cf. Cat. 52, 29. Iug. 66, 2. 38, 1. *Iugurtha missitare supplicantis legatos.* 47, 3. *Impensius modo legatos supplices mittere.*

3. *Metello — cognitum erat*] Dativi ratio eo nititur, quod *cognitum* idem valet atque *notum;* sensus est enim *Metello constabat;* cf. Iug. 60, 5. 75, 2. 82, 3. 106, 2. 107, 3. — *Experimenta* sunt *res factae.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

rum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum esse. Itaque 4
legatos alium ab alio divorsos aggreditur, ac paulatim tentando postquam opportunos sibi cognovit, multa pollicendo persuadet, uti Iugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent; ceterum palam, quae ex voluntate forent regi, nuntiari iubet. Deinde ipse paucis diebus intento atque infesto exercitu in 5
Numidiam procedit, ubi contra belli faciem tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant; ex oppidis et mapalibus praefecti regis obvii procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, postremo omnia, quae imperarentur, facere. Neque Me- 6
tellus iccirco minus, sed pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis signa ostentui credere, et insidiis locum tentari. Itaque ipse cum expeditis 7
cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta manu apud primos erat, in postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat, in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et praefectis cohortium dispertiverat, ut cum his permixti velites, quocunque accederent equitatus hostium, propulsarent. Nam in Iugurtha tantus 8

4. *alium ab alio divorsos*] v. ad Cat. 20, 5.

paulatim tentando] Haec cum vi *postquam* particulae praemissa ad *cognovit* pertinere res ipsa ostendit; tentatio enim cognoscendi est via.

sin] v. ad Ing. 35, 4.

procedat — traderent] v. ad Cat. 32, 2.

palam] De simili consilio cf. Iug. 29, 5.

quae ex voluntate forent regi] i. e., si rem spectas: quae regi, id quod ille maxime cupiebat, spem praeberent deditionis atque pacis; cf. c. 47, 4.

5. *infesto*] i. e. ad impetum faciendum parato; cf. Cat. 60, 2.

parati — dare] *Paratus* ubi cum infinitivo construitur, vim habet participii eiusdem sensus, quod legitime infin. asciscit, velut *volens* sive *non recusans;* cf. Cat. 20, 17. Iug. 49, 3. 108, 2.

commeatum portare] sc. iumentis praebendis, quo Romanos labore levarent.

6. *ostentui credere*] i. e. credere *ostentui esse*, sive *pro simulatis habere.*

insidiis] Non est dativus, sed ablativus, unde sensus hic prodit: credebat insidias in illo loco structas.

7. *expeditis*] i. e. quae nihil impedimentorum secum habebant.

curabat] v. ad Cat. 59, 3.

praefectis cohortium] *Cohortes* ubi discernuntur a *legionibus*, semper *sociorum* intelligendae sunt, quippe quorum copiae non in legiones, sed tantummodo in cohortes componerentur; cf. Iug. 99, 1. Qui iis praeerant, *praefecti* dicebantur.

quocunque] i. e. ad quoscunque (v. ad Cat. 3, 3.), sive ad quamcunque agminis romani partem.

equitatus] Rarior pluralis *turmas*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

dolus tantaque peritia locorum et militiae erat, ut absens an praesens, pacem an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur.

XLVII. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vaga, forum rerum venalium totius regni maxume celebratum, ubi et incolere et mercari consue-
2 verant Italici generis multi mortales. Huc consul simul tentandi gratia, et, si paterentur, opportunitate loci praesidium imposuit; praeterea imperavit frumentum et alia, quae bello usui forent, comportare, ratus, id quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatu iuvaturam exercitum et iam paratis rebus munimento
3 fore. Inter haec negotia Iugurtha impensius modo legatos supplices mittere, pacem orare, praeter suam liberorumque vitam omnia
4 Metello dedere. Quos item uti priores consul illectos ad prodigionem domum dimittebat, regi pacem, quam postulabat, neque abnuere neque polliceri, et inter eas moras promissa legatorum exspectare.

XLVIII. Iugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit, ac

equitum designat (german. *Reiterschaaren*, *Reiterhaufen*).

8. *pacem an bellum gerens*] Per zeugma *gerens* refertur ad *pacem*. Simile est Iug. 109, 2. *Quaesitum ab eo, pacem an bellum agitaturus foret*. v. ad Iug. 14, 4.

XLVII. 1. *celebratum*] i. e. *frequentatum*, quo sensu etiam *celeber* adiectivum dicitur.

2. *tentandi gratia*] sc. *incolas*, num amicum animum sibi praestarent.

si paterentur] i. e. si milites romanos haud gravati reciperent, neque, praesidio imposito, pacis speciem (cf. c. 46, 5.) abiicerent.

frequentiam negotiatorum etc.] Duo commoda Metellus ex eo, quod multi negotiatores Italici Vagae essent, sperabat, alterum, eorum operâ commeatum abunde exercitui fore, alterum, eos annisuros, ne quid periculi ex perfidia Vagensium iis rebus, quas ipse iam ad usum belli paraverat et Vagam contulerat, immineret; quippe negotiatorum maxime intererat Metellum urbem obtinere.

3. *impensius modo*] *Modo* adverbium comparativo additum significat *nihil praeterea actum esse, quam ut impensius mitteret*, quae vis plane inest in vernaculo *nur noch;* cf. Iug. 75, 1. *Iugurtha impensius modo suis rebus diffidens. — Impensius* h. l. est *instantius*, altero *vehementius*.

4. *polliceri*] Hoc verbum graviore tantum vi diversum a *promittere* significat *pro certo affirmare aliquid futurum* (Germ. *verheissen*); illud tantummodo est *dicere aliquid fore* (Germanice *in Aussicht stellen*). Si quis sponte aliquid offert, plerumque efficacius verbum *pollicendi* ponitur.

promissa — exspectare] i. e. exspectare, num legati id, quod promiserant, facturi essent.

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

se suis artibus tentari animum advortit, quippe cui verbis pax nuntiabatur, ceterum re bellum asperrumum erat, urbs maxuma alienata, ager hostibus cognitus, animi popularium tentati, coactus rerum necessitudine statuit armis certare. Igitur explorato hostium 2
itinere, in spem victoriae adductus ex opportunitate loci, quam maxumas potest copias omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiae, 3
quam Adherbal in divisione possederat, flumen oriens a meridie, nomine Muthul, a quo aberat mons ferme milia viginti tractu pari, vastus ab natura et humano cultu; sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertingens,* vestitus oleastro ac myrtetis aliisque generibus arborum, quae humi arido atque arenoso gignuntur. Media autem planities deserta penuria aquae, praeter flumini 4
propinqua loca; ea consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur.

XLIX. Igitur in eo colle, quem transvorso itinere porrectum docuimus, Iugurtha, extenuata suorum acie, consedit, elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem praefecit, eumque edocet, quae ageret; ipse propior montem cum omni equitatu et peditibus delectis suos collocat. Dein singulas turmas et manipulos circum- 2

XLVIII. 1. *alienata*] i. e. alienae potestatis facta, erepta.

2. *ex opportunitate*] v. ad Cat. 12, 2.

3. *in divisione possederat*] v. ad Iug. 16, 5.

milia viginti] sc. *passuum*, quae vox in designanda itinerum mensura saepe omittitur; cf. Iug. 75, 2. 91, 3. 106, 5.

tractu pari] sc. ac flumen.

ab natura etc.] i. e. *a parte n.*, quod sensu idem est atque *quod attinet ad n.*; cf. Hist. Fr. I, 10. *Gallia — a paludibus invia.* Planc. in Cic. Epp. ad Famm. X, 8, 12. *Quum ab omni re simus paratiores.* ib. X, 15, 3. *Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur.*

quasi] Haec vox ad *medio* pertinens significat *ferme, circiter*; cf. Iug. 50, 3. Hist. Fr. I, 80. III, 26. IV, 50.

pertingens] Rarius est *pertingere* verbum pro *pertinere* positum. Germanice verba fere sic reddas: ins Unermessliche *hinstreifend* = *sich hin erstreckend.*

humi arido atque arenoso] Pro adiectivo cum substantivo suo congruente (*humo arida* etc.) positum est neutrum adiectivi c. genit.; v. ad Iug. 37, 4. et cf. Hist. Fr. II, 103. *Diei medio.* II, 24. *Inter laeva moenium.* III, 81, 5. *Certaminis advorsa.*

4. *Media planities*] sc. inter flumen et montem.

XLIX. 1. *quem transvorso itinere* etc.] i. e. qui ita a monte flumen versus porrigebatur (cf. c. 50.), ut utrumque ad angulos pares secaret. *Iter* insolentius de *directione* dictum.

extenuata — acie] i. e. magis in

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

iens monet atque obtestatur, uti memores pristinae virtutis et victoriae sese regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant; cum iis certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint; ducem illis, non animum mutatum; quae ab imperatore decuerint, omnia suis provisa, locum superiorem, ut prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus aut rudes cum bello melioribus manum con- 3 sererent; proinde parati intentique essent signo dato Romanos invadere; illum diem aut omnis labores et victorias confirmaturum, 4 aut maxumarum aerumnarum initium fore. Ad hoc viritim, uti quemque ob militare facinus pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui et eum ipsum aliis ostentare; postremo pro cuiusque ingenio pollicendo, minitando, obtestando, alium alio modo excitare, quum interim Metellus, ignarus hostium monte degrediens cum exercitu, conspicatur, primo dubius, quidnam insolita facies 5 ostenderet (nam inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset, quum natura loci tum dolo ipsi atque signa militaria obscu- 6 rati); dein, brevi cognitis insidiis, paulisper agmen constituit. Ibi commutatis ordinibus, in dextero latere, quod proxumum hostis erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit, inter manipulos funditores et

longitudinem extensa, quam densis ordinibus instructa.

suos collocat] *Sui* non alii sunt quam *omnis equitatus et pedites delecti*, quos Iugurtha, qui propior montem esset, *ibi* collocat; coniungendum enim: *ipse cum omni — delectis*, i. e. *ipse, qui praeerat equitatui et peditibus del.*, propior montem suos collocat.

2. *turmas et manipulos*] v. ad Cat. 53, 3.

quae — decuerint] sc. *provideri*, quod cliciendum ex sequente voce *provisa;* v. ad Cat. 47, 2. Iug. 75, 7. *Decere*, quod verbum plerumque impersonalem usum habet, Sallustius insolenter personale fecit, analogiam verborum *constare* et *apparere* secutus; cf. Cic. de Finn. III, 7, 23. *Membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse appareant.* v. etiam ad Cat. 43, 1.

ut — consererent] v. ad Iug. 25, 10.

prudentes cum imperitis] Quoniam in insidiis locati erant Iugurthae milites, *prudentes* sunt, qui scirent, quid hic rei ageretur, *imperiti*, qui periculi imminentis ignari imprudentes in discrimen inciderent; cf. Caes. B. C. I, 85, 2. *Eos — homines imperitos et per colloquium deceptos crudelissime interfecisse.*

3. *parati — invadere*] v. ad Iug. 46, 5.

illum diem] v. ad Cat. 47, 2.

4. *conspicatur*] sc. *eos*, sive *hostes*.

5. *constituit*] i. e. consistere iussit.

6. *commutatis ordinibus*] *Ordines* ita *commutati* sunt, ut ex *lato* agmine fieret *longum;* nam quum antea *flumen*, quod pari tractu a monte aberat (cf. 48, 3), *recta* petentes quasi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

sagittarios dispertit, equitatum omnem in cornibus locat, ac pauca pro tempore milites hortatus, aciem, sicut instruxerat, transvorsis principiis in planum deducit.

L. Sed ubi Numidas quietos neque colle degredi animadvortit, veritus ex anni tempore et inopia aquae, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum praemisit ad flumen, uti locum castris antecaperet, existumans, hostis crebro impetu et transvorsis proeliis iter suum remoraturos, et quoniam armis diffiderent, lassitudinem et sitim militum tentaturos. Deinde ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, 2 paulatim procedere, Marium post principia habere, ipse cum sinistrae alae equitibus esse, qui in agmine principes facti erant. At 3 Iugurtha, ubi extremum agmen Metelli primos suos praetergressum videt, praesidio quasi duum milium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat, ne forte cedentibus advorsariis receptui ac post munimento foret; dein repente signo dato hostis invadit. Numidae alii postremos caedere, pars a sinistra ac dextera tentare, infensi adesse atque instare, omnibus locis Romanorum ordines conturbare, quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto proelio, ipsi modo eminus sauciabantur, neque contra feriundi aut conserendi manum copia erat; ante iam docti 5 ab Iugurtha equites, ubicunque Romanorum turma insequi coeperat, non confertim neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume divorsi. Ita numero priores, si ab persequendo hostis de- 6

aequali linea cum colle procederent, eoque *apertum latus dextrum* praeberent Numidis, qui collem transverso itinere porrectum insederant (cf. §. 1.), iam, hostibus conspectis, *in dextrum latus vertebantur*, quo fiebat, ut et *prima acies* sive frons non amplius fluvio, sed *colli*, unde hostis imminebat, *obversa esset*, et, qui in *sinistro* cornu fuerant, *principes* in agmine fierent (cf. 50, 2.).

pro tempore] v. ad Iug. 11, 1.

transvorsis principiis] Postquam Metellus agmen suum ita commutaverat, ut ordines in hostes conversi essent: quo iter inceptum ad flumen persequeretur, rursus eos ita invertit, ut, qui modo colli obversi fuissent, iam collem a dextera habentes ad flumen accederent.

L. 1. *ex anni tempore*] sc. aestas erat.

transvorsis proeliis] i. e. impetu in latus facto.

lassitudinem — tentaturos] i. e. experturos, an per lassitudinem et sitim militum sibi casus victoriae daretur.

3. *quasi duum milium*] v. ad Iug. 48, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

terrere nequiverant, disiectos ab tergo aut lateribus circumveniebant; sin opportunior fugae collis quam campi fuerat, ea vero consueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere; nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

LI. Ceterum facies totius negoti varia, incerta, foeda atque miserabilis; dispersi a suis pars cedere, alii insequi, neque signa neque ordines observare, ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare, arma tela, equi viri, hostes atque cives per-
2 mixti, nihil consilio neque imperio agi, fors omnia regere. Itaque multum diei processerat, quum etiamtum eventus in incerto erat.
3 Denique omnibus labore et aestu languidis, Metellus, ubi videt Numidas minus instare, paulatim milites in unum conducit, ordines restituit, et cohortis legionarias quattuor advorsum pedites hostium collocat. Eorum magna pars superioribus locis fessa consederat.
4 Simul orare, hortari milites, ne deficerent, neu paterentur hostis fugientis vincere; neque illis castra esse neque munimentum ul-
5 lum, quo cedentes tenderent; in armis omnia sita. Sed ne Iugurtha quidem interea quietus erat; circumire, hortari, renovare proelium, et ipse cum delectis tentare omnia, subvenire suis, hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

LII. Eo modo inter se duo imperatores, summi viri, certa-
2 bant, ipsi pares, ceterum opibus disparibus. Nam Metello virtus militum erat, locus advorsus, Iugurthae alia omnia praeter milites
3 opportuna. Denique Romani, ubi intellegunt, neque sibi perfugium

4. *Numidae alii — pars*] v. ad Cat. 2, 1.

adesse] v. ad Cat. 52, 18.

6. *si — nequiverant*] De indicativo v. ad Iug. 44, 4.

deterrere] sc. fugae celeritate.

ea vero — evadere] De *ea* adverbio, cum *evadere* coniungendo, v. ad Iug. 38, 86; — de *vero* particula ad Cat. 37, 4. — *Consueti* absolute positum.

LI. 1. *observare*] i. e. oculis tueri (Germanice *im Auge behalten*).

arma tela etc.] v. ad Cat. 11, 2.

2. *Itaque*] i. e. *et ita, et tali pugnae genere.*

3. *cohortis legionarias*] sc. romanas, non sociorum; v. ad Iug. 46, 7.

Eorum] sc. hostium.

4. *illis*] v. ad Iug. 8, 2.

5. *ne Iugurtha quidem*] Supplo: quamquam tam prospero successu pugnaverat.

hostibus dubiis] i. e. locum non tenentibus et iam in fugam inclinantibus. — *Firmi* sunt, qui adhuc intrepide resistebant.

LII. 1. *ipsi*] Vernacula est *persönlich;* cf. Cat. 59, 6.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri (et iam die vesper erat), advorso colle, sicuti praeceptum fuerat, evadunt. Amisso 4
loco, Numidae fusi fugatique; pauci interiere, plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt. Interea Bomilcar, quem ele- 5
phantis et parti copiarum pedestrium praefectum ab Iugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius praetergressus est, paulatim suos in aequum locum deducit, ac, dum legatus ad flumen, quo praemissus erat, festinans pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat, neque remittit, quid ubique hostis ageret, explorare. Postquam 6
Rutilium consedisse iam et animo vacuum accepit, simulque ex Iugurthae proelio clamorem augeri, veritus, ne legatus, cognita re, laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam diffidens virtuti militum arte statuerat, quo hostium itineri officeret, latius porrigit, eoque modo ad Rutili castra procedit.

LIII. Romani ex improviso pulveris vim magnam animadvortunt; nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat. Et primo rati humum aridam vento agitari, post, ubi aequabilem manere, et, sicut acies movebatur, magis magisque appropinquare vident, cognita re, properantes arma capiunt ac pro castris, sicut imperabatur, consistunt. Deinde, ubi propius ventum est, utrimque magno 2
clamore concurritur. Numidae tantum modo remorati, dum in ele- 3
phantis auxilium putant, postquam eos impeditos ramis arborum atque ita disiectos circumveniri vident, fugam faciunt, ac plerique

3. *die*] v. ad Iug. 21, 2.
4. *ignara*] v. ad Iug. 18, 6.
5. *supra*] c. 49, 1.
quid ubique] v. ad Cat. 21, 1.
6. *animo vacuum*] *Vacuus* absolute positum significat *nullo negotio distentus*. — *Animo* additum, ad curae, quae animum occupaverat, absentiam accuratius declarandam.
arte] i. e. contractius, cui voci respondet *latius;* cf. Cat. 59, 2.
quo — officeret] Haec verba ad sequentia pertinent; saepius enim enunciatum finale praemittitur ei, quod eius caussam continet; cf. Cat. 49, 4. Iug. 9, 2. 25, 10. 55, 7.
LIII. 1. *aequabilem*] sc. pulverem.
3. *tantum modo — dum*] cf. Cat. 36, 1. *Ipse paucos dies commoratus, dum vicinitatem armis exornat.*
circumveniri] i. e. capi atque opprimi; cf. Iug. 50, 6. 88, 4.
fugam faciunt] i. e. in fugam se dant, fugiunt; cf. Iug. 58, 4. Alias dictio valet *in fugam coniicere.*
7. *postquam — erant*] v. ad Iug. 13, 5.
strepitu] i. e. strepitum facientes, cum strepitu. Similiter dicitur *silentio;* cf. Iug. 106, 4. Coniungendum autem *strepitu adventare, velut hostes.*
tumultum] i. e. perturbationem, dum hosti, quem falso adesse putabant, occurrere parant.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

abiectis armis collis aut noctis, quae iam aderat, auxilio integri
4 abeunt. Elephanti quattuor capti, reliqui omnes, numero quadra-
5 ginta, interfecti. At Romani, quamquam itinere atque opere castro-
rum et proelio fessi lassique erant, tamen, quod Metellus amplius
6 opinione morabatur, instructi intentique obviam procedunt. Nam
7 dolus Numidarum nihil languidi neque remissi patiebatur. Ac primo,
obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu velut
hostes adventare, alteri apud alteros formidinem simul et tumultum
facere; et paene imprudentia admissum facinus miserabile, ni utrim-
8 que praemissi equites rem exploravissent. Igitur pro metu repente
gaudium exortum; milites alius alium laeti appellant, acta edocent
atque audiunt; sua quisque fortia facta ad coelum ferre. Quippe
res humanae ita sese habent: in victoria vel ignavis gloriari licet,
advorsae res etiam bonos detractant.

LIV. Metellus in isdem castris quatriduo moratus saucios cum
cura reficit, meritos in proeliis more militiae donat, univorsos in
contione laudat atque agit gratias; hortatur, ad cetera, quae levia
sunt, parem animum gerant; pro victoria satis iam pugnatum, reli-
2 quos labores pro praeda fore. Tamen interim transfugas et alios
opportunos, Iugurtha ubi gentium aut quid agitaret, cum paucisne
esset, an exercitum haberet, ut sese victus gereret, exploratum
3 misit. At ille sese in loca saltuosa et natura munita receperat, ibi-
que cogebat exercitum numero hominum ampliorem, sed hebetem

imprudentia] i. e. veri ignoratione, ex omissa accurata rei exploratione nata.

admissum] *Admitti* dicuntur, quae non sine culpa fiunt; cf. Iug. 91, 7.

ni — exploravissent] Haec verba id continent, quod *primo* particulae respondeat; liberius enim Sallustius orationem conformavit, quae sic debebat institui: *sed mox utrimque praemissi equites rem exploravere; quod nisi factum esset, paene* etc.

8. *bonos detractant*] i. e. de bonis quasi detrahunt = bonorum famae officiunt eamque minuunt. — De forma *detracto* cf. Hist. Fr. III, 77, 2.

LIV. 1. *univorsos — laudat atque agit gratias*] Ad *agit* supple *iis;* v. ad Cat. 13, 2. 48, 6.

quae levia sunt] v. ad Cat. 14, 7.

2. *Tamen interim*] Sententiae nexus est: quamquam quatriduo in iisdem castris morabatur, et suorum militum potissimum curam habebat, *tamen interim* hostiles res non neglexit; v. ad Cat. 19, 2.

ubi — aut quid agitaret] *Agitaret* ad *ubi* relatum intransitivum est (cf. Iug. 18, 9. 19, 5.), ad *quid* transitivum. De duplici eiusdem verbi significatione v. ad Iug. 89, 4. Hist. Fr. IV, 20, 15.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

infirmumque, agri ac pecoris magis quam belli cultorem. Id ea 4
gratia eveniebat, quod praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur; quo cuiusque animus fert, eo discedunt, neque id flagitium militiae ducitur; ita se mores habent. Igitur Metellus ubi videt etiamtum regis animum ferocem esse, bel- 5
lum renovari, quod nisi ex illius lubidine geri non posset, praeterea iniquum certamen sibi cum hostibus, minore detrimento illos vinci quam suos vincere, statuit non proeliis neque acie, sed alio more bellum gerundum. Itaque in Numidiae loca opulentissuma 6
pergit, agros vastat, multa castella et oppida, temere munita aut sine praesidio, capit incenditque, puberes interfici iubet, alia omnia militum praedam esse. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides; frumentum et alia, quae usui forent, affatim praebita; ubicumque res postulabat, praesidium impositum. Quae negotia multo 7
magis quam proelium male pugnatum ab suis regem terrebant; quippe cui spes omnis in fuga sita erat, sequi cogebatur, et qui 8
sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen 9
ex copia, quod optumum videbatur, consilium capit, exercitum plerumque in iisdem locis opperiri iubet, ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur, nocturnis et aviis itineribus ignoratus Romanos palantis repente aggreditur. Eorum plerique inermes cadunt, multi 10
capiuntur, nemo omnium intactus profugit, et Numidae, priusquam ex castris subveniretur, sicuti iussi erant, in proxumos collis discedunt.

3. *belli cultorem*] Per zeugma quoddam hoc dictum, siquidem *cultor* et *colere* proprie de agro et pecore, non item de *bello* dicitur.

4. *ea gratia*] i. e. eius rei gratia; v. ad Cat. 8, 5. Iug. 80, 4.

ex fuga] Quae *in fuga* vel *in itinere* fiunt, ea Latini plerumque *ex fuga* vel *ex itinere* fieri dicunt, quia illam alteram actionem ex priore quasi exire cogitant; cf. Cat. 34, 2. Iug. 56, 3.

5. *neque acie*] cf. Iug. 97, 4.

6. *temere munita*] i. e. non satis recte, non iusta arte munita.

sine praesidio] v. ad Iug. 10, 1.

Ea formidine] cf. Cat. 43, 2. *Quo tumultu*. Iug. 114, 1. *Quo metu*.

8. *sua loca*] i. e. loca sibi *opportuna*, quippe quae ipse sibi ad pugnandum elegisset; cf. Iug. 61, 1. 66, 1; iis opposita esse *aliena*, i. e. incommoda et ob id improbata, per se patet.

9. *ex copia*] v. ad Iug. 39, 5.

nocturnis — itineribus] Coniungenda haec sunt cum *ignoratus*.

10. *intactus*] i. e. integer, sine vulnere; cf. Iug. 67, 3.

LV. 1. *ut sequc — gereret*] Per zeugma *gerere* relatum ad *exercitum*, qui non *geritur* sed *habetur* (cf. Cat. 11, 5.). Similiter Sall. locutus est

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

LV. Interim Romae gaudium ingens ortum cognitis Metelli rebus, ut seque et exercitum more maiorum gereret, in advorso loco victor tamen virtute fuisset, hostium agro potiretur, Iugurtham magnificum ex Auli socordia spem salutis in solitudine aut 2 fuga coëgisset habere. Itaque senatus ob ea feliciter acta dis immortalibus supplicia decernere, civitas trepida antea et sollicita de 3 belli eventu laeta agere, fama de Metello praeclara esse. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare, cavere tamen, necubi hosti opportunus fieret, meminisse post gloriam invi- 4 diam sequi. Ita quo clarior, eo magis anxius erat, neque post insidias Iugurthae effuso exercitu praedari; ubi frumento aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu praesidium agitabant; exer- 5 citus partem ipse, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis quam 6 praeda ager vastabatur. Duobus locis haud longe inter se castra 7 faciebant; ubi vi opus erat, cuncti aderant, ceterum, quo fuga at- 8 que formido latius cresceret, divorsi agebant. Eo tempore Iugurtha per collis sequi, tempus aut locum pugnae quaerere, qua venturum hostem audierat, pabulum et aquarum fontis, quorum penuria erat, corrumpere, modo se Metello, interdum Mario ostendere, postremos in agmine tentare ac statim in collis regredi, rursus aliis, post aliis minitari, neque proelium facere, neque otium pati, tantummodo hostem ab incepto retinere..

LVI. Romanus imperator, ubi se dolis fatigari videt, neque

Iug. 85, 47. *Meque vosque in omnibus rebus juxta geram.*

in advorso loco] i. e. quamquam locus advorsus fuerat; cf. Liv. I, 17, 3. *In variis voluntatibus regnari tamen omnes volebant.*

magnificum] i. e. superbientem, elatum; cf. Iug. 31, 10.

2. *supplicia*] Antique pro *supplicationibus;* cf. Cat. 9, 2. Intelliguntur dies festi, quibus omnia templa ad grates diis agendas patebant, ac sacra omnis generis et lectisternia fiebant.

laeta agere] i. e. laeta esse; cf. infra §. 7. Hist. Fr. I, 10. *Optumis moribus — egit pop. Rom.* ib. I, 69. *Mauri contendebant Antipodas iustos agere.* II, 50, 4. *In ore vostro privatus — egi.* ib. §. 5. *Ut fama et fortunis integer agas.* Iug. 74, 1.

3. *post gloriam invidiam sequi*] i. e. *priorem* gloriam, invidiam *posteriorem* esse, sive gloriae *succedere* invidiam.

4. *post insidias*] v. ad Iug. 5, 4.

5. *praeda*] i. e. praedatione, praedando; cf. Cic. Phil. IX, 14, 37. *Ad facinus praedamque natis.* Liv. XXII, 9, 5. *Praeda ac populationibus — Marsos devastat.*

8. *otium pati*] Pertinet hoc ad *Romanos*, quippe quos otium habere non pateretur Iugurtha.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ab hoste copiam pugnandi fieri, urbem magnam et in ea parte, qua sita erat, arcem regni, nomine Zamam, statuit oppugnare, ratus, id quod negotium poscebat, Iugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique proelium fore. At ille, quae parabantur, a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit, oppidanos hortatur, moenia defendant, additis auxilio perfugis, quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibat, firmissumum erat; praeterea pollicetur in tempore semet cum exercitu affore. Ita compositis rebus, in loca quam maxume occulta discedit, ac post paulo cognoscit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam missum, quod oppidum primum omnium post malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum delectis equitibus noctu pergit, et iam egredientibus Romanis in porta pugnam facit; simul magna voce Siccenses hortatur, uti cohortis ab tergo circumveniant; fortunam illis praeclari facinoris casum dare; si id fecerint, postea sese in regno, illos in libertate sine metu aetatem acturos. Ac ni Marius signa inferre atque evadere oppido properavisset, profecto cuncti aut magna pars Siccensium fidem mutavissent; tanta mobilitate sese Numidae agunt. Sed milites Iugurthini, paulisper ab rege sustentati, postquam maiore vi hostes urgent, paucis amissis profugi discedunt.

LVII. Marius ad Zamam pervenit. Id oppidum, in campo situm, magis opere quam natura munitum erat, nullius idoneae rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta moenia exercitu circumvenit, legatis imperat, ubi quisque curaret. Deinde signo dato undique simul clamor ingens oritur, neque ea res Numidas terret; infensi

LVI. 1. *arcem regni*] i. e. quae summi momenti erat ad regnum tutandum, *propugnaculum regni*; cf. Liv. XLIV, 31, 2. *Scodram Gentius sibi ceperat velut regni totius arcem.*

2. *fallere*] sc. fidem; *fallere nequibant* propter immanes poenas, quibus afficiebantur; v. ad c. 62, 7.

3. *ex itinere*] v. ad Iug. 54, 4.

LVII. 2. *curaret*] v. ad Cat. 59, 3.

3. *neque*] v. ad Iug. 31, 27.

4. *Romani — pars — alii*] v. ad Cat. 2, 1.

glande] i. e. globulis plumbeis funda iactis.

manibus] i. e. cominus; cf. Tacit. Ann. XII, 30, 1. *Pugnam manu capessiit.*

5. *contra ea*] sc. quibus Romani impetum faciebant, vel: contra ea, quae a Romanis parata diximus; cf. Iug. 76, 4.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

4 intentique sine tumultu manent: proelium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande aut lapidibus pugnare, alii succedere ac murum modo suffodere, modo scalis aggredi, cupere 5 proelium manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos saxa volvere, sudis, pila, praeterea pice et sulphure taedam mixtam ar- 6 denti mittere. Sed ne illos quidem, qui procul manserant, timor animi satis muniverat; nam plerosque iacula tormentis aut manu emissa volnerabant, parique periculo, sed fama impari boni atque ignavi erant.

LVIII. Dum apud Zamam sic certatur, Iugurtha ex improviso castra hostium cum magna manu invadit; remissis, qui in praesidio erant, et omnia magis quam proelium exspectantibus, portam ir- 2 rumpit. At nostri, repentino metu perculsi, sibi quisque pro moribus consulunt; alii fugere, alii arma capere, magna pars volnerati 3 aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores nominis Romani, grege facto locum cepere paulo quam alii editiorem, neque inde maxuma vi depelli quiverunt, sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati; sin Numidae propius accessissent, ibi vero virtutem ostendere et eos 4 maxuma vi caedere, fundere atque fugare. Interim Metellus, quum acerrume rem gereret, clamorem hostilem ab tergo accepit; dein convorso equo animadvortit fugam ad se vorsum fieri, quae res 5 indicabat popularis esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere misit, ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum, eumque lacrumans per amicitiam perque rempublicam obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hostis inultos abire 6 sinat. Ille brevi mandata efficit. At Iugurtha munimento castro-

taedam] i. e. telum missile ex taedae ligno factum. *Mixta taeda pice et sulphure ardenti* intelligenda est *illita pice et sulphure, inter se mixtis.*

6. *muniverat*] Plusquamperfectum ex eo repetendum, quod ad *eventum* respicitur, unde patebat illos timore suo non satis munitos fuisse; v. ad Cat. 24, 1. Iug. 72, 1.

LVIII. 1. *remissis*] i. e. incautis et parum intentis; cf. Iug. 53, 6. 88, 2.

3. *memores nominis Romani*] i. e. memores se Romanos esse.

quam alii] sc. ceperant.

frustrati] Passive dictum: in scopo petendo *elusi*, i. e. aberrantes.

sin] v. ad Cat. 51, 24.

5. *ac statim*] i. e. continuo, *postquam equites misit*, Marium eos sequi iussit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

rum impeditus, quum alii super vallum praecipitarentur, alii in angustiis ipsi sibi properantes officerent, multis amissis in loca munita sese recepit. Metellus infecto negotio, postquam nox aderat, in 7
castra cum exercitu revortitur.

LIX. Igitur postero die, priusquam ad oppugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare iubet, portas et proxuma loca tribunis dispertit, deinde ipse pergit ad oppidum atque, ut superiore die, murum aggreditur. Interim Iugurtha ex occulto repente nostros invadit; qui 2
in proxumo locati fuerant, paulisper territi perturbantur, reliqui cito subveniunt. Neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites 3
cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent; quibus illi freti, non, ut equestri proelio solet, sequi, dein cedere, sed advorsis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem; ita expeditis peditibus suis hostis paene victos dare.

LX. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Ubi quisque legatus aut tribunus curabat, eo acerrume niti, neque alius in alio magis quam in sese spem habere; pariterque oppidani agere; oppugnare aut parare omnibus locis; avidius alteri alteros sanciare quam semet tegere; clamor permixtus hortatione, laetitia, gemitu; 2
item strepitus armorum ad coelum ferri; tela utrimque volare. Sed 3
illi, qui moenia defensabant, ubi hostes paulum modo pugnam remiserant, intenti proelium equestre prospectabant; eos, uti quae- 4

LIX. 1. *pro castris agitare*] i. e. ante castra versari.

3. *Neque diutius* etc.] Sensus est: *et Numidae paulisper restiterunt, quod non potuissent facere, ni* etc.

facerent] Imperfecto indicatur rem talem cogitari, quae illo ipso tempore adhuc duraret; cf. Iug. 82, 3.

quibus] sc. peditibus. — *Illi* sunt *equites*.

advorsis equis] i. e. equis in hostem immissis.

expeditis peditibus] i. e. ope expeditorum equitum.

victos dare] *Dare* c. partic. perf. pass. valet ita aliquid *efficere*, ut eventus magis durans appareat; cf. Ter. Heaut. V, 1, 77. *Eum adeo exornatum dabo, adeo pexum, ut meminerit semper mei.* Phorm. V, 8, 81. *Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo.*

LX. 1. *eo — niti*] Insolenter *eo*, quod *ubi* particulae respondet, positum pro *eo loco* sive *ibi*. Minus offensionis ea ratio habet, ubi *loci* genitivus additus est; cf. Tacit. Ann. XV, 74, 1. *Decernitur, ut templum Saluti exstrueretur eo loci, ex quo Scevinus ferrum prompserat.*

oppugnare aut parare etc.] Haec et de oppidanis et de Romanis valent.

3. *prospectabant*] *Prospectare* dicuntur, qui ex loco editiore in lon-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

que Iugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadvorteres, ac, sicut audiri a suis aut cerni possent, monere alii, alii hortari, aut manu significare, aut niti corporibus, et ea huc et il-
5 luc, quasi vitabundi aut iacientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum est (nam is in ea parte curabat), consulto lenius agere, ac diffidentiam rei simulare; pati Numidas sine tumultu regis proc-
6 lium visere. Ita illis studio suorum astrictis, repente magna vi murum aggreditur, et iam scalis egressi milites prope summa ceperant, quum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia praeterea
7 tela ingerunt. Nostri primo resistere; deinde, ubi unae atque alterae scalae comminutae, qui supersteterant, afflicti sunt, ceteri, quoquo modo potuere, pauci integri, magna pars volneribus confecti abeunt. Denique utrimque proclium nox diremit.

LXI. Metellus, postquam videt frustra inceptum, neque oppidum capi, neque Iugurtham nisi ex insidiis aut suo loco pugnam facere, et iam aestatem exactam esse, ab Zama discedit, et in iis urbibus, quae ad se defecerant, satisque munitae loco aut moeni-
2 bus erant, praesidia imponit; ceterum exercitum in provinciam,
3 quae proxuma est Numidiae, hiemandi gratia collocat. Neque id tempus ex aliorum more quieti aut luxuriae concedit, sed quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere
4 et eorum perfidia pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romae cum Iugurtha fuerat, et inde vadibus datis clam Massivae de

ginquum spectant; cf. Curt. VII, 6, 4. *Ex edito monte cuncta prospexerant.* Suet. Ner. c. 38. *Hoc incendium ex turri Maecenatiana prospectans.*

4. *sicut*] i. e. *quasi;* quamquam enim remotiores erant, nihilominus tamen, *quasi audiri — possent*, monebant suos etc.; cf. Cat. 28, 1. 31, 5. 38, 3.

5. *lenius agere*] i. e. minus acriter pugnare atque instare.

6. *egressi*] i. e. in altum enisi.

LXI. 1. *frustra*] sc. esse; v. ad Cat. 20, 2.

suo loco] v. ad Iug. 54, 8.

neque oppidum — exactam esse] Haec per epexegesin praecedens enunciatum illustrant.

ad se defecerant] Reflexivum cum indicativo negligentiore dicendi modo iunctum est; cf. Iug. 66, 1. 103, 2.

2. *in provinciam, quae proxuma est Numidiae*] Quum enunciato relativo pariter atque adiectivo interdum non totum, sed pars modo definiatur, sensus est: in *eam provinciae partem*, quae proxuma est Num.; cf. Iug. 78, 5. *Inter eos et frequentem Numidiam multi vastique loci erant.* Hist. Fr. III, 1, 9.

4. *qui Romae — fuerat* etc.] cf. Iug. 35, 4. et 9.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

nece iudicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus aggreditur. Ac primo efficit, ut ad se colloquendi gratia occultus veniat; dein fide data, si Iugurtham vivum aut necatum sibi tradidisset, fore, ut illi senatus impunitatem et sua omnia concederet, facile Numidae persuadet, quum ingenio infido, tum metuenti, ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per condiciones ad supplicium traderetur.

LXII. Is, ubi primum opportunum fuit, Iugurtham anxium ac miserantem fortunas suas accedit; monet atque lacrumans obtestatur, ut aliquando sibi liberisque et genti Numidarum, optume merenti, provideat; omnibus proeliis sese victos, agrum vastatum, multos mortalis captos aut occisos, regni opes comminutas esse; satis saepe iam et virtutem militum et fortunam tentatam; caveat, ne illo cunctante Numidae sibi consulant. His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit. Mittuntur ad imperatorem legati, qui Iugurtham imperata facturum dicerent, ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere. Metellus propere cunctos senatorii ordinis ex hibernis arcessiri iubet; eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more maiorum ex consili decreto per legatos Iugurthae imperat argenti pondo ducenta milia, elephantos omnis, equorum et armorum aliquantum. Quae postquam sine mora facta sunt, iubet omnis perfugas vinctos

5. *facile Numidae persuadet*] sc. ut id perficere conetur.

LXII. 1. *aliquando*] Praegnanti sensu est *tandem aliquando*; cf. Cat. 52, 5. Iug. 14, 21. 102, 5.

illo cunctante] v. ad Iug. 8, 2.

sibi consulant] sc. defectione facta, quo pacem sibi a Romanis parent.

3. *imperata facturum*] Solennis deditionis formula; cf. Iug. 46, 5. 77, 3. 112, 2.

5. *more maiorum*] Coniungenda haec cum verbis *ex consili decreto;* cf. Iug. 29, 5. 101, 1.

aliquantum] v. ad Cat. 8, 2.

7. *eorum — adducti*] De iis cf. Appian. Numid. 2. *Θρᾴκας δὲ καὶ Λίγυας αὐτομόλους λαβὼν* (sc. *Μέτελλος*) *παρὰ Ἰογόρθα, τῶν μὲν τὰς χεῖρας ἀπέτεμνε, τοὺς δὲ ἐς τὴν γῆν μέχρι γαστρὸς κατώρυσσε, καὶ περιτοξεύων ἢ ἐσακοντίζων ἔτι ἐμπνέουσι πῦρ ὑπετίθει.*

8. *ad imperandum*] Subiecti indefiniti, unde gerundium pendet, ratio facile perspicitur ex vernacula interpretatione: „da er, *um ihm Befehle zu ertheilen*, nach Tisidium berufen wurde.“ Plenior sententia est: quum ipse, *quo Metellus ei imperaret*, Tisidium vocaretur. cf. Cic. Epp. ad Famm. IX, 25, 3. *Nunc ades ad imperandum, vel ad parendum potius.*

flectere] v. ad Iug. 9, 3.

digna] Absolute posita vox (v. ad Cat. 51, 8.) h. l. significat *meritam sceleribus suis poenam.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

7 adduci. Eorum magna pars, uti iussum erat, adducti; pauci, quum primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mauretaniam abierant. 8 Igitur Iugurtha, ubi armis virisque et pecunia spoliatus est, quum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus coepit flectere ani- 9 mum suum et ex mala conscientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem consumptis, quum modo taedio rerum adversarum omnia bello potiora duceret, interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret, multis magnisque praesidiis nequicquam perditis, de integro bellum sumit. 10 Et Romae senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat.

LXIII. Per idem tempus Uticae forte C. Mario, per hostias dis supplicanti, magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat; proinde, quae animo agitabat, fretus dis ageret, fortunam quam 2 saepissume experiretur; cuncta prospere eventura. At illum iam antea consulatus ingens cupido exagitabat, ad quem capiundum praeter vetustatem familiae alia omnia abunde erant, industria, probitas, militiae magna scientia, animus belli ingens, domi modicus, 3 lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriae avidus. Sed is natus et omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia neque urbanis munditiis sese exercuit; ita inter artis bonas integrum ingenium

10. *Et Romae* etc.] Sententiae ita cohaerent: et Iugurtha de integro bellum sumit, et Metellus ei rursus adversarius fuit; *nam Romae* etc.

Numidiam Metello decreverat] sc. in annum 108. a. Chr. n. cum proconsulari imperio.

LXIII. 1. *Per idem tempus*] *Per* praepositione minus accurate tempus definitur, quo quid factum est, quam ablativo; cf. Cat. 38, 3. Iug. 70, 1. 114, 1.

per hostias dis supplicanti] i. e. hostiis caesis extisque inspectis, qui deorum in ipsum animus esset, exquirenti.

agitabat] v. ad Cat. 14, 7.

2. *lubidinis*] i. e. luxuriae, voluptatum cupidinis; cf. Cat. 28, 4.

3. *Arpini*] Ad utrumque participium pertinens nomen ante posterius collocatum est, quod in eo maior inest sententiae vis; incultus enim fuit Marius non tam quod natus erat Arpini, quam quod omnem pueritiam ibi, ubi nulla erudiendi copia erat, transegit.

Graeca facundia] Non est *eloquentia*, sed *verborum fundendorum facultas*, plerumque illa quidem cum levitate quadam coniuncta, gravibus Romanis improbata et invisa; cf. Iug. 85, 32. et Liv. VIII, 22, 8. qui Graecos *gentem lingua magis strenuam, quam factis* dicit.

munditiis] i. e. elegantiis; cf. Iug. 85, 40.

integrum] i. e. naturali vigore at-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

brevi adolevit. Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo 4
petit, plerisque faciem eius ignorantibus, facile notus per omnis
tribus declaratur. Deinde ab eo magistratu alium post alium sibi 5
peperit, semperque in potestatibus eo modo agitabat, ut ampliore,
quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir 6
(nam postea ambitione praeceps datus est) petere non audebat.
Etiamtum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se
per manus tradebat. Novus nemo tam clarus neque tam egregius 7
factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur.

LXIV. Igitur ubi Marius haruspicis dicta eodem intendere vi- 1
det, quo cupido animi hortabatur, ab Metello petundi gratia mis-
sionem rogat. Cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda
bonis superabant, tamen inerat contemptor animus et superbia,
commune nobilitatis malum. Itaque primum commotus insolita re 2
mirari eius consilium, et quasi per amicitiam monere, ne tam prava
inciperet, neu super fortunam animum gereret; non omnia omni-

quo robore suo non privatum, malis artibus non corruptum.

4. *tribunatum militarem*] *Tribuni mil.* partim a populo creabantur, partim imperatores ipsi eos faciebant; illi *comitiati* dicti, hi *Rufuli*.

facile notus] Sententiarum nexus hic est: licet plerique (*etiamtum*) faciem eius ignorarent, tamen (*commemoratione strenue factorum ac virtutum*) facile *notus factus est*, et — declaratur.

5. *ab eo magistratu*] *Magistratus* vocabulo proprie munera *civilia*, non *militaria* significantur; sed eo usus est Sall., quia tribunatus militaris Mario a populo datus fuit. *Potestates* quodvis muneris *civilis* genus designant, *imperiis* oppositae, quorum usus in bello et re militari; cf. Iug. 85, 9. Cic. de l. Agrar. II, 7, 17.

6. *ad id locorum*] i. e. *ad id tempus*, sc. quo haruspicis responso ad consulatum quovis modo expugnandum incitatus est; cf. Iug. 72, 2. 102, 1.

talis] v. ad Iug. 10, 8.

praeceps datus est] v. ad Cat. 37, 4. coll. Iug. 8, 2. 31, 6.

petere] sc. *consulatum*, de quo quum toto capite, tum praecedentibus verbis (*ampliore, quam gerebat, dignus*) dicitur; cf. Iug. 64, 1. Cat. 21, 5. 26, 5.

alios magistratus plebes] sc. *habebat*, quod per zeugma assumendum ex verbis *inter se per manus tradebat*.

7. *novus*] v. ad Iug. 8, 1.

egregius factis] Adiectivum attributo conveniens ad subiectum relatum; cf. Iug. 6, 1. *Decora facie, sed multo maxime ingenio validus*, 78, 2. Vell. II, 41, 1. *C. Caesar forma omnium civium excellentissimus, vigore ingenti acerrimus, munificentia effusissimus*.

pollutus] Germanice est *unrein*.

LXIV. 1. *quo — hortabatur*] *Quo* concinnitatis caussa, ut responderet *eodem* particulae, insolenter cum *hortabatur* coniunctum.

missionem] i. e. liberationem a militia. Aliter Velleius II, 11, 2. rem

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

bus cupiunda esse; debere illi res suas satis placere; postremo
3 caveret id petere a populo Romano, quod illi iure negaretur. Postquam haec atque alia talia dixit, neque animus Mari flectitur, respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese,
4 quae peteret. Ac postea saepius eadem postulanti fertur dixisse, ne festinaret abire; satis mature illum cum filio suo consulatum petiturum. Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter viginti; quae res Marium quum pro honore, quem
5 affectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari, neque facto ullo neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum foret, milites, quibus in hibernis praecerat, laxiore imperio quam antea habere, apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticae erat, criminose simul et magnifice de bello loqui: dimidia pars exercitus si sibi permitteretur, paucis diebus Iugurtham in catenis habiturum; ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis et regiae superbiae imperio nimis

tradit, Marium *commeatu petito* Romam venisse.

optanda] v. ad Cat. 10, 2.

contemptor] v. ad Cat. 5, 4.

2. *primum*] Liberiore modo sequentia ad hanc ordinationis particulam referuntur; ita enim se excipiunt sententiae: *primum — mirari et monere; tum — respondit; — denique — fertur dixisse.*

prava] v. ad Cat. 5, 1.

super fortunam] i. e. supra condicionem, in qua natus esset.

iure] sc. quia nobilitati soli ius esset consulatus gerendi.

4. *cum filio suo*] Fuit is Q. Caecil. Metellus Pius, a. 80. a. Chr. n. consul. Bellum postea improspere gessit contra Sertorium.

contubernio patris] i. e. *contubernalis patris.* Ita autem dicebantur adolescentes nobiles, qui in cohorte praetoria militabant, et nunquam ab imperatore discedentes rei militaris peritiam comparandi copiam habebant; cf. Suet. Caes. c. 2. *Stipendia prima in Asia fecit M. Thermi praetoris contubernio.* — *Contubernio* ablativus modalis est, eiusdem generis, ut dicitur *ductu, auspiciis, imperio alicuius militare.*

accenderat] v. ad Cat. 24, 1.

5. *grassari*] i. e. *agere. agitare, iram et cupid. sequi;* cf. Liv. X, 14, 13. *Consilio grassandum ratus.* Tacit. Hist. III, 39, 1. *Placuit veneno grassari.* ib. IV, 10, 1. *Civilis dolo grassandum ratus.*

ambitiosum] i. e. quod comparatum foret ad favorem militum obtinendum; cf. Iug. 45, 1. 96, 5. 100, 5.

habere] v. ad Cat. 11, 5. Iug. 92, 2.

trahi] Absolute positum verbum significat *moram fieri, lente agi.* Obiectum facile supplebis; cf. Iug. 36, 2. *Iugurtha trahere omnia.*

regiae superbiae] Quicquid immodicum, superbum, libidinosum, crudele et intolerabile erat, id omne Romanis in vocabulo *regius* inerat innato odio unius aut paucorum potentiae; cf. Iug. 31 20. Hist. Fr. I, 11.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

gauderet. Quae omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturni- 6
tate belli res familiaris corruperant, et animo cupienti nihil satis festinatur.

LXV. Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam nomine Gauda, Mastanabalis filius, Masinissae nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem scripserat, morbis confectus et ob eam caussam mente paulum imminuta. Cui Metellus petenti, more 2
regum ut sellam iuxta poneret, item postea custodiae caussa turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat, honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges appellavisset, praesidium, quod contumeliosum in eos foret, si equites Romani satellites Numidae traderentur. Hunc Marius anxium aggreditur at- 3
que hortatur, ut contumeliarum imperatoris cum suo auxilio poenas petat; hominem ob morbos animo parum valido secunda oratione extollit: illum regem, ingentem virum, Masinissae nepotem esse; si Iugurtha captus aut occisus foret, imperium Numidiae sine mora habiturum; id adeo mature posse evenire, si ipse consul ad id bellum missus foret. Itaque et illum et equites Romanos, mili- 4
tes et negotiatores, alios ipse, plerosque pacis spes impellit, uti

6. *res familiaris corruperant*] i. e. in afflictum statum adductas magna ex parte perdiderant; quippe *negotiatorum* res belli gravitate et diuturnitate parum procedebant.

festinatur] Transitiva *festinare* verbi potestas cognoscitur ex Hist. Fr. I, 123. *Profectionem festinantes.* Inc. 71. *Soleas festinare.* Iug. 73, 1. *Metellus cuncta parat festinatque.* 77, 1. 81, 4.

LXV. 1. *secundum heredem*] *Secundum heredem* Romani appellabant, qui, si primus hereditatem adire aut nollet aut non posset, ei succedebat. Igitur Micipsa testamento videtur scripsisse, ut Gauda tum heres esset, si sui filii et Iugurtha sine heredibus mortui essent.

morbis confectus etc.] cf. Iug. 11, 5.

2. *ut sellam iuxta poneret*] i. e. *ut sibi liceret sellam iuxta Metellum ponere*, quemadmodum reges, quibus id honori detur, facere soleant.

quos — appellavisset] *Regem appellari* summus honor erat regibus exteris, non nisi iis tribui solitus, qui de imperio Rom. bene meruissent, ac fidei officiique documenta dedissent; cf. Liv. XXXI, 11, 13.

quod contumeliosum in eos foret] Paulo durius demonstrativum praemissum est nomini, ad quod refertur; cf. Nep. Attic. 12, 5. *Quod in eorum periculis, non secus absentes quam praesentes amicos Attico esse curae, cognitum est.* Iustin. I, 3, 2. *Ad hunc* (*Sardanapalum*) *videndum, quod nemini ante eum permissum fuerat, praefectus ipsius Arbactus quum admitti magna ambitione obtinuisset.*

3. *anxium*] i. e. negato honore *commotum* et ulciscendi consilia animo volventem; cf. Iug. 11, 8. 93, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissuma suffragatione consulatus petebatur; simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

LXVI. Interim Iugurtha, postquam omissa deditione bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum, civitatis, quae ab se defecerant, formidine aut ostentando praemia affectare, communire suos locos, arma, tela, aliaque, quae spe pacis amiserat, reficere aut commercari, servitia Romanorum allicere, et eos ipsos, qui in praesidiis erant, pecunia tentare; prorsus nihil intactum neque quietum pati, cuncta agitare. Igitur Vagenses, quo Metellus initio, Iugurtha pacificante, praesidium imposuerat, fatigati regis suppliciis neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter se coniurant; nam volgus, uti plerumque solet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum novarum rerum, quieti et otio advorsum. Dein, compositis inter se rebus, in diem tertium constituunt, quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasci-

contumeliarum imperatoris] i. e. contum. ab imperatore sibi factarum. Duos genitivos diversae potestatis et rectionis haud raro coniungi notissimum; cf. Iug. 30, 3. *Memmius cuius de libertate ingeni — supra diximus.* 103, 5. *Barbari famam Romanorum avaritiae falsam rati.* 75, 1.

cum suo auxilio] i. e. *assumpto* suo auxilio.

illum] v. ad Iug. 8, 2.

4. *milites et negotiatores*] Haec per appositionem pertinent ad *equites Rom.*, quippe quorum duo genera essent, alterum stipendia facientium, alterum negotiatorum.

5. *honestissuma suffragatione*] *Suffragatio* est *commendatio;* ea *honestissima* dicitur, quia et sine largitione aliisve malis artibus fiebat, et Mario honorificentissima erat.

fusa] v. ad Iug. 40, 4.

LXVI. 1. *formidine*] v. ad Iug. 23, 1.

ab se] v. ad Iug. 61, 1.

suos locos] v. ad Iug. 54, 8.

cuncta agitare] Vernaculâ: *er setzte Alles in Bewegung.*

2. *Vagenses, quo*] v. ad Cat. 3, 3. coll. Iug. 103, 1. Cic. in Verr. IV, 18, 38. *Diodorus — apud eos, quo se contulit, splendidus et gratiosus.*

Vagenses — principes] Negligentiore dicendi ratione *Vagenses* nominativus praedicatum non habet, novo nominativo *principes* illato, quasi vel praecessisset *Vagensium* genitivus, vel enunciatio caussalis, in hunc modum concepta: Igitur *quum Vagenses — fatigarentur* regis suppliciis, neque antea voluntate *alienati essent* etc.

constituunt] Absolute est: *sie treffen Bestimmung*, sc. de exsequenda coniuratione.

ludum] *Ludus* est, quicquid gra-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

viam magis quam formidinem ostentabat. Sed ubi tempus fuit, cen- 3
turiones tribunosque militaris et ipsum praefectum oppidi T. Turpilium Silanum alius alium domos suas invitant, eos omnis praeter Turpilium inter epulas obtruncant; postea milites palantis, inermos, quippe in tali die ac sine imperio, aggrediuntur. Idem plebes fa- 4
cit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum incitati, quis acta consiliumque ignorantibus tumultus ipse et res novae satis placebant.

LXVII. Romani milites, improviso metu incerti ignarique, quid potissumum facerent, trepidare; ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant, praesidium hostium; portae ante clausae fugam prohibebant, ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa et alia, quae locus praebebat, certatim mittere. Ita neque caveri an- 2
ceps malum, neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse; iuxta boni malique, strenui et imbelles inulti obtruncari. In ea 3
tanta asperitate, saevissumis Numidis et oppido undique clauso, Turpilius praefectus unus ex omnibus Italicis intactus profugit. Id misericordiane hospitis, an pactione, an casu ita evenerit, parum comperimus, nisi, quia illi in tanto malo turpis vita integra fama potior fuit, improbus intestabilisque videtur.

LXVIII. Metellus, postquam de rebus Vagae actis comperit, paulisper moestus e conspectu abit; deinde, ubi ira et aegritudo

vioribus negotiis omissis ad relaxandum atque oblectandum animum fit.

3. *in tali die*] v. ad Cat. 48, 5.

sine imperio] v. ad Iug. 10, 1.

4. *ipse*] i. e. *per se;* cf. Iug. 85, 31. 89, 5.

LXVII. 1. *ad arcem — praesidium hostium*] i. e. *ante* arcem, quo Romani inde arcerentur, praes. host. *erat*. De omisso imperfecto cf. Cat. 25, 5. Iug. 51, 1. 90, 1.

pro tectis] i. e. in anteriore tectorum parte (*vorn auf den Dächern*); cf. Iug. 94, 4. *Numidae — pro muro — agitare*. Liv. XXI, 7, 8. *Pro moenibus atque turri tela micare*.

2. *anceps malum*] sc. quod tum a coniuratis in vicis pugnantibus, tum a mulieribus ex tectis saxa iacientibus ingruebat. Id caveri non poterat aditu ad arcem intercepto portisque clausis.

infirmissumo generi] His verbis *mulieres puerosque* intelligi planum est; *virī* ipsi enim statim post dicuntur *saevissumi*.

3. *nisi — videtur*] i. e. *nisi hoc nobis compertum est*, vel constat, *eum improbum — videri;* v. ad Iug. 24, 5.

intestabilis] Proprie est, cui neque testamentum scribere, neque testamento adhiberi, neque testimonium dicere liceret. Translate significat *scelestum, nefarium, infamem;* cf. Hist. Fr. I, 49, 1.

LXVIII. 1. *ultum ire*] Haec dictio

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

2 permixta sunt, cum maxuma cura ultum ire iniurias festinat. Legionem, cum qua hiemabat, et quam plurumos potest Numidas equites pariter cum occasu solis expeditos educit, et postero die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paulo superio-
3 ribus circumventam. Ibi milites fessos itineris magnitudine et iam abnuentis omnia docet, oppidum Vagam non amplius mile passuum abesse; decere illos reliquum laborem aequo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis atque miserrumis, poenas caperent;
4 praeterea praedam benigne ostentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo late, pedites quam artissume ire et signa occultare iubet.

LXIX. Vagenses, ubi animum advortere ad se vorsum exercitum pergere, primo, ut erat res, Metellum esse rati, portas clausere; deinde, ubi neque agros vastari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident, rursum Iugurtham arbitrati, cum magno
2 gaudio obvii procedunt. Equites peditesque, repente signo dato, alii volgum effusum oppido caedere, alii ad portas festinare, pars turris capere, ira atque praedae spes amplius quam lassitudo posse.
3 Ita Vagenses biduum modo ex perfidia laetati; civitas magna et
4 opulens cuncta poenae aut praedae fuit. Turpilius, quem praefectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, iussus a Metello caussam dicere, postquam sese parum expurgat, con-

ex *festinat* apta vix differt a simplici verbo *ulcisci*.

2. *pariter cum*] De temporis aequalitate dictum est; cf. Ing. 77, 1. 106, 5.

circiter horam tertiam] Ex nostra ratione fere hora *octava*.

3. *omnia*] Coniungendum cum *abnuentis*.

mile passuum] *Mile* primo et quarto casu haud raro substantivum est cum genitivo iunctum; cf. Nep. Milt. 5, 1. *Ea mile misit militum*. Liv. V, 26, 5. *Mile fere passuum ab oppido castra locant*. — Post *amplius* omissum *quam*.

dum] i. e. dummodo; cf. Cat. 5, 6. 14, 6. 40, 4.

ostentat] i. e. promittit (Germanice: *stellt in Aussicht*); cf. Iug. 23, 1. 66, 1.

4. *in primo*] *Primum* quum substantive positum sit, sensus hic est: *in primo agmine;* cf. Liv. X, 41, 6. *Arma signaque per turbidam lucem in primo apparebant.*

late] i. e. *diductis ordinibus;* cf. Hist. Fr. I, 93. *Neque late aut securus ire.*

LXIX. 3. *ex perfidia*] v. ad Cat. 4, 1.

poenae — fuit] *Poenae esse*, quod per se vix dicitur, excusationem habet ab adiecta altera dictione *praedae esse*, satis illa trita; cf. Cat. 21, 4. 48, 2. *Poenae* erant, qui interficiebantur, *praedae*, qui capti vendebantur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

demnatus verberatusque capite poenas solvit; nam is civis ex Latio erat.

LXX. Per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Iugurtha deditionem, quam metu deserui, inceperat, suspectus regi et ipse eum suspiciens, novas res cupere, ad perniciem eius dolum quaerere, die noctuque fatigare animum; denique omnia tentando socium 2 sibi adiungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, carum acceptumque popularibus suis, qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare et omnis res exsequi solitus erat, quae Iugurthae fesso aut maioribus astricto superaverant; ex quo illi gloria opesque inventae. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur; cetera, 3 uti res posceret, ex tempore parari placuit; Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum iussus habebat, ne ager inultis hostibus vastaretur. Is postquam magnitudine facinoris 5 perculsus ad tempus non venit, metusque rem impediebat, Bomilcar, simul cupidus incepta patrandi et timore soci anxius, ne omisso vetere consilio novum quaereret, litteras ad eum per homines fidelis mittit, in quis mollitiem socordiamque viri accusare, testari deos, per quos iuravisset, monere, ne praemia Metelli in pestem convorteret; Iugurthae exitium adesse; ceterum suane an Metelli virtute periret, id modo agitari; proinde reputaret cum animo suo, praemia an cruciatum mallet.

4. *civis ex Latio*] Cives romanos lege Porcia (v. ad Cat. 51, 22.) non licebat verberari; at in socios ac Latinos fusti et verberibus animadvertebatur, licet M. Livius Drusus (cf. Plut. in C. Gracch. c. 9.) id abolere conaretur. — De Turpilio damnato rem aliter tradit Plutarchus in Mario c. 8., aperte non Sallustium, sed scriptores alios eosque minus veritatis studiosos secutus.

LXX. 1. *per idem tempus*] v. ad Iug. 63, 1.

deditionem] cf. Iug. 62.

suspiciens] i. e. *suspectum habens*, qui usus verbi rarior est; cf. Hist. Fr. I, 22. *Quis rebus Sulla suspectis maximeque ferociâ regis Mithridatis*, i. e. quas res quum Sulla *suspiceret* etc.

2. *carum acceptumque*] Quasi ex formula hae voces coniunguntur ut in vernacula *lieb und werth;* cf. Iug. 12, 3. 108, 1. Liv. XXXV, 15, 4. Similiter dicitur *gratus acceptusque;* cf. Cic. Tusc. V, 15, 45. Nep. Hannib. 7, 3.

seorsum ab rege] i. e. ita, ut ex regis imperio non penderet (*unabhängig vom Könige*).

quae — superaverant] i. q. quae nimia fuerant, quae, quia Iugurtha ipse obire nequiverat, relicta fuerant.

3. *ex tempore*] i. e. non ex composito, sed pro rerum copia.

5. *tempus*] Praegnanti sensu est

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

LXXI. Sed quum hae litterae allatae, forte Nabdalsa, exer-
2 cito corpore fessus, in lecto quiescebat, ubi cognitis Bomilcaris verbis primo cura, deinde, ut aegrum animum solet, somnus cepit.
3 Erat ei Numida quidam negotiorum curator, fidus acceptusque et
4 omnium consiliorum, nisi novissumi, particeps. Qui postquam allatas litteras audivit, ex consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introiit, dormiente illo epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit ac perlegit, dein propere,
5 cognitis insidiis, ad regem pergit. Nabdalsa, post paulo experrectus, ubi neque epistolam repperit et rem omnem, ut acta erat, cognovit, primo indicem persequi conatus, postquam id frustra fuit, Iugurtham placandi gratia accedit; dicit, quae ipse paravisset facere, perfidia clientis sui praeventa; lacrumans obtestatur per amicitiam perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.

LXXII. Ad ea rex, aliter atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis iram oppresserat, ne qua ex eo negotio seditio
2 oriretur. Neque post id *locorum* Iugurthae dies aut nox ulla quieta fuit; neque loco, neque mortali cuiquam aut tempori satis credere, civis hostisque *iuxta* metuere, circumspectare omnia et omni strepitu pavescere, alio atque alio loco, saepe contra decus regium,

iustum sive *constitutum tempus*; cf. Iug. 79, 7. 89, 3. 91, 3. 94, 1.

impediebat] Imperfecto, quod praeterito subiungitur, durans effectus ex priore actione prodiens et cum ea coniunctus significatur; cf. Cat. 12, 1. *Postquam divitiae honori esse coepere, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur.* 51, 37. Ceterum v. ad Iug. 13, 5. — *Metus* est Nabdalsae.

timore soci] i. e. timore, quo socius captus erat.

suane] sc. et Bomilcaris et Nabdalsae.

LXXI. 1. *quum — allatae*] sc. *sunt*; cf. Iug. 77, 3. 109, 2.

exercito] i. e. laboribus intento.

2. *cepit*] sc. *eum*, quod ex *quiescebat* eliciendum. — Ex *cepit* verbo ad *aegrum animum* supplendum *capere*; v. ad Iug. 49, 2.

5. *rem omnem — cognovit*] sc. percontatione facta cognovit Numidam illum, dum ipse dormiebat, in cubiculo fuisse, ac deinde egressum profugisse; ad Iugurtham illum cum epistola contendisse, ipse coniecit.

5. *super*] Rarius aurea aetate *super* dicitur pro *de*.

LXXII. 1. *aliter atque animo gerebat*] Haec verba quasi appositionis loco ad *placide* vocem pertinent.

oppresserat] i. e. compescuerat vel continuerat. De plusquampf. v. ad Iug. 57, 6.

2. *post id locorum*] v. ad Iug. 63, 6.

iuxta] v. ad Cat. 2, 8.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

noctu requiescere, interdum somno excitus arreptis armis tumultum facere; ita formidine quasi vecordia exagitari.

LXXIII. Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rursus tamquam ad integrum bellum cuncta parat festinatque. Marium, fatigantem de profectione, 2 simul et invitum et offensum sibi parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romae plebes, litteris, quae de Metello ac Mario mis- 3 sae erant, cognitis, volenti animo de ambobus acceperant. Impe- 4 ratori nobilitas, quae antea decori fuit, invidiae esse; at illi alteri generis humilitas favorem addiderat; ceterum in utroque magis studia partium quam bona aut mala sua moderata. Praeterea seditiosi 5 magistratus volgum exagitare, Metellum omnibus contionibus capitis arcessere, Mari virtutem in maius celebrare. Denique plebes 6 sic accensa, ut opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitae erant, relictis operibus frequentarent Marium, et sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita perculsa nobili- 7 tate, post multas tempestates novo homini consulatus mandatur; et

tumultum facere] sc. quasi insidiatores adessent.

LXXIII. 1. *indicio patefacto*] Pleonasmi quodam genere cum substantivo iunctum verbum eiusdem notionis; sufficiebat vel *indicio facto*, vel *re patefacta*. Similia sunt *initium oritur*, Caes. B. G. V, 26, 1; *initia inchoantur*, Liv. XXXIX, 23, 5; *principium incipit*, Tacit. XIII, 10, 2.

2. *fatigantem*] i. e. ad taedium usque urgentem et instantem; cf. Iug. 11, 4. 14, 20. 66, 2. 111, 3.

simul et — ratus] Duas Sall. causas affert dimissi Marii, alteram eamque primariam in ipso Mario positam (*fatigantem*), alteram, quae ad illam accederet (*simul et*), a Metelli persona repetitam (*invitum — ratus*). — *Invitum*, quod liberius ad *mansionem* refertur, ita solvendum: *quia*, si missio illi negaretur, *invitus maneret*. — *Idoneum*, absolute positum, ut saepissime (cf. Cat. 39, 6. 51, 27. Iug. 62, 4.), intelligendum *de utilitate ad res gerendas praestanda*.

3. *litteris*] cf. Iug. 65, 4.

volenti] i. e. lubenti, cupido, benevolo; cf. Iug. 103, 6.

4. *illi alteri*] v. ad Iug. 16, 5.

in utroque] v. ad Cat. 11, 4. Plenior sensus est: in utroque iudicando.

bona aut mala sua] i. e. quae utrique bona aut mala erant *peculiaria*. — *Bona* sunt *virtutes*, *res laudandae*; *mala* igitur res illis contrariae; cf. Iug. 85, 23. *Maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum neque mala in occulto patitur*.

moderata] sc. *sunt*. — *Moderari*, quod proprie est *rei modum constituere*, h. l. intransitive positum significat *vim suam exserere*, vel *valere* (Germanice *bestimmend wirken*). Sententia haec est: partium studia magis quam Marii bona aut Metelli mala *efficiebant*, *ut* alter plebis

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

postea populus a tribuno plebis Manlio Mancino rogatus, quem vellet cum Iugurtha bellum gerere, frequens Marium iussit. Sed senatus paulo ante Metello Numidiam decreverat; ea res frustra fuit.

LXXIV. Eodem tempore Iugurtha, amissis amicis, quorum plerosque ipse necaverat, ceteri formidine, pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant, quum neque bellum geri sine administris posset, et novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculosum duceret, varius incertusque agitabat. Neque illi res, neque consilium aut quisquam hominum satis placebat; itinera praefectosque in dies mutare, modo advorsum hostes, interdum in solitudines pergere, saepe in fuga, ac post paulo in armis spem habere, dubitare, virtuti an fide popularium minus crederet; ita, 2 quocumque intenderat, res advorsae erant. Sed inter eas moras repente sese Metellus cum exercitu ostendit; Numidae ab Iugurtha 3 pro tempore parati instructique; dein proelium incipitur. Qua in parte rex pugnae affuit, ibi aliquamdiu certatum; ceteri eius omnes milites primo congressu pulsi fugatique. Romani signorum et ar-

favore frueretur, alter in invidia esset.

5. *seditiosi magistratus*] i. e. tribuni plebis; cf. Cat. 38, 1.

capitis arcessere] i. e. tanta in eum crimina congerebant, quasi re capitali commissa capitis poenam subire deberet.

in maius] i. e. ita ut verum excederetur; cf. Hist. Fr. III, 64. *In maius componentem.* I, 3. *Plura — in deterius composuit.*

6. *res fidesque*] *Res* dictum de iis, quae quis vere possidet (*die Habe*); *fides* spectat ad ea, quae quis non ipse habet, sed ab aliis bona fide mutua accipit (*der Credit*); cf. Hist. Fr. III, 1, 9. *Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi.*

in manibus] i. e. in manuum mercede diurna; cf. Cat. 37, 7. 48, 2.

frequentarent] i. e. frequenter adirent et circa eum essent honoris caussa; cf. Tacit. Ann. V, 10, 2. *Iuvenis iam iuventutis concursu, iam publicis studiis frequentabatur.*

7. *post multas tempestates*] i. e. post longum tempus; cf. Cat. 53, 5. Iug. 96, 1. 108, 2.

consulatus mandatur] in annum 107. a. Chr. n.

frequens] v. ad Iug. 45, 2.

iussit] v. ad Iug. 40, 3.

ea res frustra fuit] sc. Mancinus nitebatur lege Sempronia de provinciis (v. ad Iug. 27, 3.), qua cautum erat, ne cui senatus imperium prorogaret; cf. Cic. p. Balb. 27, 61. et Epp. ad Famm. I, 7, 26.

LXXIV. 1. *amicis*] Intelliguntur, qui circa regem esse solebant, quorumque consuetudine et opera utebatur.

in dies] v. ad Iug. 44, 3.

fide] v. ad Iug. 16, 3.

quocunque intenderat] *Intendere* intransitivo sensu cum adverbio loci positum valet *animi intentionem aliquo dirigere*, i. e. aliquid vel *spectare*, vel *aggredi*; cf. Iug. 64, 1. 102, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

morum aliquanto numero, hostium paucorum potiti; nam ferme Numidas in omnibus proeliis magis pedes quam arma tuta sunt.

LXXV. Ea fuga Iugurtha impensius modo rebus suis diffidens, cum perfugis et parte equitatus in solitudines, dein Thalam pervenit, in oppidum magnum atque opulentum, ubi plerique thesauri filiorumque eius multus pueritiae cultus erat. Quae postquam 2
Metello comperta sunt, quamquam inter Thalam flumenque proximum in spatio milium quinquaginta loca arida atque vasta esse cognoverat, tamen spe patrandi belli, si eius oppidi potitus foret, omnis asperitates supervadere ac naturam etiam vincere aggreditur. Igitur omnia inmenta sarcinis levari iubet, nisi frumento dierum 3
decem; ceterum utris modo et alia aquae idonea portari. Praeterea 4
conquirit ex agris quam plurumum potest domiti pecoris, eoque imponit vasa cuiusque modi, sed pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui se post regis 5
fugam Metello dederant, quam plurumum quisque aquae portaret; diem locumque, ubi praesto forent, praedicit; ipse ex flumine, 6
quam proximam oppido aquam esse supra diximus, iumenta onerat; eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. Deinde ubi ad 7
id loci ventum, quo Numidis praeceperat, et castra posita munita-

3. *potiti*] De variata structura v. ad Cat. 33, 1. Ceterum *potiri* ubi de hominibus dicitur, plerumque c. genit. construitur; cf. Iug. 25, 10. *Uti prius Adherbalis potiretur.*

tuta sunt] Rarior participii forma, ab antiquo verbo *tuor* ducta. — Praedicatum attractione ad alterum subiectum, quod in comparativo membro est, refertur; cf. Cat. 25, 3. Iug. 50, 6.

LXXV. 1. *impensius modo*] v. ad Iug. 47, 3.

in oppidum] Praepositione addita efficitur, ut *oppidi* vocabulum de integro ex verbo pendeat; cf. Liv. V, 38, 5. *Ut multo maior pars Veios, in hostium urbem, fugerent.* Nudus accusativus appositionis vi ad solum substantivum pertineret.

pueritiae cultus] i. e. supellex regia, quae ad pueros *regio more habendos* pertinebat.

2. *in spatio*] i. e. *intra spatium;* cf. Caes. B. G. VI, 36, 2. *Nullum eiusmodi casum exspectans, quo — in milibus passuum tribus offendi posset.*

milium quinquaginta] sc. *passuum;* v. ad Iug. 48, 3.

3. *sarcinis levari, nisi*] i. e. nullas omnino sarcinas portare, praeter frumentum.

4. *eoque*] i. e. *in idque;* v. ad Cat. 3, 3. coll. Iug. 47, 2. 66, 2. 103, 1.

5. *praedicit*] i. e. imperio ante constituit; cf. Nep. Them. 7, 3. *Iis praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent.*

7. *quo — praeceperat*] sc. *venire;* v. ad Iug. 49, 2.

ea modo] i. e. ea sola, aliâ non

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

que sunt, tanta repente coelo missa vis aquae dicitur, ut ea modo
8 exercitui satis superque foret. Praeterea commeatus spe amplior,
quia Numidae, sicuti plerique in nova deditione, officia intende-
9 rant. Ceterum milites religione pluvia magis usi, eaque res mul-
tum animis eorum addidit; nam rati, sese dis immortalibus curae
esse. Deinde postero die contra opinionem Iugurthae ad Thalam
10 perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos credide-
rant, magna atque insolita re perculsi, nihilo segnius bellum pa-
rare; idem nostri facere.

LXXVI. Sed rex, nihil iam infectum Metello credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria vicerat, cum liberis et magna parte pecuniae ex oppido noctu profugit. Neque postea in ullo loco amplius uno die aut una nocte moratus, simulabat sese negoti gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat; nam talia consilia per otium et ex opportunitate
2 capi. At Metellus, ubi oppidanos proelio intentos, simul oppidum et operibus et loco munitum videt, vallo fossaque moenia circum-
3 venit. Deinde locis ex copia maxume idoneis vineas agere, aggerem iacere, et super aggerem impositis turribus opus et admini-

additâ (Germanice: *dieses ausschliesslich*); cf. Iug. 50, 4. 76, 5. 78, 4.

8. *in nova deditione*] *Novum* quum dicatur omne, quod antea non fuit, *nova deditio* ea est, quae quum successerit in locum eius condicionis, ubi nondum dediti erant, *pro re nova habetur*. Germanice reddas: *wenn die Unterwerfung etwas Neues ist*.

intenderant] i. e. maiore studio praestabant.

9. *religione*] i. e. sensu pietatis in deos impulsi.

10. *locorum asperitate*] Ea constabat regionis, quae circa urbem erat, solitudine, vastitate et summa aquae inopia; cf. Iug. 89, 4.

munitos] i. e. tutos, periculi immunes; cf. Iug. 57, 6. 89, 4.

LXXVI. 1. *infectum*] v. ad Iug. 2, 3.

naturam ipsam] sc. humanam, i. e. *modum virium humanarum;* Metellus enim perfecerat, quod vires humanas excedere videretur. — *Ceteris* masculinum est.

ceterum] Per hanc particulam vera caussa, simulatae opposita, adiungitur; v. ad Cat. 51, 26.

vitare posse] v. ad Cat. 31, 7.

ex opportunitate] v. ad Cat. 12, 2.

3. *ex copia*] i. e. pro natura regionis; cf. Iug. 30, 5. *Ex copia rerum*. Quippe Metellus ex iis locis, *quorum omnino ratio haberi posset*, maxime idoneos eligebat.

opus] Hoc vocabulo omnia comprehenduntur, quae ad obsidionem pertinebant. *Administri* sunt, qui in eo negotio operam navabant, quemadmodum etiam *administrare* verbum usurpatur; cf. Iug. 92, 9.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

stros tutari. Contra haec oppidani festinare, parare; prorsus ab 4
utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore 5
proeliisque fatigati, post dies quadraginta, quam eo ventum erat,
oppido modo potiti; praeda omnis ab perfugis corrupta. Ii, post- 6
quam murum arietibus feriri resque suas afflictas vident, aurum atque argentum et alia, quae prima ducuntur, domum regiam comportant; ibi vino et epulis onerati, illaque et domum et semet igni corrumpunt, et quas victi ab hostibus poenas metuerant, eas ipsi volentes pependere.

LXXVII. Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes, uti praesidium praefectumque eo mitteret; Hamilcarem quemdam, hominem nobilem, factiosum, novis rebus studere, advorsum quem neque imperia magistratuum neque leges valerent; ni id festinaret, in summo periculo suam salutem, illorum socios fore. Nam Leptitani iam inde a principio belli 2
Iugurthini ad Bestiam consulem et postea Romam miserant amicitiam societatemque rogatum. Deinde, ubi ea impetrata, semper 3
boni fidelesque mansere, et cuncta a Bestia, Albino Metelloque imperata nave fecerant. Itaque ab imperatore facile, quae petebant, 4
adepti. Emissae eo cohortes Ligurum quattuor et C. Annius praefectus.

6. *arietibus feriri*] Ubi aries murum percusserat, nulla spes salutis oppidanis dabatur; cf. Caes. B. G. II, 32, 1.

LXXVII. 1. *pariter cum*] v. ad Iug. 68, 2.

factiosum] v. ad Iug. 8, 1.

illorum socios] Per synesin *illorum* intelligendum de *Romanis*. Periculum, in quo legati *socios* Romanorum fore dicebant, eo constabat, quod verendum erat, ne, si Hamilcaris factio valuisset, inviti a societate Romanorum abstraherentur. Ceterum *ἀσυνδέτως* posita duo subiecta accuratius sic distinenda sunt: *et* suam salutem, *et* illorum socios.

4. *Emissae*] Paulo insolentius hoc verbum propterea a Sall. positum videtur, quod cohortes ex provincia in remotam regionem ablegatae plane ab exercitu romano segregabantur.

LXXVIII. 1. *ex re*] Hoc quale sit, accuratius explicatur §. 3.

2. *in extrema Africa*] sc. qua Aegypto confinis est, secundum Sallustium extra Africam sitae; cf. Iug. 19, 3.

impares magnitudine etc.] De variata structura cf. Iug. 6, 1. 52, 1.

alia in tempestate] i. e. *alio in tempore*. Ita autem haec verba respondent praecedentibus *uti fors tulit*, ut utraque dictio, quippe quae adverbialem potestatem habeat, idem fere valeat atque *modo — modo*. Quibus rebus varia ac mutabilis Syrtium natura efficiatur, sequentibus explicatur.

3. *magnum esse*] i. e. intumescere (Germ. *hoch gehen*); cf. Hist. Fr. III, 35. *Neque iam sustineri poterat immensum aucto mari et vento gliscente.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

LXXVIII. Id oppidum ab Sidoniis conditum est, quos accepimus profugos ob discordias civilis navibus in eos locos venisse; 2 ceterum situm inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura; quorum proxuma terrae praealta sunt, cetera, uti fors 3 tulit, alta, alia in tempestate vadosa. Nam ubi mare magnum esse et saevire ventis coepit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt; ita facies locorum cum ventis simul mutatur. Syr- 4 tes ab tractu nominatae. Eius civitatis lingua modo convorsa connubio Numidarum, legum cultusque pleraque Sidonica, quae eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis aetatem 5 agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vastique loci erant.

LXXIX. Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus, non indignum videtur egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginiensium memorare; eam rem nos locus admo- 2 nuit. Qua tempestate Carthaginienses pleraque Africa imperitabant, 3 Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie; neque flumen, neque mons erat, qui finis eorum discerneret; quae res eos in magno diuturnoque bello inter

facies locorum] i. e. fundus maris et cum eo coniuncta eius altitudo.

Syrtes ab tractu nominatae] Haec verba pertinent ad id, quod auctor §. 1. dixit: *quibus nomen ex re inditum*. Pro graeco vocabulo σύρειν, unde ductum *Syrtium* nomen, Sall. latinum verbum *trahere* posuit, ut solent Latini in originatione graecarum vocum explicanda; cf. Cic. Acadd. II, 16, 49. *Soritas hos vocant, quia acervum* [σωρόν] *efficiunt uno addito grano*. Id. de Legg. I, 6, 19. *Legem — illi Graeco putant nomine a suo cuique tribuendo* [νέμειν] *appellatam*. Plin. H. N. III, 14. *Ab hoc dehiscendi* [ῥήγνυσθαι] *argumento Rhegium Graeci nomen dedere oppido*.

4. *cultusque*] *Cultus* h. l. significat universam vitae externae rationem; cf. Hist. Fr. I, 69. *Antipodas — cultu Persarum iustos et egregios agere*.

procul ab imperio regio] i. e. regibus nunquam subiecti.

5. *frequentem*] sc. cultoribus; cf. Iug. 48, 4.

LXXIX. 1. *mirabile*] i. e. paene incredibile.

2. *pleraque Africa*] Ablativus loci est, non diversus ab eo, qui obtinet adiectivis *totus, cunctus, reliquus* cum substantivo coniunctis. — *Imperitare* in hac structura absolute positum, ut alias saepissime; cf. Iug. 18, 12. 81, 1.

3. *una specie*] Germanice est *einförmig; species* enim de externo habitu et forma dicitur; cf. Iug. 16, 5. Hist. Fr. IV, 16.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

se habuit. Postquam utrimque legiones, item classes saepe fusae 4
fugataeque, et alteri alteros aliquantum attriverant, veriti, ne mox victos victoresque defessos alius aggrederetur, per inducias sponsionem faciunt, uti certo die legati domo proficiscerentur; quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur. Igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Phi- 5
laenis erat, maturavere iter pergere, Cyrenenses tardius iere. Id socordiane an casu acciderit, parum cognovi. Ceterum solet in 6
illis locis tempestas haud secus atque in mari retinere. Nam ubi per loca aequalia et nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea magna vi agitata ora oculosque implere solet; ita prospectu impedito morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto poste- 7
riores se vident, et ob rem corruptam domi poenas metuunt, criminari Carthaginiensis ante tempus domo digressos, conturbare rem, denique omnia malle quam victi abire. Sed quum Poeni aliam con- 8
dicionem, tantummodo aequam, peterent, Graeci optionem Carthaginiensium faciunt, ut vel illi, quos finis populo suo peterent, ibi vivi obruerentur, vel eadem condicione sese, quem in locum vellent, processuros. Philaeni condicione probata seque vitamque 9
suam reipublicae condonavere; ita vivi obruti. Carthaginienses in 10
eo loco Philaenis fratribus aras consecravere; aliique illis domi honores instituti. Nunc ad rem redeo.

habuit] *Durandi* notio in actione aliqua aut statu conspicua hoc verbo continetur; cf. Iug. 94, 3. Liv. X, 2, 9. *Semper eos in armis accolae Galli habebant.* Sensus igitur est: *quae res eos sine intermissione bello m. d. q. implicuit.*

4. *legiones*] v. ad Cat. 53, 3.

aliquantum] v. ad Cat. 8, 2. infra §. 7.

sponsionem] i. e. pactionem.

5. *iter pergere*] Quum *pergere* verbum cognatae sit significationis cum *itineris* vocabulo, haec eodem modo composita sunt, ut *vitam vivere*, *servitutem servire*, alia huius generis.

6. *gignentium*] *Gignentia* sunt *plantae atque arbores*, quippe quae alia eiusdem generis ex sese gignant; cf. Iug. 93, 4. *Ilex — aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert.*

7. *ob rem corruptam*] i. e. ob acceptum in constituendo negotio detrimentum.

ante tempus] sc. *iustum*, vel *constitutum*; cf. Iug. 70, 5. 89, 3. 91, 3.

8. *condicionem*] i. e. negotii conficiendi viam pactione constituendam.

optionem Carthaginiensium faciunt] *Carthaginiensium* quum sit genitivus possessivus, sensus est: faciunt, ut optio Carthaginiensium (i. e. penes Carthaginenses) esset; v. ad Iug. 85, 34.

ibi] i. e. *in iis* (v. ad Cat. 3, 3.), quae correlationis ratio cum at-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

LXXX. Iugurtha, postquam amissa Thala nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines cum paucis profectus pervenit ad Gaetulos, genus hominum ferum incultumque et 2 eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit ac paulatim consuefacit ordines habere, signa sequi, impe- 3 rium observare, item alia militaria facere. Praeterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus et maioribus promissis ad studium sui perducit, quis adiutoribus regem aggressus impellit, ut advorsum 4 Romanos bellum incipiat. Id ea gratia facilius proniusque fuit, quod Bocchus initio huiusce belli legatos Romam miserat, foedus 5 et amicitiam petitum, quam rem opportunissumam incepto bello pauci impediverant, caeci avaritia, quis omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat. Etiam antea Iugurthae filia Bocchi nu- 6 pserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur, quia singuli, pro opibus quisque, quam plurumas uxores, 7 denas alii, alii plures habent, sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur; nulla pro socia obtinet, pariter omnes viles sunt.

LXXXI. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt; ibi, fide data et accepta, Iugurtha Bocchi animum oratione accendit: Romanos iniustos, profunda avaritia, communis omnium hostis esse; eandem illos caussam belli cum Bocco habere, quam

tractione coniuncta liberior quidem, sed tamen satis excusata est; proprie enim sic dicendum fuit: ut *in iis finibus, quos* populo suo *peterent*, obrnerentur.

9. *seque vitamque*] Gravitatis caussa haec, quorum alterum redundare videtur, coniuncta sunt; cf. Cat. 52, 8. *Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratium fecissem.* Iug. 85, 27.

condonavere] i. e. victimam se praebnere (*sie brachten zum Opfer*).

10. *aras consecravere*] sc. pro heroibus illi culti sunt.

LXXX. 2. *Eorum*] Partitivo sensu est *ex iis*.

ordines habere etc.] Haec omnia ex Romanae militiae consuetudine dicta sunt; v. ad Cat. 53, 3.

4. *pronius*] *Pronum* ad actiones relatum quum id significet, quod sua sponte ad finem et eventum inclinat, de iis dicitur, *quibus, quominus fiant, nihil obstat*, vel *quae sine negotio fiunt*; cf. Iug. 114, 2. *Romani sic habuere, alia omnia virtuti suae prona esse.*

6. *Etiam*] i. e. *ad hoc*.

eo amplius] sc. *quo magis*, quia reges sunt, *ceteros opibus superant, eo amplius* uxores habent. — *Amplius* eodem modo positum Cat. 20, 11.

7. *optinet*] i. e. valet.

LXXXI. 1. *profunda*] i. e. *inexplebili*; cf. Hist. Fr. IV, 19, 5. *Cupido profunda imperi.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi, quis omnia regna advorsa sint; tum sese, paulo ante Carthaginiensis, item Persen regem, post, uti quisque opulentissumus videatur, ita Romanis hostem fore. His atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum 2 iter constituunt, quod ibi Metellus praedam captivosque et impedimenta locaverat. Ita Iugurtha ratus, aut capta urbe operae pretium 3 fore, aut si Romanus auxilio suis venisset, proelio sese certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere, ne 4 moras agitando aliud quam bellum mallet.

LXXXII. Imperator, postquam de regum societate cognovit, non temere, neque, uti saepe iam victo Iugurtha consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit; ceterum haud procul ab Cirta castris munitis reges opperitur, melius esse ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hostis accesserat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per litteras certior fit, provinciam Numidiam Mario 2 datam; nam consulem factum ante acceperat. Quis rebus supra bonum atque honestum perculsus, neque lacrumas tenere neque moderari linguam; vir egregius in aliis artibus nimis molliter aegritudinem pati. Quam rem alii in superbiam vortebant, alii bonum 3 ingenium contumelia accensum esse, multi, quod iam parta victoria

tum sese] Ubi in directa oratione *nunc* dicendum est, in obliqua *tum* dicitur; cf. Iug. 84, 1. 102, 14.

hostem fore] Ex *fore* ad *sese* supplendum *esse*, ad *Carthag.* etc. *fuisse*; v. ad Cat. 47, 2.

2. *praedam captivosque*] *Que* particulâ coniunctae voces quum in unam quasi notionem coëant, per *et* particulam non tertium sed alterum modo additur; cf. Iug. 1, 3. *Abunde pollens potensque et clarus est.* 21, 3. 43, 4. 62, 1. 8. 66, 3. 71, 3. 78, 3. 80, 1.

3. *operae pretium fore*] In hac dictione *pretium* subiectum est, atque id significat, quo *opera* in expugnanda urbe posita rependatur; quippe intelliguntur res ibi locatae, quibus Iugurtha potiturus erat.

4. *Bocchi pacem*] i. e. pacem, quam Bocchus adhuc cum Romanis agitabat.

pacem imminuere] i. e. rebus conturbandis impedire, quominus Bocchus pacem ageret. — Ceterum infinitivus per epexegesin refertur ad praegressum *id* pronomen; cf. Tacit. Hist. IV, 33, 2. *Id solum — monuit, subsignano milite media firmare.*

LXXXII. 1. *temere*] i. e. casu aliquid tribuens; cf. Iug. 93, 5.

ceterum] v. ad Cat. 51, 26.

cognitis Mauris] i. e. si antea cognovisset M.

ex commodo] *Ex* quum id significet, unde aliquid tamquam ex caussa prodit (v. ad Cat. 12, 2.), sensus est: ubi praesens commodum iustam pugnandi *caussam* afferret, = *ubi commodum esset.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ex manibus eriperetur. Nobis satis cognitum est, illum magis honore Mari quam iniuria sua excruciatum, neque tam anxie laturum fuisse, si adempta provincia alii quam Mario traderetur.

LXXXIII. Igitur eo dolore impeditus, et quia stultitiae videbatur alienam rem periculo suo curare, legatos ad Bocchum mittit postulatum, ne sine caussa hostis populo Romano fieret; habere tum magnam copiam societatis amicitiaeque coniungendae, quae potior bello esset; quamquam opibus suis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare; omne bellum sumi facile, ceterum aegerrume desinere; non in eiusdem potestate initium eius et finem esse; incipere cuivis, etiam ignavo licere; deponi, quum victores velint; proinde sibi regnoque suo consuleret, neu florentis
2 res suas cum Iugurthae perditis misceret. Ad ea rex satis placide verba facit: sese pacem cupere, sed Iugurthae fortunarum misere-
3 reri; si eadem illi copia fieret, omnia conventura. Rursus imperator contra postulata Bocchi nuntios mittit; ille probare partim, alia abnuere. Eo modo saepe ab utroque missis remissisque nuntiis tempus procedere, et ex Metelli voluntate bellum intactum trahi.

LXXXIV. At Marius, ut supra diximus, cupientissuma plebe consul factus, postquam ei provinciam Numidiam populus iussit,

2. *provinciam*] Accusativus praedicati est.

nam consulem etc.] Refertur *nam* ad omissam sententiam fere talem: neque id *primum* fuit, quod animum eius pungeret; *nam* c. f. *ante* acc.; v. ad Cat. 52, 34.

bonum atque honestum] cf. Iug. 8, 1. 29, 2., quibus locis *bonum* significat, quod *per se rectum* est, *honestum*, quod *honori* est atque decet (Germanice h. l. dicendum: *mehr als recht und geziemend*).

in aliis artibus] i. e. in aliis rebus, quibus animi virtus apparet.

nimis molliter] i. e. non satis viriliter ac fortiter.

3. *iniuria sua*] v. ad Cat. 51, 11.

tam anxie] i. e. tanta sollicitudine.

traderetur] Magis ex usu foret *tradita esset;* sed imperfecto usus est Sallustius, quia rem sic cogitatione concepit: „si *tum, quum de eo negotio constituebatur*, — traderetur.“ In hac sententia vernaculâ dicendum est: *wenn — gegeben wurde*, non *würde;* cf. Iug. 59, 3.

LXXXIII. 1. *habere*] sc. *illum;* quod facile eruitur ex *fieret.*

tum] v. ad Iug. 81, 1.

2. *placide*] i. e. animo amico et *a pace agitanda non abhorrente;* cf. Iug. 72, 1. 102, 12.

3. *contra postulata B. nuntios mittit*] i. e. nuntios mittit, *qui* contra postulata B. *verba facerent;* cf. Iug. 25, 6.

LXXXIV. 1. *supra*] c. 73, 6.

cupientissuma] i. e. summopere expetente atque ut consequeretur annitente; cf. Fr. Hist. V, 15.

ei — iussit] i. e. ei — decrevit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

antea iam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare, singulos modo, modo universos laedere; dictitare, sese consulatum ex victis illis spolia cepisse; alia praeterea magnifica pro se et illis dolentia. Interim, quae bello opus erant, prima habere; postu- 2
lare legionibus supplementum, auxilia a populis et regibus sociisque accersere, praeterea ex Latio fortissumum quemque, plerosque militiae, paucos fama cognitos, accire, et ambiundo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci. Neque illi senatus, quam- 3
quam advorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat; ceterum supplementum etiam laetus decreverat, quia neque plebi militia volenti putabatur, et Marius aut belli usum aut studia volgi amissurus. Sed ea res frustra sperata; tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat. Sese quisque praeda locupletem fore, victorem domum 4
rediturum, alia huiuscemodi animis trahebant, et eos non paulum oratione sua Marius arrexerat. Nam postquam omnibus, quae po- 5
stulaverat, decretis, milites scribere volt, hortandi caussa, simul et nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, contionem populi advocavit. Deinde hoc modo disseruit:

LXXXV. Scio ego, Quirites, plerosque non isdem artibus

multus] i. e. intentiore vi; quippe hoc inest in voce *et saepius et acrius* institisse Marium; cf. Iug. 96, 3.

sese — cepisse] v. ad Cat. 1, 1.

dolentia] i. e. quae dolorem afferrent. Antique hoc dictum.

2. *militiae*] i. e. *in militia*, quemadmodum *belli* est *in bello*. De variata structura cf. Cat. 33, 1. Iug. 74, 3. — Ceterum *famâ* Germanice est: *von Hören sagen*.

ambiundo cogere] i. e. verbis ad gratiam et favorem quaerendum compositis impellere.

3. *Neque*] v. ad Iug. 31, 27.

plebi militia volenti putabatur] *Mihi est aliquid volenti* ex Graecorum usu ita dicitur, ut significet: *exstat aliquid ita, ut pertineat ad me id volentem*, quod simplicius est *volo aliquid*. Quare sensus est: quia neque plebes militiam velle putabatur; cf. Iug. 100, 4. Liv. XXI, 80, 10. *Quibusdam volentibus novas res fore*. Germanice locutionem h. l. commode vertes: *Gegenstand der Wünsche für jemanden sein*.

belli usum] i. e. ea, quae bello usui sunt, quae belli usus poscit (*Kriegsbedürfnisse*).

4. *animis trahebant*] Aliquid *animo trahere* significat *ex animo non dimittere, animo volvere*; cf. Iug. 93, 1. 97, 2.

non paulum] v. ad Cat. 3, 1.

LXXXV. 1. *artibus*] v. ad Cat. 2, 4. Vernaculâ h. l. vertendum est: *mit demselben Benehmen*.

2. *contra ea*] Plenius haec sic habent: *quod contra ea est*, i. e. contrarium; cf. Cat. 3, 2. *Supra ea*.

videtur] Praegnanti sensu est *probatur, placet*, sive, ut auctor Cat. 52, 2, in eadem sententia loquitur: longe mihi alia *mens est*.

nam — debere] Structura horum verborum anacolutha est; quae enim

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

imperium a vobis petere, et, postquam adepti sunt, gerere; primo industrios, supplicis, modicos esse, dein per ignaviam et superbiam
2 aetatem agere. Sed mihi contra ea videtur; nam quo pluris est univorsa respublica quam consulatus aut praetura, eo maiore cura
3 illam administrari quam haec peti debere. Neque me fallit, quantum cum maxumo vostro beneficio negoti sustineam. Bellum parare simul et aerario parcere, cogere ad militiam eos, quos nolis offendere, domi forisque omnia curare, et ea agere inter invidos, oc-
4 cursantis, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc, alii si deliquere, vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum et affinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio assunt; mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est virtute et innocentia
5 tutari; nam alia infirma sunt. Et illud intellego, Quirites, omnium ora in me convorsa esse, aequos bonosque favere — quippe mea bene facta reipublicae procedunt —, nobilitatem locum invadendi
6 quaerere. Quo mihi acrius annitendum est, uti neque vos capia-
7 mini, et illi frustra sint. Ita ad hoc aetatis a pueritia fui, ut omnis
8 labores, pericula consueta habeam. Quae ante vostra beneficia gratuito faciebam, ea ut accepta mercede deseram, non est consi-

per *nam* infertur oratio *directa*, ita desinit, ut ex *videtur* tanquam verbo regente *suspensa sit;* cf. Cat. 15, 2.

3. *vostro beneficio*] i. e. consulatu; v. ad Iug. 31, 16. — *Cum* in hoc nexu pleniore vi est i. q. *simul cum.*

et ea agere etc.] Sententia per *et* adiecta quum exaggeret et augeat antecedentia, *et* valet *et quidem;* cf. Iug. 105, 4. Hist. Fr. I, 56, 1. III, 1, 5.

occursantis] i. e. obnitentes et impedimenta parantes.

4. *innocentia*] i. e. vitae morumque integritate.

tutari] sc. me.

5. *procedunt*] i. e. prospere eveniunt, utilitati sunt; cf. Iug. 65, 5. Liv. XXIV, 26, 5. *Si Andranodoro consilia processissent.*

locum] i. e. occasionem; cf. Iug. 38, 6. Liv. III, 46, 2. *Inquietum hominem locum seditionis quaerere.*

invadendi] sc. me. — *Invadere alicui* Germanice est: *über einen herfallen.*

6. *uti neque vos capiamini*] i. e. ut neque vos (qui aequi bonique mihi favetis) *circumventi opprimamini;* cf. Hist. Fr. I, 49, 20.

illi] sc. nobiles, qui me invadere quaerunt.

frustra sint] i. e. *fallantur;* v. ad Cat. 20, 2.

7. *Ita — fui* etc.] Iam ostendit Marius, cur confidat, se ea, quae sibi faciunda dixit, praestiturum esse.

8. *ea uti — deseram*] Quum dictio *est consilium* et similes voluntatis notionem habeant, pro infinitivo (v. ad Cat. 4, 1.) interdum etiam *ut* ponitur; cf. Cic. Epp. ad Attic. VII, 10, in. *Subito consilium cepi — ut exirem.* Liv. XXV, 34, 7.

deseram] i. e. ignaviâ relinquam; praegnanti sensu enim *deserere* de iis dicitur, qui officio neglecto aliquid omittunt; cf. Iug. 30, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

lium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per 9
ambitionem sese probos simulavere; mihi, qui omnem aetatem in
optumis artibus egi, bene facere iam ex consuetudine in naturam
vortit. Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis, quam rem nobi- 10
litas aegerrume tulit. Quaeso, reputate cum animis vostris, num
id mutari melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc aut
aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiae ac multa-
rum imaginum et nullius stipendi, scilicet ut in tanta re ignarus
omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem of-
fici sui. Ita plerumque evenit, ut, quem vos imperatorem iussistis, 11
is sibi imperatorem alium quaerat. Atque ego scio, Quirites, qui, 12
postquam consules facti sunt, acta maiorum et Graecorum militaria
praecepta legere coeperint, — praeposteri homines; nam gerere
quam fieri tempore posterius, re atque usu prius est. Comparate 13
nunc, Quirites, cum illorum superbia me hominem novum. Quae
illi audire et legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi;
quae illi litteris, ea ego militando didici. Nunc vos existumate, 14
facta an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam, ego illo-
rum ignaviam; mihi fortuna, illis probra obiectantur. Quamquam 15
ego naturam unam et communem omnium existumo, sed fortissu-
mum quemque generosissumum. Ac si iam ex patribus Albini aut 16
Bestiae quaeri posset, mene an illos ex se gigni maluerint, quid

9. *potestatibus*] v. ad Iug. 63, 5.

temperare] Intransitive est *modum servare*. Usitatius dicitur *sibi temperare*.

10. *si — mittatis*] Quasi per epexegesin haec ad verba *id mutari* illustranda pertinent; *id* enim generaliter indicat, quod sequentibus explicatius dicitur; cf. Iug. 81, 4.

globo] *Globus* ut in re militari est constipata manus, quam nulla hostium vis frangere possit, ita in rebus civilibus significat factiosorum (v. ad Iug. 8, 1.) cohortem impenetrabilem (Germ. *eine Rotte*).

prosapiae] Priscum vocabulum, cui ex aequo respondet vernaculum *die Sippe, Sippschaft*. Usus est eo Marius, ut oblique perstringeret ridiculam nobilitatis de rebus antiquis et obsoletis gloriationem.

ex populo] v. ad Cat. 38, 3.

11. *iussistis*] Quoniam *iubere* dicebatur populus, quae suffragiis suis constituerat (v. ad Iug. 40, 3.), *iubere magistratum aliquem* significat *creare*; cf. Liv. I, 17, 9. *Quum populus regem iussisset*. id. III, 30, 6. *Expressit hoc necessitas patribus; id modo excepere, ne postea eosdem tribunos iuberent.*

12. *scio*] i. e. *novi, cognovi;* sc. *quosdam.*

gerere quam fieri etc.] Generaliter hoc dictum de *administrando* et *accipiendo* munere. Arguta sententia eo constat, quod *gerere* in priore membro significat *ipsam rerum admi-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

responsuros creditis, nisi sese liberos quam optumos voluisse? 17 Quodsi iure me despiciunt, faciant idem maioribus suis, quibus, uti 18 mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo; ergo invideant labori, innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec 19 illum cepi. Verum homines corrupti superbia ita aetatem agunt, quasi vostros honores contemnant, ita hos petunt, quasi honeste 20 vixerint. Ne illi falsi sunt, qui divorsissumas res pariter exspe- 21 ctant, ignaviae voluptatem et praemia virtutis. Atque etiam, quum apud vos aut in senatu verba faciunt, pleraque oratione maiores suos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores sese putant. 22 Quod contra est. Nam quanto vita illorum praeclarior, tanta ho- 23 rum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet; maiorum gloria posteris quasi lumen est, neque bona neque mala eorum in 24 occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam fateor, Quirites; verum, id quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet. 25 Nunc videte, quam iniqui sint. Quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt, scilicet quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est, quam certe peperisse me- 26 lius est, quam acceptam corrupisse. Equidem ego non ignoro, si iam mihi respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore; sed in maxumo vostro beneficio quum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis

nistrationem obtinere, in posteriore *administrandis rebus parem esse*.

usu] i. e. experimento et exercitio; cf. Cat. 7, 4.

13. *nunc*] v. ad Iug. 14, 17.

15. *Quamquam*] Hac particula (Germanice *wiewohl*, *jedoch*) infertur correctio praecedentis sententiae. Quippe Marius cavere vult, ne quis ex eo, quod alia sibi alia nobilitati obiectentur, coniiciat, ipsam naturam hominum sibi videri diversam.

sed fortissumum] Per *sed* ita restringitur sententia de *una omnium natura*, ut sensus sit: *ita tamen, ut fort. quemq.* (i. e. nonnisi fortissumum) *generos. putem*.

16. *sese — voluisse*] sc. quo responso mea sententia plenissime confirmatur.

17. *faciant idem* etc.] In hac adhortatione hoc inest; sed non facient hoc, neque possunt facere; quare iniuria me despiciunt.

18. *innocentiae*] v. ad Cat. 12, 1.

20. *exspectant*] Praegnanti sensu est: pro certis ac sibi debitis habent.

23. *neque bona neque mala*] v. ad Iug. 73, 4.

24. *inopiam fateor*] i. e. concedo huius rei, per se non spernendae, mihi inopiam esse.

25. *quod — sibi arrogant*] sc. honorum obtinendorum ius.

26. *Equidem ego*] v. ad Cat. 51, 15.

compositam] v. ad Cat. 51, 9.

reticere] i. e. reprimere et retinere ea, quae dicenda sunt; cf. Iug. 33, 4.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem ex animi mei 27
sententia nulla oratio laedere potest; quippe vera necesse est bene
praedicet, falsam vita moresque mei superant. Sed quoniam vostra 28
consilia accusantur, qui mihi summum honorem et maxumum negotium imposuistis, etiam atque etiam reputate, num eorum poeniten-
dum sit. Non possum fidei caussa imagines, neque triumphos aut 29
consulatus maiorum meorum ostentare, at, si res postulet, hastas,
vexillum, phaleras, alia militaria dona, praeterea cicatrices advorso
corpore. Hae sunt meae imagines, haec nobilitas, non hereditate 30
relicta, ut illa illis, sed quae egomet plurumis laboribus et perícu-
lis quaesivi. Non sunt composita verba mea; parvi id facio; ipsa 31
se virtus satis ostendit; illis artificio opus est, ut turpia facta ora-
tione tegant. Neque litteras Graecas didici; parum placebat eas 32
discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At 33
illa multo optuma reipublicae doctus sum, hostem ferire, praesidia
agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hiemem et aestatem iuxta
pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam et laborem tole-
rare. His ego praeceptis milites hortabor, neque illos arte colam, 34
me opulenter, neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc 35
est utile, hoc civile imperium. Namque, quum tute per mollitiem
agas, exercitum supplicio cogere, id est dominum, non imperato-
rem esse. Haec atque talia maiores vostri faciundo seque remque 36

27. *ex animi mei sententia*] Ita Romani ex formula loquebantur ad animi persuasionem graviter testandam; cf. Cic. de Off. III, 29, 108. *Quod ex animi tui sententia iuraris.*

bene praedicet] Vernacula est: *sich gut aussprechen.*

superant] i. e. *redarguunt*, imagine a certantibus sumpta.

28. *imposuistis*] *Imponere*, de onere et re gravi dictum, per zeugma ad *honorem* refertur, qui *datur*, non *imponitur;* v. ad Iug. 14, 4. Ceterum cf. §. 3.

33. *iuxta*] i. e. eadem facilitate; v. ad Cat. 2, 8.

34. *His — praeceptis*] i. e. hoc *exemplo* tanquam praeceptis usus, non inanibus verbis etc.

arte] v. ad Iug. 45, 2. *Arte colere* est: tenuiter *habere.*

gloriam meam laborem illorum faciam] *Meam* et *illorum* quum ad praedicatum pertineat, sensus est: *gloriam mihi arrogabo, laborem illis relinquam.* De pronomine cf. Iug. 14, 1. Hist. Fr. I, 49, 23. *Quum — invidiam suam, praemia penes paucos intellegerint;* de genitivo v. ad Iug. 79, 8.

35. *civile*] i. e. non superbum; come et humanum; cf. Liv. XLV, 42, 5. *Nulli erat civilis animus.* Tacit. Ann. I, 72, 1.

supplicio cogere] i. e. crudeli imperio ad officium compellere.

id est dominum] cf. Iug. 31, 26.

36. *celebravere*] Insolenter *cele-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

37 publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus,
nos illorum aemulos contemnit, et omnis honores non ex merito,
38 sed quasi debitos a vobis repetit. Ceterum homines superbissumi
procul errant. Maiores eorum omnia, quae licebat, illis reliquere,
divitias, imagines, memoriam sui praeclaram; virtutem non reli-
quere, neque poterant; ea sola neque datur dono neque accipitur.
39 Sordidum me et incultis moribus aiunt, quia parum scite convivium
exorno, neque histrionem ullum, neque pluris preti coquum quam
40 villicum habeo. Quae mihi lubet confiteri, Quirites. Nam ex pa-
rente meo et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus,
viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae
41 quam divitiarum esse; arma, non suppellectilem decori esse. Quin
ergo quod iuvat, quod carum aestumant, id semper faciant; ament,
potent, ubi adulescentiam habuere, ibi senectutem agant, in convi-
viis, dediti ventri et turpissumae parti corporis; sudorem, pulverem
et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis iocundiora sunt.
42 Verum non est ita. Nam ubi se flagitiis dedecoravere turpissumi
43 viri, bonorum praemia ereptum eunt. Ita iniustissume luxuria et
ignavia, pessumae artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt, rei-
44 publicae innoxiae cladi sunt. Nunc quoniam illis, quantum mores
mei, non illorum flagitia poscebant, respondi, pauca de republica
45 loquar. Primum omnium de Numidia bonum habete animum, Quiri-

brare, vulgo de *verbis* usurpatum, hic de *factis* dicitur, quibus aliquid clarum redditur.

37. *Quis*] sc. maiorum egregiis factis.

non ex merito] sc. *petit*, quod eliciendum ex sequente verbo *repetit*. Proprie enim *repetere* dicitur de *debitis reposcendis;* cf. Iug. 96, 2. Cic. Tusc. I, 39. 93.

38. *procul errant*] i. e. errore suo procul a vero abducuntur.

datur — accipitur] Germanice est: *lässt sich — geben* etc.; cf. Iug. 11, 4.

39. *sordidum*] i. e. elegantioris cultus expertem, qualem Germani dicunt *ordinär*, Graeci *βάναυσον*.

coquum quam villicum] *Coquus*, vile olim mancipium, moribus corruptis in pretio esse coepit, ut necessarium luxuriae instrumentum; *villicus* contra, cuius longe maior erat utilitas in re rustica, luxuriosis exigui pretii videbatur.

40. *sanctis*] i. e. morum corruptela et luxuria non contaminatis, castis vitaque integra; cf. Iug. 109, 4. Hist. Fr. II, 29, 5. I, 100.

munditias] Malo sensu vocabulum h. l. dicitur de molliore ac nimis exquisito et delicato corporis cultu atque ornatu; cf. Iug. 63, 3.

41. *ventri* etc.] cf. Cat. 13, 3. 14, 2.

44. *non illorum flagitia*] sc. nobilitatis flagitia multo plura dici poscebant.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tes. Nam quae ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia remo- 46
vistis, avaritiam, imperitiam atque superbiam; deinde exercitus ibi
est locorum sciens, sed mehercule magis strenuus quam felix; nam
magna pars eius avaritia aut temeritate ducum attrita est. Quam- 47
obrem vos, quibus militaris aetas est, annitimini mecum et capes-
site rempublicam; neque quemquam ex calamitate aliorum aut im-
peratorum superbia metus ceperit. Egomet in agmine, in proelio
consultor idem et socius periculi vobiscum adero, meque vosque
in omnibus rebus iuxta geram. Et profecto dis iuvantibus omnia 48
matura sunt, victoria, praeda, laus; quae si dubia aut procul es-
sent, tamen omnis bonos reipublicae subvenire decebat. Etenim 49
nemo ignavia immortalis factus est, neque quisquam parens liberis,
ut aeterni forent, optavit, magis uti boni honestique vitam exige-
rent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent; 50
nam strenuis abunde dictum puto.

LXXXVI. Huiuscemodi oratione habita Marius, postquam ple-
bis animos arrectos videt, propere commeatu, stipendio, armis
aliisque utilibus navis onerat; cum his A. Manlium legatum proficisci iubet. Ipse interea milites scribere, non more maiorum, ne- 2
que ex classibus, sed uti cuiusque lubido erat, capite censos ple-
rosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consu- 3

46. *avaritiam, imperitiam atque superbiam*] *Avaritiae* crimen pertinet ad Calpurnium Bestiam (c. 28, 5. 29, 1.), *imperitiae* ad Albinum (c. 36.) et Aulum (c. 37. 38.), *superbiae* ad Metellum (c. 64, 5.).

ducum] Consulto ambigue loquitur Marius, ut, utrum priores modo duces notet, id quod res erat, an Metellum simul intelligat, in incerto relinquat.

47. *capessite remp.*] v. ad Cat. 52, 5.

ex calamitate] v. ad Cat. 12, 2.

meque vosque — geram] v. ad Iug. 55, 1.

48. *si — essent*] *Si* positum pro *etiamsi*; cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 17, 50. *Quod si Romae Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus.* Id. de Sen. 11, 38. *Quae si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus ea ipsa cogitantem.*

decebat] Indicativus imperfecti in apodosi eo nititur, quod res, ex condicione suspensa, etiam citra condicionem et iam ante positam condicionem agenda enuncintur. Germanice sententiam sic explices: *so geziemte sich doch überhaupt, und geziemt sich auch jetzt, dass* etc.; cf. Tacit. Hist. I, 16, 1. *Si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram, a quo respublica inciperet.*

50. *virtutem — adderent*] cf. Cat. 58, 1.

LXXXVI. 2. *more maiorum*] sc. ut

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

lis memorabant, quod ab eo genere celebratus auctusque erat, et homini potentiam quaerenti egentissumus quisque opportunissumus, cui neque sua curae, quippe quae nulla sunt, et omnia cum pretio 4 honesta videntur. Igitur Marius cum aliquanto maiore numero, quam decretum erat, in Africam profectus paucis diebus Uticam ad- 5 vehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato; nam Metellus conspectum Mari fugerat, ne videret ea, quae audita animus tolerare nequiverat.

LXXXVII. Sed consul, expletis legionibus cohortibusque auxiliariis, in agrum fertilem et praeda onustum proficiscitur, omnia ibi capta militibus donat, dein castella et oppida natura et viris parum munita aggreditur, proelia multa, ceterum levia, alia aliis 2 locis facere. Interim novi milites sine metu pugnae adesse, videre fugientis capi aut occidi, fortissumum quemque tutissumum, armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi, glo- 3 riam atque divitias quaeri. Sic brevi spatio novi veteresque 4 coaluere, et virtus omnium aequalis facta. At reges, ubi de adventu Mari cognoverunt, divorsi in locos difficilis abeunt. Ita Iugurthae placuerat, speranti, mox effusos hostis invadi posse, Romanos, sicuti plerosque, remoto metu laxius licentiusque futuros.

populo in Campum Martium convocato singulae centuriae deinceps excitarentur, ex quibus idonei ad militiam sumerentur.

ex classibus] Quum pro censu sex essent classes civium, tantummodo quinque priores, solae *classium* nomine appellatae, militiae officio tenebantur; qui tenuissimo aut nullo essent censu, *proletarii* et *capite censi* dicti, militia vacabant.

3. *bonorum*] *Boni* h. l. sunt ad militiam idonei in classibus.

et homini etc.] Haec alteram continent explicationis per *quod* illatae partem, sed sententia communi expressam. Quippe ambitionem Marii quidam in eo cernebant, *quod, quum a plebe tum auctus esset, eius ope etiam in posterum se auctum iri speraret.*

auctus] i. e. ad altiorem dignitatis et auctoritatis gradum elatus (Germanice *emporgehoben*). Consulatu id factum esse, per se patet.

cum pretio] i. e. *adiuncto* sive *accepto* pretio; cf. Iug. 85, 3. 55, 3.

LXXXVII. 1. *onustum*] Insolenter dictum pro *repletum, abundantem;* cf. Tacit. XII, 13, 4. *Ubi pharetras telis onustas accepere.*

2. *patriam parentesque*] cf. Cat. 6, 5.

4. *reges*] sc. Iugurtha et Bocchus.

difficilis] i. e. asperos ac natura impeditos.

laxius licentiusque] *Laxius*, respectu ducis, qui *laxiore imperio* (cf. c. 64, 5,) eos haberet, *licentius*, respectu modestiae militum, qui plura sibi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

LXXXVIII. Metellus interea Romam profectus contra spem suam laetissumis animis excipitur, plebi patribusque, postquam invidia decesserat, iuxta carus. Sed Marius impigre prudenterque 2 suorum et hostium res pariter attendere, cognoscere, quid boni utrisque aut contra esset, explorare itinera regum, consilia et insidias eorum antevenire, nihil apud se remissum neque apud illos tutum pati. Itaque et Gaetulos et Iugurtham, ex sociis nostris 3 praedas agentis, saepe aggressus in itinere fuderat, ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat. Quae postquam 4 gloriosa modo neque belli patrandi cognovit, statuit urbis, quae viris aut loco pro hostibus et advorsum se opportunissumae erant, singulas circumvenire; ita Iugurtham aut praesidiis nudatum, si ea paterctur, aut proelio certaturum. Nam Bocchus nuntios ad eum 5 saepe miserat, velle populi Romani amicitiam; ne quid ab se hostile timeret. Id simulaveritne, quo improvisus gravior accideret, 6 an mobilitate ingeni pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est.

LXXXIX. Sed consul, uti statuerat, oppida castellaque munita adire, partim vi, alia metu aut praemia ostentando avortere ab hostibus. Ac primo mediocria gerebat, existumans, Iugurtham ob 2

sumerent. — De adverbio c. *esse* coniuncto v. ad Cat. 14, 11.

LXXXVIII. 1. *contra spem suam*] i. e. contra quam exspectaverat; cf. Cat. 20, 13.

2. *remissum*] v. ad Iug. 58, 1.

3. *aggressus in itinere*] i. e. aggr. dum iter faciunt.

armis exuerat] i. e. ita vicerat, ut milites eius *armis abiectis* in fuga salutem quaererent.

4. *belli patrandi*] sc. *esse;* v. ad Cat. 6, 7.

singulas circumvenire] i. e. deinceps, unam post alteram, militibus cingere, et, si casus daretur, expugnare; cf. Iug. 38, 4.

nudatum] Paullo durius ex sequenti *certaturum* sc. *esse* huc trahendum est *fore*; v. ad Iug. 81, 2. Ita autem differt partic. perf. pass. cum *fore* (*nudatum fore*) ab infin. fut. passivi (*nudatum iri*), ut hoc significet *werde entblösst werden*, illud *werde entblösst sein;* cf. Cic. Tusc. III, 28, 69. *Brevi tempore philosophiam plane absolutam fore*. Caes. B. G. IV, 6, 3. *Omnia, quae postulassent, ab se fore parata*. Liv. II, 34, 11. *Hoc malo domitos ipsos cultores agrorum fore*.

5. *Nam Bocchus* etc.] Supple fere hoc: *Bocchum tum quidem non ita petebat; nam is* etc.; v. ad Cat. 52, 34.

6. *accideret*] Insolentius de personis dictum verbum significat *irrueret*. Cognatum est, quod *clamor, strepitus, sonus*, quo aures vehementer feriuntur, *accidere* dicitur; cf. Iug. 107, 6. Drakenb. ad Liv. XL, 32, 2.

solitus] sc. *sit*: cf. Iug. 113, 1. *Dolo, an vere cunctatus, parum com-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

3 suos tutandos in manus venturum. Sed ubi illum procul abesse et aliis negotiis intentum accepit, maiora et magis aspera aggredi tem-
4 pus visum est. Erat inter ingentis solitudines oppidum magnum atque valens nomine Capsa, cuius conditor Hercules Libys memorabatur. Eius cives apud Iugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fidelissumi habebantur, muniti advorsum hostis non moenibus modo et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum aspe-
5 ritate. Nam praeter oppido propinqua alia omnia vasta, inculta, egentia aquae, infesta serpentibus, quorum vis, sicut omnium ferarum, inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium, ipsa perniciosa,
6 siti magis quam alia re accenditur. Eius potiundi Marium maxuma cupido invaserat, quum propter usum belli, tum quia res aspera videbatur, et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitumque, nisi quod apud Thalam non longe a moenibus aliquot fontes erant, Capsenses una modo, atque ea intra
7 oppidum, iugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique et in omni Africa, quae procul a mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidae plerumque lacte et ferina carne vescebantur, et ne-
8 que salem neque alia irritamenta gulae quaerebant; cibus illis advorsum famem atque sitim, non lubidini neque luxuriae erat.

perimus. Cic. de Off. I, 17, 58. *Si comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum offici*. ib. I, 43, 152. *Potest incidere comparatio, de duobus utrum honestius*.

LXXXIX. 1. *metu*] sc. *quem iniiciebat oppidanis;* sive etiam *rebus, quae metum efficiebant;* v. ad Iug. 23, 1. 66, 1.

2. *mediocria gerebat*] i. e. res mediocres neque magni momenti perpetrabat.

in manus venturum] i. e. manum conserturum; cf. Tacit. Ann. II, 80, 4. *Ut venere in manus, vertunt terga Cilices*.

3. *aggredi tempus visum est*] v. ad Cat. 4, 1.

4. *Capsa*] In Byzacio sita erat inter Bagradam et Tritonem teste Strabone XVII. p. 1118., qui eam τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ Ἰουγούρθα nominat.

immunes] sc. tributi.

habebantur] Ad *fidelissumi* relatum valet *tenebantur* vel *erant*, ad *immunes, levi imperio* significat *tractabantur* (cf. Cat. 11, 5.); v. ad Iug. 54, 2.

5. *infesta*] i. e. offensionis, periculi et horroris plena.

ipsa] i. e. per se, nulla alia re accedente; v. ad Iug. 66, 4.

6. *iugi*] i. e. perenni, nunquam non scaturiente.

7. *agebat*] Insolentia huius verbi ad *Africam* relati eo minuitur, quod aperte *incolae* cogitantur; v. ad Iug. 55, 2.

8. *cibus* etc.] i. e. *tali cibo* (lacte et ferina carne) *utebantur, qui, quum eos et aleret neque sitim excitaret*, simul advorsum famem atque sitim erat.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

XC. Igitur consul, omnibus exploratis, credo dis fretus, (nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat; quippe etiam frumenti inopia tentabatur, quod Numidae pabulo pecoris magis quam arvo student, et quodcumque natum fuerat, iussu regis in loca munita contulerant; ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate, nam aestatis extremum erat;) tamen pro rei copia satis providenter exornat; pecus omne, quod superioribus 2 diebus praedae fuerat, equitibus auxiliariis agendum attribuit, A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, ubi stipendium et commeatum locaverat, ire iubet, dicitque, se praedabundum post paucos dies eodem venturum. Sic incepto suo occultato pergit ad flumen Tanam.

XCI. Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribuerat, et ex coriis utres uti fierent, curabat; simul et inopiam frumenti lenire, et ignaris omnibus parare, quae mox usui forent; denique sexto die, quum ad flumen ventum est, maxuma vis utrium effecta. Ibi castris levi munimento 2 positis, milites cibum capere atque, uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse iubet, omnibus sarcinis abiectis, aqua modo seque et iumenta onerare. Dein, postquam tempus visum, 3 castris egreditur, noctemque totam itinere facto consedit; idem pro-

XC. 1. *consilio*] *Consilium* opponitur *deorum auxilio*, quo fretus Marius rem difficilem aggrediebatur.

providere] Absolute positum valet: *ea, quae usui forent, apparare* (Germ. *Vorkehrungen treffen*); cf. Caes. B. G. III, 3, 1. *Neque de frumento reliquoque apparatu satis esset provisum.*

tentabatur] i. e. in periculum et angustias adducebatur; cf. Iug. 48, 1.

arvo] Per metonymiam est *frumento.*

aridus] sc. *erat*; v. ad Iug. 67, 1.

tamen pro rei copia etc.] Sententiae ita cohaerent: consul, *quamquam*, ut credo, *dis fretus erat* (ea enim fiducia opus erat in re difficillima), *tamen deorum fiduciâ non omisit ipse providenter exornare* etc.

pro rei copia] v. ad Iug. 39, 5.

exornat] Absolute positum significat *parat et instruit, quae ad rem opus sunt* (Germ. est *rüsten, Anstalten treffen*).

2. *Laris*] Accusativus est; oppido enim nomen fuit *Lares.*

XCI. 1. *aequaliter*] i. e. ita, ut numerus distributi pecoris singulis *centuriis inter se*, pariterque singulis *turmis inter se* idem esset.

simul et inopiam lenire etc.] Haec ita cohaerent cum praecedentibus, ut, quo consilio Marius illa instituerit, explicent; *inopiam — lenire* enim spectat ad verba *pecus — distribuerat;* cetera (*ignaris — forent*) pertinent ad verba *ex coriis — curabat.*

sexto die, quum — ventum est] i. e.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

xuma facit; dein tertia multo ante lucis adventum pervenit in locum tumulosum, ab Capsa non amplius duum milium intervallo, ibi- 4 que, quam occultissume potest, cum omnibus copiis opperitur. Sed ubi dies coepit, et Numidae, nihil hostile metuentes, multi oppido egressi, repente omnem equitatum et cum his velocissumos pedites cursu tendere ad Capsam et portas obsidere iubet; deinde ipse in- 5 tentus propere sequi, neque milites praedari sinere. Quae postquam oppidani cognovere, res trepidae, metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra moenia in hostium potestate, 6 coëgere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum, Numidae puberes interfecti, alii omnes venumdati, praeda militibus 7 divisa. Id facinus contra ius belli non avaritia neque scelere consulis admissum, sed quia locus Iugurthae opportunus, nobis aditu difficilis, genus hominum mobile, infidum ante, neque beneficio neque metu coërcitum.

XCII. Postquam tantam rem Marius sine ullo suorum incommodo patravit, magnus et clarus antea, maior atque clarior haberi 2 coepit. Omnia, non bene consulta modo, verum etiam casu data, in virtutem trahebantur; milites, modesto imperio habiti, simul et locupletes, ad coelum ferre, Numidae magis quam mortalem timere, postremo omnes, socii atque hostes, credere, illi aut mentem divi-

sexto itineris die, quo die — ventum est.

2. *omnibus sarcinis abiectis — onerare*] Haec, per epexegesin ad verba *paratos esse iubet* relata, declarant *modum*, quo Marius milites paratos esse vellet; quae praecedunt, *uti — egrederentur*, praemittunt *consilium*, quo paratos esse iuberet.

3. *duum milium*] v. ad Iug. 48, 3.

4. *multi*] Ad verbum pertinens est *magno numero*.

intentus] Germanice reddas *schlagfertig*.

5. *pars civium* etc.] i. e. *quod pars civium — in potestate erat*.

6. *ceterum*] v. ad Cat. 51, 26.

7. *admissum*] v. ad Iug. 53, 7.

coercitum] v. ad Iug. 2, 3. Tacit. Ann. IV, 30, 2. *Delatores, genus hominum poenis quidem nunquam satis coercitum, per praemia eliciebantur.*

XCII. 2. *trahebantur*] Per zeugma h. v. refertur ad verba *bene consulta*, quae per se *augebant gloriam*, neque in virtutem trahenda erant; v. ad Iug. 14, 4. Ad sententiam cf. Tacit. Ann. II, 81, 1. *Tiberius cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat.*

modesto] i. e. modico, leni, non duro aut saevo; cf. Iug. 41, 2. Hist. Fr. I, 11.

postremo] v. ad Cat. 14, 3.

socii] Non sunt copiae auxiliares in exercitu Romano, sed latiore sensu ii, quos Marius *suos* habebat, i. e. quicunque pro eo stabant (Germanice: *Freund und Feind*).

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

nam esse, aut deorum nutu cuncta portendi. Sed consul, ubi ea 3
res bene evenit, ad alia oppida pergit, pauca repugnantibus Numidis capit, plura, deserta propter Capsensium miserias, igni corrumpit; luctu atque caede omnia complentur. Denique multis locis po- 4
litus, ac plerisque exercitu incruento, aliam rem aggreditur, nqu eadem asperitate, qua Caspensium, ceterum haud secus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Iugurthae Bocchique 5
regnum disiungebat, erat inter ceteram planitiem mons saxeus, mediocri castello satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu relicto; nam omnis natura, velut opere atque consulto, praeceps. Quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa 6
vi capere intendit. Sed ea res forte quam consilio melius gesta. Nam castello virorum atque armorum satis, magna vis frumenti et 7
fons aquae; aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus, iter castellanorum angustum admodum, utrimque praecisum. Vineae cum ingenti periculo frustra agebantur; nam quum 8
eae paulo processerant, igni aut lapidibus corrumpebantur; milites 9
neque pro opere consistere propter iniquitatem loci, neque inter vineas sine periculo administrare; optumus quisque cadere aut sauciari, ceteris metus augeri.

XCIII. At Marius, multis diebus et laboribus consumptis, anxius trahere cum animo suo, omitteretne inceptum, quoniam frustra erat, an fortunam opperiretur, qua saepe prospere usus fuerat.

cuncta portendi] i. e. cuncta, quae certum eventum habitura essent, monstrari; cf. Iug. 3, 2.

4. *ac*] i. e. *et quidem;* cf. Iug. 31, 17. 89, 6. 95, 3. 101, 2.

haud secus] i. e. *haud minus;* quippe rei difficultas *genere*, non *magnitudine* differebat a Capsensium.

5. *inter ceteram planitiem*] i. e. *in regione ceterum plana*, vel *cuius alia omnia plana essent.*

natura] Ablativus est.

6. *summa vi*] Coniunge cum *intendit.*

7. *armorum satis, magna vis frumenti*] Loci sensus est: castello virorum atque armorum erat tantum, quantum *sufficeret*, frumenti vero, quantum etiam *superaret.*

aggeribus — machinationibus] Dativi sunt. Subaudi *oppugnantium.*

importunus] Germanice est *unbequem*, i. e. pro huius loci ratione *difficilem accessum atque oppugnandi copiam praebens.*

iter castellanorum] i. e. iter, quod ad castellanos ducebat.

8. *paulo*] Poterat sane etiam dici *paulum;* sed res eodem redit: hoc enim est *ein wenig*, illud *um ein weniges;* cf. Caes. B. G. VII, 45, 2. *Legionem — paulo progressam inferiore constituit loco.*

9. *administrare*] v. ad Iug. 76, 3.;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

2 Quae quum multos dies noctisque aestuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod avorsum proeliantibus erat, animum advortit inter saxa repentis cochleas; quarum quum unam atque alteram, dein plures peteret, studio legundi pau-
3 latim prope ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem intellexit, more humani ingeni cupido difficilia faciundi ani-
4 mum vortit. Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter saxa, paulum modo prona, dein flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert; cuius ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus in castelli planitiem perrepsit, quod cuncti
5 Numidae intenti proeliantibus aderant. Exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non temere, ut escende-
6 rat, sed tentans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit, acta edocet, hortatur, ab ea parte, qua ipse escenderat, ca-
7 stellum tentet; pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure promissa eius cognitum ex praesentibus misit; quorum uti cuiusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nuntia-
8 vere; consulis animus tamen paulum arrectus. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque militesque quam velocissumos delegit, et cum his, praesidio qui forent, quattuor centuriones, omnisque Liguri parere iubet, et ei negotio proxumum diem constituit.

h. l. Germanice reddas: *Dienst thun, arbeiten.*

XCIII. 1. *trahere cum animo*] v. ad Iug. 84, 4.

2. *aestuans*] i. e. *magna animi commotione*, imagine sive ab aqua fervente, sive a maris aestu petita.

3. *cupido — animum vortit*] Pro rei narratae natura *cupido* intelligenda est *subito nata cupido*. Loci sensus est: *cupido difficilia faciundi more humani ingeni mutavit eius animum*, sc. ut primi consilii cochlearum legendarum oblitus aliud aggrederetur.

4. *Et forte*] Per *et* particulam fit transitus ad declarandum *eventum* eius rei, de qua ante dictum erat.

cuncta] Accusativus est; *gign. nat.* nominativus.

gignentium] v. ad Iug. 79, 6.

proeliantibus] Dativus pendet ex *aderant*, non ex *intenti*; cf. c. 94, 3.

7. *quorum uti cuiusque* etc.] Attractione relativum secundariae enunciationi illatum, pro: *qui*, uti cuiusque (*eorum*) ingenium erat, ita — nunciavere. cf. Iug. 102, 3.

8. *praesidio qui forent*] i. e. qui consilio et rei militaris peritia eos regerent, et, ne quid temere fieret, caverent (German. *um die Aufsicht zu führen*).

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

XCIV. Sed ubi ex praecepto tempus visum, paratis compositisque omnibus ad locum pergit. Ceterum illi, qui ascensuri erant, praedocti ab duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret; super terga gladii et scuta, verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia simul et offensa quo levius streperent. Igitur praegrediens Ligus 2 saxa, et si quae vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati milites facilius escenderent; interdum timidos insolentia itineris levare manu, ubi paulo asperior ascensus erat, singulos prae se inermis mittere, deinde ipse cum illorum armis sequi, quae dubia nisu videbantur, potissumus tentare, ac saepius eadem ascendens descendensque, dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu multumque fatigati tandem in castellum perve- 3 niunt, desertum ab ea parte, quod omnes, sicut aliis diebus, adversum hostis aderant. Marius, ubi ex nuntiis, quae Ligus egerat, cognovit, quamquam toto die intentos proelio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites et ipse extra vineas egressus, testudine acta succedere et simul hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere. At Numidae, saepe antea vineis Romanorum 4 subvorsis, item incensis, non castelli moenibus sese tutabantur, sed

XCIV. 1. *pergit*] sc. Ligus. — In sequentibus *illi* sunt eius comites.

ornatum] i. e. vestitum; cf. Cic. de Off. I, 18, 61. *Statuas quoque videmus ornatu fere militari.*

verum ea] *Verum* particulâ restringitur *scutorum* notio ita, ut *consueto apud Romanos generi* opponatur Numidicum, materiâ discrepans.

ponderis] sc. levioris.

2. *vetustate — eminebant*] sc. saxis longo tempore paulatim maceratis ac solutis fiebat, ut radices nonnullae eminerent.

potissumus] i. e. ipse prae ceteris.

digrediens] i. e. secedens in dextram aut laevam, sc. ut locum faceret post ipsum enitentibus.

3. *intentos — habuerat*] v. ad Iug. 79, 3.

tum vero] Hae particulae ita referuntur ad praegressum enunciatum temporale, ut verba *quamquam — habuerat* partem apodosis efficiant; ita enim procedit oratio: *ubi — cognovit, tum vero, quamquam — habuerat, cohortatus milites — succedere.* — De *tum* particula v. ad Cat. 51, 40; de *vero* dictum ad Cat. 37, 4.

testudine acta] i. e. *testudine*, quam fecerat, *promota*. — Testudo fiebat *sublatis supra capita scutis continuatisque ita inter se, ut ad inferendum telum locus non esset;* cf. Liv. XXXIV, 39, 6.

6. *tantummodo sauciare*] sc. non satis temporis sibi sumentes ad eos interficiendos.

certantes] = certatim.

XCV. 1. *quos — ut cogeret*] Per synesin *quos* refertur ad *equitatum;* v. ad Cat. 16, 1. Enunciati relativi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

pro muro dies noctisque agitare, maledicere Romanis ac Mario vecordiam obiectare, militibus nostris Iugurthae servitium minari, se-
5 cundis rebus feroces esse. Interim omnibus, Romanis hostibusque, proelio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio his, illis pro salute certantibus, repente a tergo signa canere; ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant, fugere, deinde uti quisque muro proxumus erat, postremo cuncti, armati inermesque.
6 Quod ubi accidit, eo acrius Romani instare, fundere ac plerosque tantummodo sauciare, dein super occisorum corpora vadere, avidi gloriae certantes murum petere, neque quemquam omnium
7 praeda morari. Sic forte correcta Mari temeritas gloriam ex culpa invenit.

XCV. Ceterum dum ea res geritur, L. Sulla quaestor cum magno equitatu in castra venit, quos ut ex Latio et a sociis coge-
2 ret, Romae relictus erat. Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum visum est de natura cultuque eius paucis dicere; neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus, et L. Sisenna, optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persecutus,
3 parum mihi libero ore locutus videtur. Igitur Sulla gentis patriciae nobilis fuit, familia prope iam exstincta maiorum ignavia; litteris

ratio planius patet, si sic instituēris: *ad quos ex Latio — cogendos R. relictus erat.*

a sociis] v. ad Iug. 39, 2.

2. *idoneum*] i. e. haud alienum.

visum est] v. ad Cat. 53, 6. Hist. Fr. I, 49, 26.

cultuque] *Cultus* h. l. de universo vitae genere, studiis, usu ac consuetudine formato, intelligendum.

alio loco] At multis de Sulla dixit in Historiis; cf. Fr. I, 20—45. Quare tum, quum haec scripsit, Historias scribendi consilium nondum habuit.

L. Sisenna] Sullae aetati suppar partesque optimatium secutus bellum scripsit Marsicum atque Sullae Mariique civile; cf. Vell. II, 9, 5. Cic. Brut. 64, 228. de Legg. I, 2, 7.

3. *Igitur*] Hac particula utuntur Latini, ubi praemissis nonnullis rem ipsam aggrediuntur; cf. Cat. 54, 1.

nobilis] Non omnes patricii nobiles fuerunt, sed ii tantum, quorum maiores magistratibus curulibus gestis ius imaginum adepti erant. Sulla *gentis Corneliae* patriciae fuit, ex qua plurimi amplissimis muneribus functi. *Familia* Sullarum originem duxit a P. Corn. Rufino, a. 333. a. Chr. n. dictatore; *Sullae* autem cognomen primus sumpsit P. Corn. Rufinus, qui a. 212. a. Chr. n. praetor primus ludos Apollinares instituit.

familia — exstincta] Ablativi qualitatis sunt, pariter ut genitivi *gentis patriciae* ex *fuit* pendentes. — *Exstingui* est *splendore obliterato in oblivionem venire* (germ. *verkommen*).

ignavia] *Ignavia* eorum est, qui non

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Graecis atque Latinis iuxta, atque doctissume, eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior; otio luxurioso esse; tamen ab negotiis numquam voluptas remorata, nisi quod de uxore potuit honestius consuli; facundus, callidus et amicitia facilis; ad dissimulanda negotia altitudo ingeni incredibilis; multarum rerum ac maxume pecuniae largitor. Atque illi, felicissumo omnium ante 4
civilem victoriam, numquam super industriam fortuna fuit, multique dubitavere, fortior an felicior esset; nam postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis an pigeat disserere.

XCVI. Igitur Sulla, uti supra dictum est, postquam in Africam atque in castra Marî cum equitatu venit, rudis anteâ et ignarus belli, sollertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est. Ad hoc milites benigne appellare, multis rogantibus, aliis per se 2
ipse dare beneficia, invitus accipere, sed ea properantius quam aes mutuum reddere, ipse ab nullo repetere, magis id laborare, ut illi quam plurumi deberent, ioca atque seria cum humillumis agere, in 3
operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse, neque inte-

acri promptoque ad agendum animo sunt, quibus industria deest; cf. Cat. 43, 3.

3. *iuxta*] i. e. pari modo; v. ad Cat. 2, 8.

atque] i. e. *et quidem;* v. ad Iug. 92, 4.

nisi quod etc.] Quae praecedentibus continetur laus *gloriae studii* voluptate non impediti, ea minuitur ac restringitur eo, quod Sulla circa matrimonium minus ei gloriae studuisse dicitur; cf. ad Iug. 24, 5.

de uxore] Collectivo sensu est *de uxoribus* = de re uxoria, sive de matrimonio (cf. ad c. 100, 4.). Paulo obscurius Sallustius matrimonia a Sulla tum parum honeste inita tum multis adulteriis commaculata notare videtur.

honestius consuli] *Consulere cum adverbio* significat *consilia inire, rationem agendi sequi;* cf. Cat. 51, 4.

amicitia facilis] *Facilis* de moribus dictum non magis eum significat, qui lubenter aliis satisfacit, quam cui ab aliis facile satisfit. Quare *amicitiâ facilis* est, qui in iucundis et colendis amicitiis non difficilem se praebet, parum offensus iis, quae severum virum offendant. Germanice reddas *in der Freundschaft ein weites Herz habend.*

altitudo ingeni] Graece βαθύτης, quae cernitur condendis in imum pectus consiliis, ut nemini in animi recessus coniectura penetrare liceat; cf. Tacit. Ann. III, 44, 3. *Neque loco neque vultu mutato per illos dies egit, altitudine animi, an comperat modica esse.*

4. *felicissumo* etc.] Alludens auctor ad *Felicis* cognomen, quod Sulla occiso Mario C. F. assumpsit, declarat illum eo nomine post civilem victoriam, quamquam ei industria ne tum quidem defuerit, indignum fuisse.

fortuna] *Fortuna* est prosperitas *casui* debita, non virtute parta; *felicitas* significat *honestarum rerum pro-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

rim, quod prava ambitio solet, consulis aut cuiusquam boni famam laedere, tantummodo neque consilio neque manu priorem alium 4 pati, plerosque antevenire. Quis rebus et artibus brevi Mario militibusque carissumus factus.

XCVII. At Iugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utilis, simul et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuntios mittit, quam primum in Numidiam copias adduce- 2 ret; proeli faciundi tempus adesse. Quem ubi cunctari accepit et dubium belli atque pacis rationes trahere, rursus, ut antea, proxumos eius donis corrumpit, ipsique Mauro pollicetur Numidiae partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi, aut integris suis finibus 3 bellum compositum foret. Eo praemio illectus Bocchus cum magna multitudine Iugurtham accedit. Ita amborum exercitu coniuncto, Marium, iam in hiberna proficiscentem, vix decuma parte die reliqua, invadunt, rati noctem, quae iam aderat, et victis sibi munimento fore, et, si vicissent, nullo impedimento, quia locorum scientes erant, contra Romanis utrumque casum in tenebris difficili-

speritatem ex consilio et virtute pendentem.

XCVI. 1. *Igitur*] Per hanc particulam oratio post aliquam digressionem se recipit ad rem propositam; cf. Iug. 19, 7.

in Africam] i. e. in provinciam (v. ad Iug. 13, 4.), ubi castra non erant; quare pro *atque* accuratius dicendum erat *atque inde*.

in paucis tempestatibus] cf. Iug. 28, 2.

2. *per se ipse*] i. e. sponte, non rogatus.

illi] Auctor secundarium enunciatum, quod ex Sullae mente pendere debebat, ex sua ipsius mente referens pro reflexivo posuit demonstrativum.

ioca atque seria] cf. Cic. de Finn. II, 26, 85. *At quicum ioca, seria, ut dicitur?*

3. *in operibus*] i. e. *in munitionibus faciendis*, sive eae castris tutandis, sive oppugnandis hostibus inserviebant.

multus] h. l. est *saepe, frequenter*; in eo enim cernebatur intentior eius cura et diligentia; cf. Iug. 84, 1.

quod — solet] *Solet*, vulgo absolute positum (v. ad Cat. 29, 2.), liberius cum subiecto et pronominis accusativo ita coniunctum est, ut sensus sit: *qui pravae ambitionis mos est.*

4. *artibus*] Germanice reddas *Leistungen*; cf. Iug. 2, 4.

XCVII. 1. *pecuniam amiserat*] cf. Iug. 92, 6.

2. *rationes trahere*] i. e. rationes animo volvere ac perpendere; v. ad Iug. 84, 4.

3. *nullo impedimento*] Haec verba variatâ structurâ non referuntur ad *sibi* dativum, sed ablativi qualitatis sunt; cf. Cic. Epp. ad Attic. X, 18, in. *Tranquillitates maiore impedimento fuerunt quam custodiae, quibus asservor.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

liorem fore. Igitur simul consul ex multis de hostium adventu co- 4
gnovit, et ipsi hostes aderant, et priusquam exercitus aut instrui aut sarcinas colligere, denique antequam signum aut imperium ullum accipere quivit, equites Mauri atque Gaetuli non acie neque ullo more proeli, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros incurrunt; qui omnes trepidi improviso metu ac tamen 5
virtutis memores aut arma capiebant, aut capientis alios ab hostibus defensabant; pars equos escendere, obviam ire hostibus; pugna latrocinio magis quam proelio similis fieri; sine signis, sine ordinibus equites pedites permixti caedere alios, alios obtruncare, multos, contra advorsos acerrume pugnantis, ab tergo circumvenire; neque virtus neque arma satis tegere, quod hostes numero plures et undique circumfusi erant; denique Romani veteres et ob ea scientes belli, si quos locus aut casus coniunxerat, orbis facere, atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.

XCVIII. Neque in eo tam aspero negotio Marius territus aut magis quam antea demisso animo fuit, sed cum turma sua, quam ex fortissumis magis quam familiarissumis paraverat, vagari passim, ac modo laborantibus suis succurrere, modo hostis, ubi confertissumi obstiterant, invadere; manu consulere militibus, quoniam imperare conturbatis omnibus non poterat. Iamque dies consumptus 2

4. *simul — et*] i. e. *eodem tempore et* cognovit, *et* hostes aderant; cf. Tacit. Ann. I, 65, 4. *Simul haec* (sc. dixit), *et cum delectis scindit agmen*. Id. IV, 25, 2. *Simul coeptus dies, et aderant semisomnos in barbaros*.

sarcinas colligere] Ante pugnam sarcinae in unum locum conferebantur; cf. Caes. B. G. I, 24, 2. VII, 18, 4.

signum] sc. tuba ac proposita tessera datum.

5. *latrocinio*] *Latrocinium* iusto proelio oppositum (cf. Liv. XXIX, 6, 2. Cic. in Catil. I, 10, 26. Tacit. Ann. XII, 39, 2.) significat inconditum, temere initum ac fraudulentum pugnandi genus, quali latrones uti solent.

obtruncare] i. e. capita caesorum abscidere.

XCVIII. 1. *familiarissumis*] sc. alii duces in eligendis turmae suae equitibus nobilitatis potius et cognationis rationem habebant.

manu] i. e. pugnando; cf. Iug. 5, 4. 20, 4. 39, 1.

2. *quum — remittere*] Praegressa notatione temporis *quum* in apodosi interdum cum infin. hist. iungitur; cf. Liv. II, 27, 1. Tac. Ann. II, 31, 1. II, 40, 1.

atque — acrius] Quum h. l. res gravior adiiciatur, *atque* valet *atque adeo*.

3. *trahit*] Hoc verbum cum praegressis *ex copia rerum* coniungen-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

erat, quum tamen barbari nihil remittere, atque, uti reges praece-
3 perant, noctem pro se rati, acrius instare. Tum Marius ex copia rerum consilium trahit, atque, uti suis receptui locus esset, collis duos propinquos inter se occupat, quorum in uno, castris parum amplo, fons aquae magnus erat, alter usui opportunus, quia magna
4 parte editus et praeceps pauca munimenta quaerebat. Ceterum apud aquam Sullam cum equitibus noctem agitare iubet; ipse paulatim dispersos milites, neque minus hostibus conturbatis, in unum
5 contrahit, dein cunctos pleno gradu in collem subducit. Ita reges, loci difficultate coacti, proelio deterrentur; neque tamen suos longius abire sinunt, sed, utroque colle multitudine circumdato, effusi
6 consedere. Dein crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari suo more laetari, exsultare, strepere vocibus, et ipsi duces fero-
7 ces, quia non fugerant, pro victoribus agere. Sed ea cuncta Romanis ex tenebris et editioribus locis facilia visu magnoque hortamento erant.

XCIX. Plurumum vero Marius imperitia hostium confirmatus quam maxumum silentium haberi iubet; ne signa quidem, uti per vigilias solebant, canere. Deinde, ubi lux adventabat, defessis iam hostibus et paulo ante somno captis, de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnis signa
2 canere, milites clamorem tollere atque portis erumpere. Mauri at-

dum significat *repetit ac celeriter capit.*

quaerebat] i. e. requirebat, postulabat; cf. Cic. in Verr. Act. II. I, 10, 29. *Nego ego quicquam a testibus dictum, quod cuiusquam oratoris eloquentiam quaereret.* Liv. IV, 14, 2.

4. *neque — conturbatis*] Negligentiore oratione usus Sallustius ablativos absolutos cum participio coniunxit, quasi praecessisset *dispersis militibus;* hoc enim voluit dicere: quum dispersi milites essent, neque minus hostes conturbati, suos contrahit. Similiter, quamquam inverso ordine, Liv. XXV, 35, 2. *Inter exercitus ducesque — gratulatio ingens facta, imperatore tanto cum omni exercitu deleto, et alteram pro haud dubia parem victoriam exspectantes.*

pleno] i. e. maxime citato.

5. *effusi*] i. e. nulli ordini astricti, dispersi; cf. Iug. 55, 4. 87, 4. 105, 3.

XCIX. 1. *per vigilias*] Causae notio h. l. ita confusa est cum temporis notione, ut *per vigilias*, si rem spectas, idem sit atque *in vigiliis:* nam quum quattuor vigiliae noctis signo buccina dato notarentur (cf. Veget. III, 8. Liv. VII, 35, 1.), signum, quod vigiliarum *causa* dabatur, etiam *in ipsis vigiliis* canebat.

ne signa quidem — canere] Intransitive positum verbum (Germanice *ertönen*); v. ad Cat. 59, 1. Infinitivus est historicus.

cohortium] v. ad Iug. 46, 7.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

que Gaetuli, ignoto et horribili sonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere aut providere quicquam polerant; ita cunctos strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris 3
instantibus, tumultu, terrore formido quasi vecordia ceperat. De- 4
nique omnes fusi fugatique; arma et signa militaria pleraque capta, pluresque eo proelio quam omnibus superioribus interempti; nam somno et metu insolito impedita fuga.

C. Dein Marius, uti coeperat, in hiberna proficiscitur, quae propter commeatum in oppidis maritumis agere decreverat; neque tamen victoria socors aut insolens factus, sed pariter atque in conspectu hostium quadrato agmine incedere. Sulla cum equitatu 2
apud dextumos, in sinistra parte A. Manlius cum funditoribus et sagittariis, praeterea cohortis Ligurum curabat; primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Perfugae, minume cari 3
et regionum scientissumi, hostium iter explorabant. Simul consul, quasi nullo imposito, omnia providere, apud omnis adesse, laudare et increpare merentis. Ipse armatus intentusque, item milites co- 4
gebat; neque secus, atque iter facere, castra munire, excubitum in porta cohortis ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mit-

2. *providere*] i. e. *ad cavendum parare*, vel simpliciter *cavere;* cf. Iug. 90, 1.

3. *formido quasi vecordia*] cf. Iug. 72, 2.

C. 1. *quadrato agmine*] i. e. ita instructo, ut impedimentis in medium collatis non solum primum et postremum agmen, sed etiam utrumque latus subito hostium impetui non pateret; cf. Iug. 46, 6—7.

2. *Sulla cum equitatu*] i. e. Sulla, cui equitatus erat attributus; cf. Iug. 46, 7. 49, 1.

curabat] Verbum hoc primum absolute, ut plerumque (v. ad Cat. 59, 3.), deinde cum obiecto coniunctum est; de hac structura cf. Tac. I, 31, 1. *Exercitum inferiorem A. Caecina curabat.*

3. *minume cari*] i. e. qui, si perirent, non magno in damno habebantur.

quasi nullo imposito] i. e. quasi nullum legatum singulis partibus praefecisset.

laudare et increpare merentis] i. e. *pro merito quemque* aut laudare aut increpare.

4. *item milites cogebat*] i. e. milites, *ut pariter armati atque intenti essent*, cogebat; v. ad Cat. 27, 2.

neque secus etc.] i. e. eadem cura atque cautione, qua iter *faciebat*, etiam castra *muniebat*.

in porta] Singularis numeri ea vis est, ut *generali* sensu id genus excubiarum, quae in *portis* agebantur, designetur. De simili singularis usu v. ad Cat. 29, 3. Iug. 95, 3.

non tam — quam] Sententiae his particulis comprehensae non ea ratio est, ut negetur Marii diffidentia (nam plane non diffidere neminem prudentem decet), sed hoc dicitur,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tere, praeterea alios super vallum in munimentis locare, vigilias ipse circumire, non tam diffidentia futurum, quae imperavisset, quam uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus esset. Et sane Marius illoque aliisque temporibus Iugurthini belli pudore magis quam malo exercitum coërcebat; quod multi per ambitionem fieri aiebant, pars, quod a pueritia consuetam duritiam, et alia, quae ceteri miserias vocant, voluptati habuisset; nisi tamen respublica pariter ac saevissumo imperio bene atque decore gesta.

CI. Igitur quarto denique die haud longe ab oppido Cirta undique simul speculatores citi sese ostendunt, qua re hostis adesse intelligitur. Sed quia divorsi, redeuntes alius ab alia parte, atque omnes idem significabant, consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, advorsum omnia paratus, ibidem opperitur. Ita Iugurtham spes frustrata, qui copias in quattuor partis distribuerat, ratus ex omnibus aeque aliquos ab tergo hostibus venturos. Interim Sulla, quem primum hostes attigerant, cohortatus suos, turmatim et quam maxume confertis equis ipse aliique Mauros invadunt, ceteri in loco manentes ab iaculis eminus

minus eum diffidentiâ quam ambitione ita egisse.

futurum] i. e. *fore;* antiquiore enim more infinitivus futuri act. neutro participii fiebat, nullo numeri et generis ratione habita; cf. Gell. NN. AA. I, 7.

volentibus] v. ad Iug. 84, 3.

5. *pudore*] v. ad Cat. 12, 2; sc. pudebat milites officii negligentes esse. cf. Caes. B. G. I, 40, 14. *Ut quam primum intelligere posset, utrum apud eos pudor atque officium, an timor valeret.*

malo] i. e. poena; cf. Ter. Adelph. I, 1, 44. *Malo coactus qui suum officium facit.*

per ambitionem] v. ad Iug. 45, 1.

consuetam] Praedicatum est, cum *habuisset* coniungendum.

nisi tamen etc.] Sententiae ita cohaerent: incertum autem, utri verius iudicaverint; nisi tamen (= *sed* tamen) hoc certum est — rempublicam — gestam esse, v. ad Iug. 24, 5.

respublica — bene gesta] i. e. bonum publicum (v. ad Cat. 38, 3,) iutum atque auctum; cf. Caes. B. C. I, 7, 6. *Hortatur milites, cuius imperatoris ductu novem annis rempublicam felicissime gesserint, ut eius existimationem — defendant.*

saevissumo] v. ad Iug. 45, 1.

CI. 1. *hostis*] Accus. plur. est.

2. *redeuntes alius ab alia parte*] His verbis per epexegesin indicatur, quo sensu *divorsi* intelligendum sit.

atque] i. e. *et quidem* (v. ad Iug. 92, 4.), quod h. l. vix differt ab *et tamen.*

3. *ex omnibus aeque aliquos*] i. e. *ex quattuor his partibus certe unam partem aequo modo,* quocunque Marius procederet, ab tergo hostibus venturam.

4. *ipse aliique*] i. e. *ipse cum*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

emissis corpora tegere, et si qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites proeliantur, Bocchus cum peditibus, quos 5
Volux filius eius adduxerat, neque in priore pugna, in itinere morati, affuerant, postremam Romanorum aciem invadunt. Tum Ma- 6
rius apud primos agebat, quod ibi Iugurtha cum plurumis erat. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit; ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat: nostros frustra pugnare; paulo ante Marium sua manu interfectum; simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna satis impigre occiso pedite nostro cruentaverat. Quod ubi milites 7
accepere, magis atrocitate rei quam fide nunti terrentur, simulque barbari animos tollere et in perculsos Romanos acrius incedere. Iamque paulum ab fuga aberant, quum Sulla, profligatis iis, quos 8
advorsum ierat, rediens ab latere Maurīs incurrit. Bocchus statim 9
avortitur. At Iugurtha, dum sustentare suos et prope iam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra sinistra omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit. Atque 10
interim Marius fugatis equitibus accurrit auxilio suis, quos pelli iam acceperat. Denique hostes iam undique fusi. Tum spectaculum 11
horribile in campis patentibus; sequi fugere, occidi capi; equi atque viri afflicti, ac multi volneribus acceptis neque fugere posse, neque quietem pati, niti modo, ac statim concidere; postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus et inter ea humus infecta sanguine.

parte equitum, quibus opponuntur *ceteri*, sc. *equites*, quos subsidii caussa relinquebat Sulla.

5. *neque — affuerant*] Ex praegresso *quos* accusativo supple *qui*; v. ad Iug. 14, 16.

in priore pugna] cf. c. 97—99.

6. *Numida*] i. e. Iugurtha.

clam — ad pedites convortit] Paulo brevius narrata res sic se habet: Relictâ *clam* primâ acie et pugnâ cum Mario Iugurtha, circumvectus vel dextrum vel sinistrum latus, *ad* postremos, ubi Mauri *pedites* erant, *se contulit*.

Latine — exclamat] Non quo suos confirmaret, sed ut Romanos, id audientes, perturbaret.

7. *quam fide nunti*] i. e. quam eo, quod ex hoste id audiebant, cuius fides iis suspecta esse debebat.

simulque] sc. territis Romanis.

8. *aberant*] sc. Romani.

10. *accurrit*] sc. a primis, ubi, dum haec apud postremos aguntur, curabat; cf. §. 6.

11. *niti*] sc. ad surgendum. — Totam hanc caedis et fugae descriptionem imitatus est Tacit. in Agric. c. 37.

CII. 1. *Post ea loci*] v. ad Iug. 63, 6.

3. *tamen placuit verba — facere*] sc. quamquam acciti erant, *ut ac-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

CII. Post ea loci consul haud dubie iam victor pervenit in
2 oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Bocco veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, duos quam fidissumos ad eum mitteret; velle de suo et de populi Romani commodo cum
3 iis disserere. Ille statim L. Sullam et A. Manlium ire iubet. Qui quamquam acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere, ut ingenium aut avorsum flecterent, aut cupidum pacis vehementius
4 accenderent. Itaque Sulla, cuius facundiae, non aetati a Manlio
5 concessum, pauca verba huiuscemodi locutus: Rex Bocche, magna nobis laetitia est, quum te talem virum di monuere, ut aliquando pacem quam bellum malles, neu te optumum cum pessumo omnium Iugurtha miscendo commaculares, simul nobis demeres acerbam necessitudinem pariter te errantem atque illum sceleratissumum per-
6 sequi. Ad hoc populo Romano iam a principio melius visum amicos quam servos quaerere, tutiusque rati volentibus quam coactis
7 imperitare. Tibi vero nulla opportunior nostra amicitia, primum, quod procul absumus, in quo offensae minumum, gratia par, ac si prope adessemus; dein quod parentis abunde habemus, amicorum
8 neque nobis neque cuiquam omnium satis fuit. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset! profecto ex populo Romano ad hoc tem-
9 pus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus es. Sed quoniam humanarum rerum Fortuna pleraque regit, cui scilicet placuisse et vim et gratiam nostram te experiri, nunc, quando per

ciperent regis verba, tamen placuit *iis*, contra quam praeceptum erat a Mario, *ut ipsi primi apud regem verba facerent*.

avorsum] i. e. si avorsum esset. *Avorsus* autem est *alienus*, *inimicus*, *infestus*; cf. Cic. Epp. ad Attic. XI, 5, extr. *Quintus aversissimo a me animo fuit*. Tacit. Ann. XIV, 26, 1. *Quos aversos animis cognoverat*.

4. *concessum*] v. ad Iug. 11, 4.

5. *quum — monuere*] *Quum* post verba *laudandi*, *gaudendi*, *gratulandi* cum indicativo iunctum sensu non differt a *quod*.

aliquando] v. ad Iug. 62, 1.

persequi] Pendet hic infinitivus ex coniunctis verbis *demeres necessitudinem*, i. e. *non amplius cogeres*; v. ad Cat. 4, 1.

6. *rati*] Per synesin refertur ad verba *populo Romano*, quasi fuisset *Romanis*; v. ad Cat. 10, 1.

7. *satis fuit*] *Fuit* non est aoristus, sed perfectum propria potestate positum; hoc enim dicit Sulla, *usque ad praesens tempus* nunquam satis amicorum Romanos *habuisse*.

9. *cui scilicet placuisse*] De acc. c. inf. ex *scilicet* apto cf. Hist. Fr. I, 56, 5. Iug. 113, 3.

quando] Hac particula *caussa* signi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

illam licet, festina atque, uti coepisti, perge. Multa atque oppor- 10
tuna habes, quo facilius errata officiis superes. Postremo hoc in 11
pectus tuum demitte, numquam populum Romanum beneficiis victum
esse; nam bello quid valeat, tute scis. Ad ea Bocchus placide et 12
benigne; simul pauca pro delicto suo verba facit: se non hostili
animo, sed ob regnum tutandum arma cepisse; nam Numidiae par- 13
tem, unde vi Iugurtham expulerit, iure belli suam factam; eam
vastari a Mario pati nequivisse; praeterea missis antea Romam le-
gatis, repulsum ab amicitia; ceterum vetera omittere, ac tum, si 14
per Marium liceret, legatos ad senatum missurum. Dein, copia 15
facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Iugurtha, cognita le-
gatione Sullae et Manli, metuens id, quod parabatur, donis cor-
ruperat.

CIII. Marius interea, exercitu in hibernaculis composito, cum
expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola
obsessum turrim regiam, quo Iugurtha perfugas omnis praesidium
imposuerat. Tum rursus Bocchus, seu reputando, quae sibi duo- 2
bus proeliis venerant, seu admonitus ab aliis amicis, quos incor-
ruptos Iugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque
delegit, quorum et fides cognita et ingenia validissuma erant. Eos 3
ad Marium, ac dein, si placeat, Romam legatos ire iubet, agenda-

ficatur, non generalis illa quidem, sed in eo posita, quod aliquid certo quodam tempore factum est; cf. Iug. 110, 7. Hist. Fr. I, 56, 16. III, 1, 6.

10. *quo facilius*] Indefinita ac generali relatione *quo* ad praegressa verba *multa atque opportuna* refertur, ut, quae antea quasi in suas partes diducta significabantur, iam uno genere comprehensa cogitentur; cf. Hist. Fr. III, 81, 15. *Ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei — maiores vostri paravere.*

12. *Ad ea Bocchus*] sc. respondet.

pro delicto] i. e. ad delictum excusandum.

13. *unde — expulerit*] Quam id mentitus sit Bocchus, intelligitur ex c. 97, 2—3.

repulsum ab amicitia] cf. Iug. 80, 4—5.

15. *copia facta*] sc. mittendorum legatorum.

CIII. 1. *in hibernaculis*] i. e. in castris, ubi hibernarent. Ea in propinquitate urbium maritimarum fuisse intelligitur ex c. 100, 1.

sola] i. e. deserta; cf. Hist. Fr. I, 124.

perfugas omnis] i. e. *tantummodo perf.* (Germ. *lauter* Ueberl.); cf. Cat. 59, 3.

2. *rursus*] i. e. contra quam paulo ante fecerat, ut pacis consilium abiiceret; cf. c. 102, 15.

venerant] v. ad Iug. 4, 4. — De reflexivo v. ad Iug. 61, 1.

4. *pro praetore*] v. ad Iug. 36, 4.

5. *habuit*] Per zeugma ad verba

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

rum rerum et quocumque modo belli componendi licentiam ipsis
4 permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur, dein in itinere a Gaetulis latronibus circumventi spoliatique, pavidi, sine decore ad Sullam profugiunt, quem consul in expeditionem profi-
5 ciscens pro praetore reliquerat. Eos ille non pro vanis hostibus, uti meriti erant, sed accurate ac liberaliter habuit; qua re barbari et famam Romanorum avaritiae falsam, et Sullam ob munificentiam
6 in sese amicum rati. Nam etiamtum largitio multis ignota erat; munificus nemo putabatur, nisi pariter volens, dona omnia in be-
7 nignitate habebantur. Igitur quaestori mandata Bocchi patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi assit; copias, fidem, magnitudinem regis sui et alia, quae aut utilia aut benevolentiae esse credebant, oratione extollunt; dein, Sulla omnia pollicito, docti, quo modo apud Marium, item apud senatum verba facerent, circiter dies quadraginta ibidem opperiuntur.

CIV. Marius, postquam confecto negotio, quo intenderat, Cirtam redit, de adventu legatorum certior factus, illosque et Sullam ab Utica venire iubet, item L. Bellienum praetorem, praeterea omnis undique senatorii ordinis, quibuscum mandata Bocchi cogno-
2 scit. Legatis potestas eundi Romam fit ab consule; interea inducias postulabantur. Ea Sullae et plerisque placuere; pauci ferocius de-

pro vanis hostibus relatum valet *putavit*, cum adverbiis iunctum est *tractavit*.

ut meriti erant] sc. propter miserabilem habitum suum, haud quaquam legatos regios indicantem, neque verbis suis fidem facientem.

munificentiam] v. ad Iug. 7, 7.

6. *munificus — nisi pariter volens*] i. e. qui munificus putabatur, idem pariter etiam volens putabatur. — *Volens* praegnanti sensu est *benevolus*; cf. Iug. 73, 3. 14, 10.

in benignitate] i. e. non ad commodum aliquod obtinendum, sed benevolentiae significandae caussa dari putabantur.

7. *utilia*] sc. Sullae, vel Romanis.

benevolentiae esse] i. e. quae benevolentiae (sc. Bocchi in Sullam) signa esse credebant, sive: quae Bocchi benevolentiam declarare videbantur.

dies quadraginta — opperiuntur] sc. donec Marius ex expeditione (cf. §. 1. 4.) rediret.

CIV. 1. *quo intenderat*] *Quo* adverbium est pro *ad quod*; v. ad Cat. 3, 3. coll. Iug. 64, 1. 74, 1. 102, 1.

ab Utica] Ibi enim Sulla agebat, hibernis praefectus (cf. c. 103, 4.), quae in vicinitate *urbium maritumarum* (cf. c. 100, 1. 103, 1.) habebantur.

praetorem] sc. Africae provinciae, qui Uticae sedem habebat.

2. *potestas eundi Romam*] cf. c. 103, 3.

postulabantur] sc. Mauri postulabant a Mario.

ferocius decernunt] i. e. inducias

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

cernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quae fluxae et mobiles semper in advorsa mutantur. Ceterum Mauri, impetratis omnibus, 3
tres Romam profecti cum Cn. Octavio Rufo, qui quaestor stipendium in Africam portaverat, duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus quum cetera, tum maxume benignitatem et studium Sullae 4
bens accepit. Romae legatis eius, postquam errasse regem et
Iugurthae scelere lapsum deprecati sunt, amicitiam et foedus petentibus hoc modo respondetur: Senatus et populus Romanus benefici 5
et iniuriae memor esse solet. Ceterum Bocchum quoniam poenitet, delicta gratiae facit; foedus et amicitia dabuntur, quum meruerit.

CV. Quis rebus cognitis Bocchus per litteras a Mario petivit, uti Sullam ad se mitteret, cuius arbitratu de communibus negotiis consuleretur. Is missus cum praesidio equitum atque peditum, item 2
funditorum Balearium; praeterea iere sagittarii et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi caussa, neque his secus atque aliis armis advorsum tela hostium, quod ea levia sunt, muniti. Sed in itinere quinto denique die Volux, filius Bocchi, repente in 3
campis patentibus cum mile non amplius equitibus sese ostendit, qui temere et effuse euntes Sullae aliisque omnibus et numerum ampliorem vero et hostilem metum efficiebant. Igitur se quisque 4
expedire, arma atque tela tentare, intendere; timor aliquantus, sed spes amplior, quippe victoribus, et advorsum eos, quos saepe vi-

negandas, ac Bocchum summa vi bello persequendum censent.

3. *Mauri — tres — duo*] v. ad Cat. 2, 1.

4. *deprecati sunt*] i. e. *excusandi et invidiam deprecandi caussa dixerunt.*

gratiae facit] i. e. condonat, ignoscit; *gratia* enim pro *venia* dictum, ut Cat. 52, 8. Hist. Fr. III, 84. Structurae ratio eadem est, ut in dictione *lucri facere aliquid.*

CV. 1. *arbitratu*] *Arbitratus* h. l. est libera rerum gerendarum potestas, nullis finibus circumscripta aut alius voluntate impedita (Germ. *unbeschränkte Vollmacht*).

2. *iere*] sc. cum eo.

cum velitaribus armis] i. e. qualia gestabantur a *velitibus*, parma tripedalis, galea, septem hastae et gladius hispaniensis.

neque] i. e. *neque tamen;* v. ad Iug. 31, 27.

3. *denique*] i. e. non prius, quam; *demum;* cf. Iug. 101, 1.

effuse] v. ad Iug. 98, 5.

efficiebant] Ad *metum* relatum proprium sensum retinet, ad verba *numerum ampliorem vero* per zeugma valet *praebebant, offerebant, obiiciebant.*

4. *se expedire*] i. e. ad pugnandum se accingere, quod fiebat omnibus, quae motum atque impetum impedirent, removendis; v. ad Iug. 97, 4.

intendere] i. e. ad ineundum certamen parata habere; cf. Liv. XLIV,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

5 cerant. Interim equites exploratum praemissi rem, ut erat, quietam nuntiant.

CVI. Volux adveniens quaestorem appellat, dicitque se a patre Boccho obviam illis simul et praesidio missum. Deinde eum 2 et proxumum diem sine metu coniuncti eunt. Post, ubi castra locata et diei vesper erat, repente Maurus incerto voltu, pavens ad Sullam accurrit, dicitque sibi ex speculatoribus cognitum, Iugurtham haud procul abesse; simul, uti noctu clam secum profugeret, 3 rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat, se totiens fusum Numidam pertimescere; virtuti suorum satis credere; etiamsi certa pestis adesset, mansurum potius, quam proditis, quos ducebat, turpi fuga incertae ac forsitan post paulo morbo interiturae vitae 4 parceret. Ceterum ab eodem monitus, uti noctu proficiscerentur, consilium approbat, ac statim milites coenatos esse, in castris ignis quam creberrumos fieri, dein prima vigilia silentio egredi iubet. 5 Iamque nocturno itinere fessis omnibus, Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur, quum equites Mauri nuntiant, Iugurtham circiter 6 duum milium intervallo ante eos consedisse. Quod postquam auditum est, tum vero ingens metus nostros invadit; credere se proditos a Voluce et insidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

41, 6. *Phalangis confertae et intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt.*

et] i. e. *et quidem;* v. ad Iug. 92, 4.

adversum eos] Haec verba vim secundariae enunciationis habent, pro eo, quod est: *qui adversum eos starent.* Germanice eadem brevitate: *und zwar denen gegenüber*; cf. Hist. Fr. I, 49, 1.

5. *ut erat*] Ut Latini carere possint adverbio, quod rei veritatem asserat, quale est Germanicum *wirklich*, efficitur vi propria *indicativi;* cf. Cic. de Rep. III, 3. *Sint nobis isti magni homines, ut sunt.*

CVI. 1. *adveniens*] v. ad Iug. 10, 2.

appellat] v. ad Cat. 17, 1.

illis] v. ad Iug. 8, 2.

3. *mansurum potius — quam parceret*] De structura cf. Liv. XXIV, 3, 12. *Morituros se affirmabant citius, quam in alienos ritus, mores legesque verterentur.* id. XL, 4, 7. *Se sua manu potius omnes interfecturam, quam in potestatem Philippi venirent.*

quos ducebat] v. ad Cat. 14, 7.

5. *pariter cum*] v. ad Iug. 68, 2.

duum milium] v. ad Iug. 48, 3.

6. *tum vero*] v. ad Cat. 51, 40.

apud illum etc.] Loci notione ad personam translata, res, quae ad personam pertinet, interdum *apud aliquem esse* dicitur, quod fere idem est atque *in aliquo* vel *alicui esse.* Quare sensus est: tantum scelus non

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

CVII. At Sulla, quamquam eadem existumabat, tamen ab iniuria Maurum prohibet; suos hortatur, uti fortem animum gererent; saepe ante paucis strenuis advorsum multitudinem bene pugnatum; quanto sibi in proelio minus pepercissent, tanto tutiores fore; nec quemquam decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hostis vortere. Deinde Volucem, quoniam hostilia faceret, Iovem maxumum obtestatus, ut sceleris atque perfidiae Bocchi testis adesset, ex castris abire iubet. Ille lacrumans orare, ne ea crederet; nihil dolo factum, ac magis calliditate Iugurthae, cui videlicet speculanti iter suum cognitum esset; ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et spes opesque eius ex patre suo penderent, credere, illum nihil palam ausurum, quum ipse filius testis adesset; quare optumum factu videri per media eius castra palam transire; sese, vel praemissis vel ibidem relictis Mauris, solum cum Sulla iturum. Ea res, ut in tali negotio, probata; ac statim profecti, quia de improviso acciderant, dubio atque haesitante Iugurtha, incolumes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum est.

CVIII. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, mul-

ita negligendum, ut *illi* impune esset; cf. Iug. 24, 10. *Si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissae.*

CVII. 1. *prohibet*] i. e. *defendit, tutum praestat:* cf. Caes. B. G. V, 21, 1. *Trinobantibus ab omni militum iniuria prohibitis.* Cic. de imp. Cn. Pomp. 7, 19. *A quo periculo prohibete rempublicam.*

qui manus armaverit] *Manus armare* quum sit *arma capere* (cf. Hist. Fr. I, 51, 20. *Qui rapinas instaurare cupiunt et rursus advorsus deos penatis manus armare*), — *manus armavisse* significat *armis instructum esse, arma manibus gerere.*

nudum] i. e. armis non tectum; cf. Fr. Inc. 25.

caecum corpus] i. e. tergum.

ad hostis vortere] i. e. hostibus praebere, hostium impetui exponere.

3. *ac magis*] Ubi neganti sententiae subiicitur aiens, qua praecedens illustratur, pro adversativa particula interdum ponitur copulativa; cf. Cic. p. Rosc. Am. 4, 10. *Animo non deficiam, et id, quod suscepi — perferam.* Ceterum supple: *id factum esse.*

videlicet] Coniungendum cum *speculanti.*

6. *ut in tali negotio*] *Ut* particulae ea vis est, ut rei alicuius praedicatum comparatâ alius rei natura et condicione, cogitatione tantum concipienda, definiat; quae ratio ubi aiens est, exaequantur duo praedicata, ubi est negans, restringitur alterum praedicatum; illud vernacula dicitur *als*, hoc *für*. Quare sensus est: ea res (per se non probanda) *pro consilii inopia, qua in tam*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tum et familiariter agebat, praemissus ab Iugurtha, postquam Sullam accitum audierat, orator et subdole speculatum Bocchi consilia; praeterea Dabar, Massugradae filius, ex gente Masinissae, ceterum materno genere impar (nam pater eius ex concubina ortus
2 erat), Mauro ob ingeni multa bona carus acceptusque. Quem Bocchus, fidum esse Romanis multis ante tempestatibus expertus, illico ad Sullam nuntiatum mittit, paratum sese facere, quae populus Romanus vellet; colloquio diem, locum, tempus ipse delegeret; consulta sese omnia cum illo integra habere; neu Iugurthae legatum pertimesceret; ..... quo res communis licentius gereretur; nam ab
3 insidiis eius aliter caveri nequivisse. Sed ego comperior, Bocchum magis Punica fide, quam ob ea, quae praedicabat, simul Romanos et Numidam spe pacis attinuisse, multumque cum animo suo volvere solitum, Iugurtham Romanis, an illi Sullam traderet; lubidinem advorsum nos, metum pro nobis suasisse.

CIX. Igitur Sulla respondit, pauca coram Aspare locuturum, cetera occulte, aut nullo aut quam paucissumis praesentibus; simul
2 edocet, quae sibi responderentur. Postquam, sicuti voluerat, congressi, dicit, se missum a consule venisse quaesitum ab eo, pacem
3 an bellum agitaturus foret. Tum rex, uti praeceptum fuerat, post

desperato negotio laborabatur, probata.

acciderant] i. e. in Iugurtham inciderant; cf. Iug. 88, 6.

CVIII. 1. *orator*] i. e. legatus, qui cum Boccho ageret.

2. *tempus*] h. l. est *hora diei*.

consulta — integra habere] i. e. nihil eorum, quae antea cum Sulla consuluerit (sc. de pace ineunda), a se mutatum esse, neque ipsum a sententia sua per Iugurtham demotum.

quo res communis etc.] Excidit ante haec in omnibus codd. integer versus, cuius haec fere sententia fuit: *velle se deinde secreto cum ipso agere;* cf. c. 109, 1. 4.

licentius] sc. quam praesente legato.

insidiis] i. e. dolis ac fallaciis ad negotium disturbandum atque impediendum.

aliter] sc. nisi consilio bis habito, quorum priori interesset Aspar, posteriori non interesset.

nequivisse] Perfecto respicitur ad institutum iam et captum a Boccho consilium de cavendo.

3. *ob ea, quae praedicabat*] i. e. Sullae et Romanorum studio, quod prae se ferebat.

attinuisse] i. e. quasi vinctos tenuisse; cf. Hist. Fr. I, 56, 16. *Neu nos in sollicitudine attineas.* — *Punica* autem *fides* eo constabat, quod, quum Romanis persuasisset, simulato tantum Numidae se pacis spem fecisse, nihilominus animus magis pro Iugurtha erat.

CIX. 1. *locuturum*] Supple: *se;* v. ad Cat. 31, 7.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

diem decumum redire iubet; ac nihil etiamnunc decrevisse, sed illo die responsurum. Dein ambo in sua castra digressi. Sed ubi ple- 4
rumque noctis processit, Sulla a Boccho occulte accersitur; ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur, praeterea Dabar internuntius, sanctus vir et ex sententia ambobus. Ac statim sic rex incipit:

CX. Numquam ego ratus sum fore, uti rex maxumus in hac terra et omnium, quos novi, privato homini gratiam deberem. Et 2
mehercule, Sulla, ante te cognitum multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum, quod ceteri do- 3
lere solent, ego laetor; fuerit mihi eguisse aliquando pretium amicitiae tuae, qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo 4
experiri licet; arma, viros, pecuniam, postremo quicquid animo lubet, sume, utere, et quoad vives, numquam tibi redditam gratiam putaveris; semper apud me integra erit; denique nihil, me sciente, frustra voles. Nam, ut ego existumo, regem armis quam munifi- 5
centia vinci minus flagitiosum est. Ceterum de republica vostra, 6
cuius curator huc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo Romano neque feci, neque factum umquam volui; finis meos advorsum armatos armis tutatus sum. Id omitto, quando vobis ita pla- 7
cet; gerite, uti voltis, cum Iugurtha bellum. Ego flumen Mulu- 8

3. *etiamnunc*] Ita dixit Sallustius, non *etiamtum*, ut poscebat orationis obliquae ratio (v. ad Iug. 81, 1.), quo evitaret ambiguitatem, quia praecedit *post diem decumum*. Simili de caussa *nunc* positum Iug. 111, 1. *Amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram.*

4. *sanctus vir*] v. ad Iug. 85, 40.

ex sententia] i. e. probatus.

CX. 1. *privato homini*] i. e. homini, qui non rex esset.

2. *ultro*] i. e. non rogatus; cf. Iug. 43, 4.

3. *fuerit mihi eguisse aliquando* etc.] Enunciati huius subiectum est *eguisse aliquando*, cui praedicatum subiicitur *fuerit mihi pretium am. tuae.* — *Pretium* quum sit id, cuius ope aliquid paratur, sensus est: *eo ipso, quod aliquando ope egui, amicitiam tuam mihi paraverim.* Ἀσυνδέτως posita sententia caussam affert praecedentium. De concessiva coniunctivi potestate cf. Iug. 31, 8. Cat. 52, 12.

4. *Id adeo*] *Adeo* vim pronominis intendit; cf. Cat. 37, 2. et 11. Iug. 65, 3. 111, 1., quibus omnibus locis *id adeo* fere est *et id quidem.*

integra erit] *Gratia integra* est, quae nulla ex parte reddita est. Haec igitur Bocchi mens est: quotcunque officia tibi praestitero, tamen sic accipe, quasi nulla praestiterim, ut nova semper postulare possis.

5. *munificentia*] v. ad Iug. 7, 7.

6. *finis — tutatus sum*] Eadem Bocchus hic refert, quae c. 102, 3., ubi v.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

cham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar, neque id intrare Iugurtham sinam. Praeterea si quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis.

CXI. Ad ea Sulla pro se breviter et modice, de pace et de communibus rebus multis disserit. Denique regi patefecit, quod polliceatur, senatum et populum Romanum, quoniam amplius armis valuissent, non in gratiam habituros; faciundum aliquid, quod illorum magis quam sua retulisse videretur; id adeo in promptu esse, quoniam Iugurthae copiam haberet; quem si Romanis tradidisset, fore, ut illi plurumum deberetur; amicitiam, foedus, Numidiae par-
2 tem, quam nunc peteret, tunc ultro adventuram. Rex primo negitare; affinitatem, cognationem, praeterea foedus intervenisse; ad hoc metuere, ne, fluxa fide usus, popularium animos avorteret, quis
3 et Iugurtha carus, et Romani invisi erant. Denique saepius fatiga-
4 tus lenitur, et ex voluntate Sullae omnia se facturum promittit. Ceterum ad simulandam pacem, cuius Numida, defessus bello, avidissumus, quae utilia visa, constituunt. Ita composito dolo digrediuntur.

CXII. At rex postero die Asparem, Iugurthae legatum, appellat, dicitque sibi per Dabarem ex Sulla cognitum, posse condicionibus bellum poni; quamobrem regis sui sententiam exquireret.

7. *Id omitto*] i. e. omisso ad fines meos tutandos certamine etiam contra vos arma ferre desinam.

8. *flumen — non egrediar* etc.] i. e. *fines, factos flumine* Mulucha — non *egrediar*.

CXI. *pro se*] i. e. quae ad ipsum pertinebant.

patefecit, quod polliceatur] v. ad Cat. 32, 2.

in gratiam habiturus] Quoniam *in* praepositionis cum accus. ea vis est, ut effectus, consilium, finis significetur (v. ad Cat. 50, 2.), verborum sensus est: Romanos id non pro eo habituros, *quod ad gratiam ineundam spectet.*

faciundum] sc. Boccho: unde *illorum* de Romanis, *sua* de rege accipiendum.

nunc] v. ad Iug. 109, 3.

2. *intervenisse*] i. e. *inter ipsos factum esse*, ex qua notione ad duo priora substantiva per zeugma audiendum est *inter sese esse*. — *Affinitas* quae fuerit, patet ex c. 80, 6.; de *cognatione* non constat.

metuere] Est infinitivus historicus.

4. *ad simulandam pacem*] i. e. ad fidem Iugurthae faciendam, pacem conventuram esse.

CXII. 1. *condicionibus*] i. e. pactione sive transactione, quum res non victoris arbitrio, sed ab utraque parte postulando aeque ac concedendo conficitur; cf. Vell. II, 3, 3. *Discordiae civium, antea condicionibus sanari solitae, ferro diiudicatae.*

poni] i. e. finiri, desini; cf. Hist. Fr. I, 11. Iug. 83, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ille laetus in castra Iugurthae venit; dein, ab illo cuncta edoctus, 2
properato itinere post diem octavum redit ad Bocchum, et ei nuntiat, Iugurtham cupere omnia, quae imperarentur, facere, sed Mario parum fidere; saepe antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam frustra fuisse; ceterum Bocchus, si ambobus consulum 3
et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus quasi de pace in colloquium veniretur, ibique sibi Sullam traderet; quum talem virum in potestatem habuisset, tum fore, uti iussu senatus atque populi Romani foedus fieret; neque hominem nobilem, non sua ignavia, sed ob rempublicam, in hostium potestate relictum iri.

CXIII. Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit; ceterum dolo an vere cunctatus, parum comperimus. Sed plerumque regiae voluntates, ut vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi advorsae. Postea tempore et loco constituto, in colloquium uti de 2
pace veniretur, Bocchus Sullam modo, modo Iugurthae legatum appellare, benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter laeti ac spei bonae pleni esse. Sed nocte ea, quae proxuma fuit ante 3
diem colloquio decretum, Maurus adhibitis amicis, ac statim immu-

2. *quae imperarentur facere*] v. ad Iug. 62, 3.

pacem conventam] Insolentius partic. perf. pass. intransitivo sensu positum pro solito *pacem quae convenisset*, uti est Iug. 38, 10.

in potestatem habuisset] Structura verborum inde repetenda, quod duae cogitationes, *in potestatem accipere* et *in potestate habere*, una dicendi forma comprehenduntur. Similiter dicitur *in custodiam habere* (Tac. Hist. I, 87, 1.), *in potestatem esse* (Cic. Div. in Caec. 20, 66.), *in mentem esse* (Plaut. Amphitr. I, 1, 25.), alia.

3. *neque* etc.] Quum his verbis caussa adiiciatur, *neque* h. l. est *neque enim;* cf. Hist. Fr. I, 49, 24.

non sua ignavia, sed ob rempublicam] Per anacoluthiam quandam Sallustius, quae verba secundarium enunciatum efficere debebant, imperfecta cogitatione cum ipso primario enunciato conflavit. Sic enim sententiae ratio procedit: neque enim hominem nobilem, *qui non sua ignavia, sed ob rempublicam in hostium potestatem incidisset, ibi* relictum iri.

ob rempublicam] i. e. obeundis reipublicae negotiis.

CXIII. 1. *promisit*] v. ad Iug. 47, 4.

dolo an vere cunctatus] Qui *dolo* cunctatur, constitutum habet atque scit, quid sequatur, sed nescire se simulat; qui *vere* cunctatur, fluctuat adhuc, atque nescit, quid agat. — De *sit* coniunctivo ad *cunctatus* supplendo v. ad Iug. 88, 6.

regiae voluntates] Adiectivum loco genitivi attributivi est; cf. Iug. 41, 2. *Metus hostilis.* 105, 3. Hist. Fr. I, 12. *Remoto metu Punico.* — *Voluntates* sunt *studia et cupiditates.* Ceterum Sall. his verbis significat sibi pro-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tata voluntate remotis, dicitur secum ipse multa agitavisse, voltu corporis pariter atque animo varius; quae scilicet, tacente ipso, 4 occulta pectoris patefecisse. Tamen postremo Sullam accersiri 5 iubet, et ex eius sententia Numidae insidias tendit. Deinde, ubi dies advenit et ei nuntiatum est, Iugurtham haud procul abesse, cum paucis amicis et quaestore nostro quasi obvius honoris caussa 6 procedit in tumulum facilumum visu insidiantibus. Eodem Numida cum plerisque necessariis suis inermis, uti dictum erat, accedit, ac 7 statim, signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati; Iugurtha Sullae vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus est.

CXIV. Per idem tempus advorsum Gallos ab ducibus nostris 2 Q. Caepione et Cn. Manlio male pugnatum; quo metu Italia omnis contremuerat. Ibique et inde usque ad nostram memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suae prona esse, cum Gallis pro 3 salute, non pro gloria certare. Sed postquam bellum in Numidia confectum et Iugurtham Romam vinctum adduci nuntiatum est, Marius consul absens factus, et ei decreta provincia Gallia; isque

babilius videri, Bocchum *vere* cunctatum esse.

2. *idem ambobus*] sc. *Sullae*, se ei traditurum Iugurtham, *legato* Sullam.

3. *voltu*] v. ad Iug. 34, 1. *Corporis* vox non mutat sensum, tantummodo oppositionis caussa addita.

6. *inermis*] Ablativus est; cf. Iug. 107, 1.

Iugurtha — traditur] Id factum a. 106. a. Chr. n.

CXIV. 1. *Per idem tempus* etc.] Clades illa accidit a. 105. a. Chr., quo tempore Marius Iugurtha capto adhuc in Africa versabatur. — De vi *per* praepositionis v. ad Iug. 63, 1.

Gallos] Communi illorum temporum errore Sallustius *Gallos* dicit, qui *Germani* fuerunt; cf. Caes. B. G. I, 33, 4. I, 40, 5. Vell. II, 8, 3. II, 12, 2.

2. *quo metu*] v. ad Cat. 8, 5.

Ibique] i. e. et tum.

sic habuere] i. e. in ea fuere sententia; cf. Cato de R. R. praef. *Maiores nostri sic habuerunt.* Cic. Epp. ad Famm. XVI, 4, 8. *Sic habeto, mi Tiro, neminem esse, qui me amet, quin idem te amet.*

pro salute — certare] cf. Cic. de Off. I, 12, 38. *Cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret.* — *Salus* igitur valet *die Existenz.* — De omisso *se* pronomine v. ad Cat. 31, 7.

3. *consul absens factus*] Id valde insolitum fuit, et insignis favoris ac fiduciae in Mario positae documentum; absentis enim in comitiis ratio non habebatur. cf. Caes. B. C. I, 9, 2. Sueton. Caes. 18. 26. Flor. I, 113, 6.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Kalendis Ianuariis magna gloria consul triumphavit. Ea tempestate 4 spes atque opes civitatis in illo sitae.

Kalendis Ianuariis,] anni 104. a. Chr. n.

4. *Ea tempestate* etc.] His verbis Sallustius significat, Marium, qui *tum* reipublicae saluti fuerit, *postea*, quum ambitione praeceps datus esset (cf. Iug. 63, 6.), gravissimarum illi cladium auctorem fuisse. Eam rem in Historiarum prooemio uberius persecutus est.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI

HISTORIARUM

FRAGMENTA.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI
HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER I.

ARGUMENTUM.

CAP. I.

Exponitur de Historiarum scribendi consilio, ac simul de prioribus historicis agitur. Fr. 1—7.

CAP. II.

Breviter supra repetitur, quibus contentionibus de libertate et de dominatione respublica Romana agitata fuerit. Fr. 8—15.

CAP. III.

Explicantur ea, quae Lepidi turbas tamquam caussae praecesserunt. — Bellum sociale. — Bellum civile inter Marium et Sullam. — Sullae dictatura. — Civitas vi et proscriptionibus lacerata. — Reliquiae Marianarum partium in Sicilia et Africa per Pompeium confectae. Fr. 16—47. [Anni 91—78. a. Chr. n.]

CAP. IV.

Lepidi turbae et bellum civile in Italia. Fr. 48—60. [Anni 78. 77. a. Chr. n.]

CAP. V.

Bellum Sertorianum. — Sertorii priora tempora. — Sertorius in Mauretania. — Cum Lusitanis coniunctus bellum movet. — Eius pugnae cum variis ducibus Romanis et cum Metello usque ad Pompeii in Hispaniam adventum. Fr. 61—83. [Anni 83—77. a. Chr. n.]

CAP. VI.

Bellum contra piratas a P. Servilio gestum. Fr. 84—87. [Anni 78. 77. a. Chr. n.]

CAP. VII.

Bellum in Macedonia et Thracia App. Claudio Pulchro duce gestum. Fr. 88—89. [Anni 78. 77. 76. a. Chr. n.]

CAP. VIII.

Fragmenta incertioris sententiae. Fr. 90—126.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER I.

Cap. I.

Exponitur de Historiarum scribendi consilio, ac simul de prioribus historicis agitur.

1. Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo coss., ac deinde militiae et domi gestas composui.

2. Cato Romani generis disertissumus paucis absolvit.

3. In quis longissumo aevo plura de bonis falso in deterius composuit.

4. Fannio veritatem [*tradidit Sallustius*].

5. Recens scripsit.

6. Nos in tanta doctissumorum hominum copia.

7. Neque me divorsa pars in civilibus armis movit a vero.

Cap. II.

Breviter supra repetitur, quibus contentionibus de libertate et de dominatione respublica Romana agitata fuerit.

8. Nam a primordio urbis ad bellum Persi Macedonicum.

Fr. 1.] Ti. Donat. ad Virg. Aen. I, 1. Rufin. de compos. et metr. orat. p. 192. Orell. Prisc. XV, 2, 6. p. 616. XV, 3, 17. p. 623. Kr. Verbis ipsum continetur Historiarum initium.

Fr. 2.] Victorin. in Cic. Rhetor. p. 57, 30. Orell. Verba legebantur in historicorum priorum censura a Sallustio instituta.

Fr. 3.] Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 27. Loqui auctor videtur de Catonis Originibus, quibus ille de bonis saepe iniquius iudicaverat.

Fr. 4.] Victor. in Cic. Rhetor. p. 57, 34. Orell. v. ad Fr. 2.

Fr. 5.] Charis. II, 14, 198. p. 129. Lind. (p. 192. Putsch.). De scriptore agitur propterea improbando, quod recens scripsit; qui fuisse videtur Sisenna.

Fr. 6.] Serv. ad Virg. Aen. II, 89. et IV, 213. Auctor loquitur de suis rationibus, quas in Historiis ineundas putaverit.

Fr. 7.] Arusian. p. 248. Lindem. Sallustius profitetur, veritatis studium suum, *ea, quod populares partes sequatur*, non imminutum.

Fr. 8.] Prisc. XVII, 21, 161. p. 85. Kr. XIV, 2, 11. p. 589. Serv. ad Virg. Aen. I, 30. VIII, 383. Probus II, 1, 46. p. 126. Lind. (p. 1468. Putsch.) Sacerd. art. gramm. II, 46. p. 56. Endlich. Charis. I, 17, 28. p. 37. Lind. (p. 52. P.). Auctor expositionem aliquam de universo civitatis statu his verbis exorsus videtur.

Fr. 9.] Prisc. V, 4, 25. p. 183. Kr. Serv. ad Virg. Aen. IV, 245.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

9. Nobis primae dissensiones vitio humani ingeni evenere, quod inquies atque indomitum semper in certamine libertatis aut gloriae aut dominationis agit.

10. Res Romana plurumum imperio valuit Ser. Sulpicio et M. Marcello consulibus, omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum atque Oceanum, nisi qua a paludibus invia fuit, perdomita. Optumis autem moribus et maxuma concordia egit respublica inter secundum et postremum bellum Carthaginiense.

11. At discordia et avaritia atque ambitio et cetera secundis rebus oriri sueta mala post Carthaginis exscidium maxume aucta sunt. Nam iniuriae validiorum et ob eas discessio plebis a patribus aliaeque dissensiones domi fuere iam inde a principio, neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum. Dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere et, ceteris expertibus, soli in imperio agere. Quibus agitata saevitiis et maxume fenoris onere oppressa plebes quum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit, tumque tribunos plebis et alia sibi iura paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum.

Caussae et origo bellorum civilium explicantur. — De *inquies* voce cf. Fr. I, 56; 11. et 16. II, 45. IV, 61. — *Indomitum* pro adiectivo *indomabile* est; v. ad Iug. 2, 3.

Fr. 10.] Victorin. ad Cic. Rhetor. p. 5. Orell. Non. II, 180. p. 92, 8. Merc. Serv. ad Virg. Aen. VI, 530. Augustin. de C. D. II, 18. III, 21. Verba huius et trium sequentium Fragmm. fuerunt ea exordii parte, qua auctor de reipublicae statu in deterius mutato egit. — Serv. Sulpicius et M. Marcellus coss. fuere a. 51. a. Chr. n. — *Mare nostrum*, i. e. mediterraneum; v. ad Iug. 17, 4. — *A paludibus invia*, i. e. a parte paludum; cf. Iug. 31, 2. 48, 3. — De re ipsa v. Hirt. B. G. VIII, 7.

Fr. 11.] Augustin. C. D. II, 18. III, 16. V, 12. Donat. ad Ter. Andr. I, 1, 9. Arus. p. 236. Lind. Serv. ad Virg. Georg. IV, 238. ad Aen. VIII, 479. — Verba *neque amplius quam* etc. hunc sensum habent: neque *diutius quam usque ad illud tempus, quo*, post reges exactos, metus — positum est. — *Servili imperio* i. e. imperio, quale in servos est. — *Exercere*, i. e. vexare. — *Consulere*, i. e. constituere, decernere; cf. Liv. XXX, 43, 13.

montem sacrum atque Aventinum] Utrumque factum in prima secessione a. 494. a. Chr. n. facta, quum plebs primo montem sacrum, ac deinde paucis diebus post Aventinum occuparet; cf. Cic. de Rep. II, 33, 58.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

12. Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurumae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes affectabant; bonique et mali cives appellati non ob merita in rempublicam, omnibus pariter corruptis; sed uti quisque locupletissumus et iniuria validior, quia praesentia defendebat, pro bono ducebatur.

13. Ex quo tempore maiorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitati; adeo iuventus luxu atque avaritia corrupta est, uti merito dicatur, genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati.

14. Omnium partium decus in mercedem corruptum erat.

15. A Ti. Graccho seditiones graves coepere.

Cap. III.

Explicantur ea, quae Lepidi turbas tamquam caussae praecesserunt. — Bellum sociale. — Bellum civile inter Marium et Sullam. — Sullae

Fr. 12.] Gell. IX, 12, 15. Augustin. C. D. III, 17. *Sub honesto patrum* etc., i. e. honestam patrum aut plebis caussam praetexentes; cf. Cat. 38, 3. Thucyd. III, 82. — *Praesentia qui defendunt*, oppositi *novarum rerum cupidis*, iidem sunt, quos hodie *Conservative* appellant. *Pro bono;* cf. Iug. 31, 13.

Fr. 13.] Augustin. C. D. II, 18. II, 22. — Ad rem ipsam cf. Cat. 11—13.

Fr. 14.] Arusian. p. 240. Lind. Sensus est: omnes partes ita corruptae erant, ut abiecto decore solam mercedem spectarent. cf. Cat. 10, 3. Iug. 31, 12. 85, 5. Hist. Fr. III, 81, 5.

Fr. 15.] Augustin. C. D. II, 21. Gracchorum casus tetigit Sallustius, quum de initiis turbarum domesticarum loquebatur.

Fr. 16.] Serv. ad Virg. Georg. II, 209. ad Aen. II, 635. Corn. Fronto de Oratt. II, 6. p. 271. ed. Mediol. 1815. Verba legebantur eo loco, ubi Sall. de caussis atque ortu belli Italici sive socialis exposuit. — *Antiquitatis* vocabulum insolenter ita positum est, ut sententia sit: tantopere maiores *respexerunt* atque curarunt gentem Italicam.

Fr. 17.] Cledon. p. 1934. Putsch. Pertinet Fragmentum ad explicationem caussarum belli socialis. *Lege Licinia de regundis in sua civitate sociis*, quae plerumque *lex Licinia et Mucia* dicitur, imprimis commotum fuisse bellum sociale, testatur Asconius ad Cic. p. Corn. Fr. 10. p. 67. Orell. — *Citra Padum omnes* intelligendi sunt *socii Italici omnes usque ad Padum.*

Fr. 18.] Schol. ad Lucan. Phars. III, 632. VI, 348. Verba capienda sunt de initiis belli Italici. — *Animis discedit* est: summa animorum commotione in diversas partes abit.

Fr. 19.] Donat. ad Ter. Adelph. III, 4, 11. Haec quoque ad initium belli sociali spectant.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

dictatura. — Civitas vi et proscriptionibus lacerata. — Reliquiae Marianarum partium in Sicilia et Africa per Pompeium confectae.

16. Tantum antiquitatis curaeque maioribus pro Italica gente fuit.

17. Citra Padum omnibus lex Licinia fraudi fuit.

18. Atque omnis Italia animis discedit.

19. Post defectionem sociorum et Lati.

20. Tum vero Etrusci cum ceteris eiusdem caussae ducem se nanctos rati maxumo gaudio bellum irritare.

21. Quippe vasta Italia rapinis, fuga, caedibus.

22. Quis rebus Sulla suspectis maxumeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.

23. Postremo ipsos colonos per miserias et incerta humani generis orare.

24. Nihil esse de republica neque libertate populi Romani pactum.

25. Nexuit catenae modo.

26. Et Metello procul agente longa spes auxiliorum.

27. Bellum, quibus posset condicionibus, desineret.

Fr. 20.] Nonius I, 132. p. 31, 26. Merc. Agitur de Etruscis altero belli socialis anno a Romanis deficientibus; cf. Appian. de B. C. I, 49 in. et c. 50 in.

Fr. 21.] Serv. ad Virg. Aen. VIII, 8. Verbis continetur iudicium de eventu belli socialis.

Fr. 22.] Donat. ad Ter. Phorm. II, 4, 24. Arus. p. 241. Lind. Sullae memorantur consilia, quo tempore bellum Mithridaticum primum exoriebatur. — *Suspicere rem* quum significet *rem suspectam habere* (cf. Ing. 70, 1.), sensus est: *quas res quum Sulla suspectas haberet.* — *Ferocia regis* intelligenda videtur de immani crudelitate, qua Mithridates omnes Romanos in Asia necavit; cf. Flor. III, 5, 7. Vell. II, 18, 2. — *In tempore* significat *tempore ipsi opportuno.*

Fr. 23.] Serv. ad Virg. Aen. X, 45. De *Mario* a. 88. a. Chr. Roma ejecto et in paludibus prope Minturnas latitante haec dicta sunt; cf. Cic. p. Sest. 22, 50. Oros. V, 19. Plut. in Mar. c. 36. 37.

Fr. 24.] Arus. p. 251. Lind. Verba sunt *Cinnae*, a. 87. a. Chr. consulis, post Sullae in Graeciam profectionem, cui iureiurando se obstrinxerat instituta eius se servaturum, rerum novarum inceptum excusantis; cf. Plut. in Sulla c. 10.

Fr. 25.] Priscian. X, 8, 47. p. 505. Kr. *Marius* a. 87. a. Chr. n. urbem obsidens Tiberim claudit navibus catenae modo nexis; cf. Appian. de B. C. I, 67 extr. et c. 69 in.

Fr. 26.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 544. Agitur de summo urbis a Mario obsessae periculo, quum Metellus in Campania reliquias belli socialis conficiens advocari non posset; cf. Appian. de B. C. I, 68. — *Longa spes* est *sera, remota.*

Fr. 27.] Serv. ad Virg. Ecl. V, 19. *Metellus* a senatu iubetur bello

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

28. Quum arae et alia dis sacrata supplicum sanguine foedarentur.

29. Inde ortus sermo, percontantibus utrinque: satin' salve? quam grati ducibus suis? quantis familiaribus copiis agerent?

30. Cuius advorsa voluntate colloquio militibus permisso, corruptio facta paucorum, et exercitus Sullae datus est.

31. Cui nisi pariter obviam iretur.

32. Marius invita matre Iulia adeptus est consulatum, [*de quo Sallustius meminit*].

33. Apud Praeneste locatus.

34. Et Marius victus duplicaverat bellum.

35. Carbo turpi formidine Italiam atque exercitum deseruit.

36. Ut Sullani fugam in noctem componerent.

Samnitico quam celerrime finito urbi auxilio venire; v. ad Fr. praecedens. Dio. Cass. Fragm. Ursin. 166. p. 70. Reim. Id. ib. Fr. 172. p. 72. — *Desineret* verbi, quod transitivo sensu valet *omittere*, *deponere*, subiectum est *Metellus*.

Fr. 28.] Serv. ad Virg. Aen. II, 502. Pertinet Fragm. ad commemorationem foedae crudelitatis a Cinna et Mario, postquam in urbem redierunt, exercitae; cf. Vell. II, 22, 1. Flor. III, 21, 16. Augustin. C. D. III, 27.

Fr. 29.] Donat. ad Ter. Eun. V, 5, 8. Mentio est de sermonibus inter exercitus Scipionis et Sullae, ad Teanum a. 83. a. Chr. n. exadverso collocatos, habitis; cf. Plutarch. in Sulla c. 28. Appian. B. C. I, 85. Vell. II, 25, 2.

Fr. 30.] Donat. ad Ter. Eun. III, 2, 13. Pertinet Fragmentum ad eandem rem ut praecedens. *Cuius advorsa voluntate*, i. e. *quo invito et dissuadente*, intelligendum de Sertorio, milites Scipionis et Sullae inter se colloqui nolente; cf. Plutarch. in Sert. c. 6. Iul. Exsuperant. c. 7.

Fr. 31.] Donat. ad Ter. Eun. I, 2, 12. Pronomine significatur *Sulla*; verba ipsa sunt *Sertorii*, qui, quum C. Marius, C. Marii f., in a. 82. a. Chr. consul factus esset, suarum partium segnitiem incusans ostendit, quantum a Sulla timendum esset, nisi ei *pariter*, i. e. *eadem virtute atque industria*, *qua ille utebatur*, obviam iretur; cf. Iul. Exsuperant. c. 8.

Fr. 32.] Schol. ad Lucan. II, 134. Marius est C. Marii septies cos. *filius*. Praeter Sallustium eam rem solus memorat Aur. Victor de vir. ill. c. 68, 1.

Fr. 33.] Priscian. XV, 2, 9. p. 618. Kr. Verba intelligenda sunt de *C. Mario* post cladem ad Sacriportum Praeneste compulso et ab Ofella obsesso; cf. Vell. II, 27, 6. Appian. de B. C. I, 88.

Fr. 34.] Serv. ad Virg. Ecl. II, 67. Sensus est: Mario victo bellum vehementius exarserat. Quippe Sullae atrocitas multos ad iram et novam pugnam concitabat.

Fr. 35.] Serv. ad Virg. Aen. II, 400. De *Carbone*, Marianarum partium duce, qui a. 82. a. Chr., de rebus suis desperans, in Africam aufugit, cf. Appian. B. C. I, 92.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

37. Mox tanta flagitia in tali viro pudet dicere.

38. Ut in M. Mario, cui fracta prius crura, brachia, et oculi effossi, scilicet ut per singulos artus exspiraret.

39. Igitur venditis proscriptorum bonis aut dilargitis.

40. Nihil ob tantam mercedem sibi abnituros.

41. Et relatus inconditae olim vitae mos, ut omne ius in viribus esset.

42. Quo patefactum est rempublicam praedae, non libertati repetitam.

43. Insanum aliter sua sententia atque aliarum mulierum.

44. Perperna tam paucis prospectis vera est aestimanda.

45. Simulans sibi alvum purgari.

46. Curubis.

Plutarch. in Sulla c. 28 extr. Eutrop. V, 8. Liv. Epit. 88.

Fr. 36.] Arusian. p. 239. Lind. Fragmentum pertinet ad Sullae cruentam pugnam cum Pontio Telesino sub ipsis Romae moenibus Kal. Nov. anni 82. a. Chr. commissam; cf. Plutarch. in Sulla c. 29. 30. Appian. B. C. I, 93. Vell. II, 27, 1.

Fr. 37.] Schol. Gronov. ad Cic. p. Rosc. Am. 32, 90. p. 434. Or. Verba fuerunt eo loco, ubi auctor de Sullae crudelitate, priorem lenitatem eius secuta, dixit; v. ad I, 49, 5.

Fr. 38.] Rufinian. de schem. c. 11. p. 273. Ruhnk. Schol. ad Lucan. II, 173. Narratur Sullae crudelitas in M. Mario necando; cf. Flor. III, 21, 26. Seneca de Ira III, 18. Cic. de pet. cons. c. 3, 10. Valer. Max. IX, 2, 1.

Fr. 39.] Prisc. VIII, 5, 25. p. 377. Kr. Gell. XV, 13, 8. Spectant verba ad proscriptiones a Sulla institutas.

Fr. 40.] Arus. p. 210. Lind. Continetur verbis *Sullae* sententia vel consilium de satellitum suorum, quos Cornelios dixit, fide magnis praemiis paranda.

Fr. 41.] Schol. ad Lucan. I, 175. Corn. Fronto de oratt. II, 5. p. 266. ed. Mediol. Auctoris indicium de Sullae actionibus violentis. — *Relatus est repetitus, rursus illatus;* cf. Cic. Divinat. in Q. Caecil. 21, 67. 68. de Orat. III, 20, 75.

Fr. 42.] Arus. p. 259. Lind. *Sulla* in constituenda republica praedae ac dominationis studii arguitur. Lucem verba accipiunt ex annotatis ad Fr. 1, 49, 5.

Fr. 43.] Charis. II, 14, 25. p. 114. Lind. (p. 175. Putsch.). Dissoluti *Sullae* mores circa mulieres et matrimonium taxantur.

Fr. 44.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 694. Verba obscura et haud dubie corrupta ad Marianarum partium casus, quibus Perperna implicatus fuit, pertinuisse videntur.

Fr. 45.] Serv. ad Virg. Aen. II, 19. Isidor. XI, 1, 33. p. 362. Lind. Inc. gl. ad Virg. Vol. II p. 374. ed. Lion. Intelligendus est *Carbo*, qui in Sicilia captus, quum Pompeius eum interfici iussisset, turpi simulatione brevem vitae moram quaesivit; cf. Appian. B. C. I, 96 extr. Plutarch. in Pomp. c. 10. Valer. Max. IX, 13, 2.

Fr. 46.] Probus II, 1, 40. p. 120. Lind. Urbis huius mentio facta vi-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

47. Id bellum excitabat metus Pompei victoris Hiempsalem in regnum restituentis.

48. De praefecto urbis quasi possessore reipublicae magna utrimque vi contendebatur.

Cap. IV.

Lepidi turbae et bellum civile in Italia.

49. *M. Aemilii Lepidi consulis ad populum Romanum oratio contra Sullam.*

Clementia et probitas vostra, Quirites, quibus per ceteras gentis maxumi et clari estis, plurimum timoris mihi faciunt advorsum tyrannidem L. Sullae, ne, quae ipsi nefanda aestumatis, ea parum credendo de aliis, circumveniamini (praesertim quum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet, quam si

detur in Pompeii expeditione Africana contra Domitium.

Fr. 47.] Gell. IX, 12, 14. Non. II, 554. p. 140, 28. Merc. *Bellum* intelligendum de rebellione Numidarum post victum Domitium orta; arma enim sumpserant metuentes, ne Pompeius Domitio superato Hiempsalem, quem regno expulerant, reduceret; cf. Appian. B. C. I, 80. Plutarch. in Pomp. c. 12. — *Restituentis* valet *restituere parantis*, simplici verbo de conatu posito.

Fr. 48.] Arus. p. 252. Lind. *Praefectus urbis* est *feriarum latinarum*, quae plerumque primis anni mensibus celebrabantur. *Utrimque* intelligendum de consulibus anni 78. a. Chr. n. Lepido et Catulo, quorum uterque contendebat aliquem suarum partium praefectum urbis dicere. Cui quum paucorum modo dierum esset potestas atque exigua admodum et tenuia munia, Sallustius ad ridendam tantae contentionis de re parva vel pertinaciam vel vanitatem addit *quasi possessore reipublicae*, i. e. quasi is, qui obtineret, possessor esset reipublicae.

Fr. 49.] Codd. Vatt. tres, duo Ursini et Ciacc., Balliol.

Quum Sulla a. 79. a. Chr. dictatura se abdicasset, sed nihilominus per suae partis homines, qui pro eius legibus nitebantur, summam in moderanda civitate vim obtineret, M. Aem. Lepidus, acerrimus eius adversarius populariumque partium studiosus, Pompeio imprimis adiuvante consul anni 78. a. Chr. factus, ubi primum magistratum ingressus est, illius instituta evertere coepit. Hoc igitur consilio infestissimam Sullae contionem primis anni 78. mensibus habuit, cuius tres partes sunt. Primum enim Sullae insolentiam et scelera docet, §. 1—15; tum se ipsum defendit contra illius criminationes, §. 16—19; denique plebem ad audaciam exstimulat, quo Sullae obviam eant, eius insolentiam frangant, et servitium sibi impositum exuant, §. 20—27.

§. 1. *advorsum tyrannidem*] Haec verba ita pertinent ad praedicatum definiendum, ut enuntiati secundarii instar sint: *quum ex adverso sit tyrannis*. Germani eadem brevitate: *gegenüber* vel *angesichts der Tyrannei;* cf. Iug. 105, 4.

circumveniamini] i. e. opprimamini;

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

peior atque intestabilior metu vostro fuerit, quo captis libertatis curam miseria eximat), aut si provideritis, in vitandis periculis
2 magis quam ulciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maxumi nominis, optumis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant, et utrum-
3 que per iniuriam malunt, quam optumo iure liberi agere, praeclara Brutorum atque Aemiliorum et Lutatiorum proles, geniti ad ea, quae
4 maiores virtute peperere, subvortunda! Nam quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam libertas
5 et suae cuique sedes, neu cui nisi legibus pareremus? quae cuncta scaevus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet, non tot exercituum clade, neque consulum et aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus, sed tum crudelior, quum plerosque
6 secundae res in miserationem ex ira vortunt. Quin solus omnium

cf. Hist. Fr. III, 81, 8. Cat. 31, 9. 51, 40.

praesertim quum] His particulis gravior quaedam timoris caussa, eaque non in plebe, sed in Sulla posita, praecedenti adiungitur.

intestabilior metu vostro] i. e. magis etiam abominandus quam vos metuitis; cf. Iug. 67, 3.

captis] i. e. vobis oppressis; cf. §. 20. Iug. 85, 6.

ulciscendo teneamini] Praepositio cum *vitandis* coniuncta ad alterum verbum omissa est, quia *teneri aliqua re* sensu ita differt a *teneri in re*, ut illud sit *totum aliqua re occupatum esse*, hoc *intra alicuius rei fines versari*, quae vis, utpote levior, huic loco minus convenit.

§. 2. *Satellites*] Ita invidiose dicuntur nobiles, Sullae sectatores; cf. §. 21.

dominationis in vos etc.] i. e. qui, ut in vos dominari possint, ipsi se Sullae servos addicunt.

utrumque] sc. dominari in vos, ac simul ipsi servire.

§. 3. *praeclara Brutorum — proles*] Intelligit Lepidus D. Iun. Brutum (de quo v. Cat. 25, 1. 40, 5.) et Mamerc. Aemilium, sequentis anni consules, qui Sullae voluntate iam tum huic muneri destinati fuisse videntur. *Lutatiorum* proles est Q. Lutat. Catulus, Lepidi collega.

§. 4. *a Pyrrho* etc.] i. e. *contra* Pyrrhum; ut enim dicitur *defendere aliquid ab aliqua re*, i. e. *defendendo aliquid avcere* vel *liberare ab aliqua re*, ita in passivo eadem structura obtinet.

neu cui — pareremus] Haec enuntiatio vim habet *subiecti*, quod praecedenti *libertas* respondeat.

§. 5. *scaevus*] i. e. perversus et *prorsus contrarius*. Nam ut Romulus *conditor* fuit civitatis, ita Sullam, qui rempublicam restituisse se et quasi denuo condidisse gloriabatur, eius *eversorem* fuisse Lepidus significat.

quasi ab externis rapta] His verbis pariter ut §. 17. et supra Fr. 42. respicitur ad Sullae ferox et famosum dictum, quae vi et armis invaserat, *praedam suam* vocantis; cf. Plutarch. compar. Lysandri c. Sulla c. 3. Cic. in Verr. III, 35, 81.

consumpserat] sc. tum, quum bellum desiit.

tum crudelior] sc. victoria adepta; cf. Fr. I, 37. Vell. II, 25, 3. II, 28, 2. Plutarch. in Sulla c. 30 extr.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

post memoriam humani generis supplicia in post futuros composuit, quis prius iniuria quam vita certa esset; pravissumeque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit, dum vos metu gravioris serviti a repetunda libertate terremini.

Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vostra 7
penes illos sint; non prolatandum, neque votis paranda auxilia; nisi
forte speratis taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse, et
eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eo pro- 8
cessit, ut nihil gloriosum nisi tutum, et omnia retinendae domina-
tionis honesta aestumet. Itaque illa quies et otium cum libertate, 9
quae multi probi potius quam laborem cum honoribus capessebant,
nulla sunt. Hac tempestate serviundum, aut imperitandum; haben- 10
dus metus est, aut faciundus, Quirites. Nam quid ultra? quaeve 11
humana superant, aut divina impolluta sunt? Populus Romanus,
paulo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, iure, agi-

§. 6. *in post futuros*] sc. proscriptorum liberos, qui petendorum honorum iure prohiberentur; v. ad Cat. 37, 9.

pravissumeque] Hoc adverbium, quo non *modus rei*, sed *iudicium de re* continetur, vim habet integri enuntiati: *et, quod pravissumum est.*

§. 7. *spolia vostra*] i. e. *ea, quae vobis erepta sunt*, bona, iura, libertas. cf. Hist. Fr. III, 81, 6. IV, 20, 11.

neque votis etc.] cf. Cat. 52, 29.

Sullae] Dativus est. — Sententia ipsa alludit ad abdicatam dictaturam.

periculosius] sc. quam occupavit, quod ipsum non fuit sine periculo.

§. 8. *nisi tutum*] i. e. nisi id, quod periculo caret.

retinendae dominationis honesta aestumet] i. e. honesta aestumet, quatenus ad retinendam dominationem pertinent. Qualitatis vi genitivus praedicatum ita definit, ut honesti aestimatio *consilii* vel *finis* notione, quae in gerundivo inest, dirigatur. cf. Fr. I, 56, 3. 6. 10.

illa quies et otium] *Quies* eius est, qui nulla re turbatur, *otium* eius, qui a negotiis in republica gerenda vacat. *Illa* praegnanti sensu est *laudata illa*, sc. priorum temporum.

§. 9. *nulla sunt*] i. e. non exstant; cf. Cat. 52, 21. Iug. 86, 3.

§. 11. *Nam quid ultra?*] Supple *est*, vel *superest*, sc. praeter ea, quae iam passi sumus.

populus Rom.] v. ad Cat. 38, 3.

agitandi inops] i. e. vitam sustentandi inops, inopia rerum ad victum necessariarum pressus; cf. Hist. Fr. III, 1, 9.

servilia — alimenta] i. e. *tantum alimentorum, quantum servis praeberi solet;* accipiebant autem quinos aut quaternos modios frumenti in singulos menses; cf. Donat. ad Ter. Phorm. I, 1, 9. Sen. Epp. 80. Hist. Fr. III, 81, 19. Spectat autem querela ad sublatam a Sulla legem frumentariam, quam C. Gracchus tulerat, ut inopi plebi frumentum publico sumptu emptum minoris venderetur quam iustum pretium erat.

§. 12. *civitate — per unum prohibentur*] cf. Cic. p. domo 30, 79.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tandi inops despectusque ne servilia quidem alimenta reliqua habet.
12 Sociorum et Lati magna vis civitate, pro multis et egregiis factis
a vobis data, per unum prohibentur, et plebis innoxiae patrias sedes
13 occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, iudicia,
aerarium, provinciae, reges penes unum, denique necis civium et
14 vitae licentia. Simul humanas hostias vidistis, et sepulcra infecta
15 sanguine civili. Estne viris reliqui aliud quam solvere iniuriam, aut
mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura
vel ferro septis statuit, neque quisquam extremam necessitatem
16 nihil ausus nisi muliebri ingenio exspectat. Verum ego seditiosus,
ut Sulla ait, qui praemia turbarum queror; et bellum cupiens, qui
17 iura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in
imperio eritis, nisi Vettius Picens et scriba Cornelius aliena bene
parta prodegerint; nisi approbaritis omnes proscriptionem innoxio-
rum ob divitias, cruciatus virorum illustrium, vastam urbem fuga

Populus Romanus L. Sulla dictatore comitiis centuriatis municipiis civitatem ademit; ademit iisdem agros. Appian. B. C. I, 96. Plutarch. in Sulla c. 33. Flor. III, 21, 27.

mercedem scelerum] Appositione indicatur *consilium*, quo sedes occupaverint. Sensus est: *ut esset merces scel.*

satellites] Sunt *Cornelii* in colonias deducti; v. ad Fr. I, 56, 21.

§. 13. *leges*] Intelligitur vel legum, quae habentur, exercendarum arbitrium, vel novarum ferendarum licentia.

iudicia] sc. senatui tradita, qui ex Sullae arbitrio pendebat.

§. 14. *humanas hostias*] Spectant haec ad Marii Gratidiani caedem ad Catuli bustum perpetratam; v. ad Fr. I, 38.

§. 15. *solvere iniuriam*] i. e. vincendo finem imponere iniuriae.

quoniam quidem etc.] Per chiasmum haec ad praecedentia referuntur; nam verba *unum omnibus — statuit* pertinent ad *mori per virtutem;* quae sequuntur *neque quisquam — exspectat* confirmant illa priora *solvere iniuriam.*

extremam necessitatem] Intelligi possunt vel *summa mala*, vel *mors vi illata;* illud magis suadet sententiarum nexus, hoc dicendi usus (cf. Tac. Ann. XV, 61, 4. Hist. I, 3, 1. I, 72, 3.). Et fortasse Lepidus, ut invidiam Sullae augeret, omnibus, qui nihil auderent contra tantam iniuriam, *certum exitium paratum esse* significavit.

§. 16. *praemia turbarum*] i. e. praemia, quae Sulla turbis civilibus consecutus est, sive tyrannidem bello civili partam.

§. 17. *Scilicet, quia* etc.] Ironice Lepidus addit, seditiosum Sullae videri unumquemque, qui eius facinora improbet.

Vettius Picens] Homo ignotus, nisi forte idem est, de quo Sueton. in Caes. c. 17. tradit, unde cognoscitur nebulonem improbissimum fuisse.

Cornelius] Sulla dictatore scriba fuit, teste Cicerone de Off. II, 8, 29.; qui quum in Sullana hasta tabulas publicas conficeret, magnum inde quaestum fecit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

et caedibus, bona civium miserorum quasi Cimbricam praedam venum aut dono datam. At obiectat mihi possessiones ex bonis pro- 18
scriptorum; quod quidem scelerum illius vel maximum est, non me neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quae tum formidine mercatus sum, pretio, soluto iure, dominis tamen restituo, neque pati consilium est ullam ex civibus praedam esse. Satis illa fuerint, quae rabie contracta toleravimus, 19
manus conserentis inter se Romanos exercitus, et arma ab externis in nosmet versa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Sullam non poenitet, ut et facta in gloria numeret, et, si liceat, avidius fecerit.

Neque iam quid existumetis de illo, sed quantum audeatis ve- 20
reor, ne alius alium principem exspectantes ante capiamini (non opibus eius, quae futiles et corruptae sunt, sed vestra socordia), quam captum ire licet, et quam audeas tam videri felicem. Nam 21

quasi Cimbricam praedam] i. e. quasi praedam ex barbaris et infestissimis hostibus; ceterum v. supra ad §. 5. De attractione cf. Fr. I, 50, 12.

§. 18. *si recte faceremus*] i. e. si ab emendis proscriptorum bonis omnino abstineremus.

pretio soluto iure etc.] Coniungendum *pretio* cum *restituo*. Hoc enim dicit Lepidus, *non gratis*, quia ita ipse damnum faceret, *sed recepto, quod dederat, pretio empta se restituere*. Cuius facti aequitas quo magis appareat, addit *soluto iure*, i. e. *quamquam ius solutum est*, ita ut legibus cogi non possim. *Tamen* igitur refertur ad sententiam concessivam, quae ablativis absolutis inest; cf. Fr. III, 77, 10.

§. 19. *contracta*] Accusativus est. *Contrahi* dicuntur ea, quae cui molesta et noxia vel sua vel aliena culpa accidunt; cf. Fr. II, 50, 8. Cic. Epp. ad Q. Fr. I, 1, 1. *Ea molestissima ferre homines debent, quae ipsorum culpa contracta sunt.*

facta] sc. esse; cf. §. 23.

fecerit] Vi optativi dictum est; Germanice *gethan haben möchte* = *thun möchte*.

§. 20. *quantum audeatis*] i. e. *quam parum audeatis*, cui sententiae accuratius declarandae per epexegesin adduntur sequentia ex *ne* apta.

principem] i. e. incipientem, initium facientem; cf. Cat. 24, 2.

quam captum ire licet] sc. *eum*, hac sententia: ne ante capiamini ipsi, quam licet *capere* eum. — De circumscriptione simplicis verbi per *ire* c. supino v. ad Iug. 68, 1.

et quam audeas tam videri felicem] Plena verborum ratio est: *et (quam) licet videri tam felicem quam audeas*. Quippe *quam* ante *audeas* neque ad praegressum *ante capiamini* refertur, neque relativum est, sed respondet *tam* particulae, ita ut audaciae modus aequetur modo felicitatis; *audere* enim absolute positum significat *audacia uti*. Quare totius loci sensus est: „vereor ignaviam vestram, ne — ante (ipsi) capiamini — quam (omnino) licet eum capere, et (ea re) audaciae dignum praemium consequi.“ Nam qui *tam felix est, quantum audet*, profecto audaciae

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

praeter satellites commaculatos quis eadem volt? aut quis non omnia mutata praeter victorem? Scilicet milites, quorum sanguine Tarulae Scirroque, pessumis servorum, divitiae partae sunt! An, quibus praelatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, 22 ironorum omnium dehonestamentum? Itaque maximam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot volnera et labores nihil praeter 23 tyrannum quaesitum est. Nisi forte tribuniciam potestatem evorsum profecti sunt, per arma conditam a maioribus suis utique iura et iudicia sibimet extorquerent, egregia scilicet mercede, quum relegati in paludes et silvas contumeliam atque invidiam suam, praemia 24 penes paucos intellegerint. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? Quia secundae res mire sunt vitiis obtentui; quibus labefactis, quam formidatus est, tam contemnetur; nisi forte specie concordiae et pacis, quae sceleri et parricidio suo nomina indidit; neque aliter rempublicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris

suae fructum percipit, si re vera aliquid ausus est. — *Videri* est i. q. *conspici*.

§. 21. *aut quis — victorem*] i. e. omnes alium rerum statum volunt, excepto uno Sulla, qui victor omnium est.

Scilicet milites] *Scilicet* cum ironia ponit, quod re ipsa negatur; sensus enim est: *milites certe*, qui sanguine suo paucos ditarunt, ipsi nihil ceperunt, *nolunt praesentia non mutari*.

Fufidius] Proscriptionum suasor fuit; cf. Flor. III, 21, 25. Oros. V, 21. Idem memoratur infra Fr. I, 75.

praelatus in magistratibus] Quum tantummodo centurio esset (v. Oros. l. l.), tamen ad honores evectus est.

ancilla] Ita dicitur propter servile obsequium Sullae praestitum.

§. 22. *quaesitum*] v. ad Iug. 3, 3. infra §. 26. Fr. III, 1, 1.

§. 23. *utique — extorquerent*] Haec verba respondent praecedentibus *per arma;* nam dicitur et *quomodo* tribunicia potestas condita sit, et *quo consilio*.

suam] Pertinet haec vox ad praedicatum, cui ex altera parte respondet *penes paucos;* cf. Iug. 85, 34. *Neque gloriam meam, laborum illorum faciam*.

§. 24. *igitur*] Refertur haec particula ad sententiam hanc, quae in antecedentibus inest: *quum militibus, ab eo deceptis, tam parum fidere possit*.

agmine atque animis] i. e. *comitatu satellitum atque arrogantia et ferocia;* cf. Hist. Fr. III, 81, 10.

sunt vitiis obtentui] i. e. vitia obtegunt. Similiter dicitur *aliquid ostentui esse alicuius rei* pro *ostendere*; Iug. 24, 10.

quibus] sc. secundis rebus.

formidatus] Adiectivi vim habet.

nisi forte] sc. *tanto agmine atque animis incedit*.

concordiae et pacis] Ea se restituisse ita gloriabatur Sulla, ut hae voces quasi in politicam formulam, qua Sullani uterentur, abirent; cf. Hist. Fr. I, 50, 10. 13. Iug. 31, 23.

neque — ait] i. e. *negat enim* etc.; v. ad Iug. 112, 3.

rempublicam et belli finem] sc. *esse*, quod ad *remp.* relatum pleniore sensu valet *constare*, ad *belli finem* habet vim auxiliaris verbi; de quo genere praedicati v. ad Iug. 54, 2. 89, 4.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

plebes, praeda civilis acerbissuma, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit. Quae si vobis pax et compo- 25
sita intelleguntur, maxuma turbamenta reipublicae atque exitia probate, annuite legibus impositis, accipite otium cum servitio, et tradite exemplum posteris ad rempublicam suimet sanguinis mercede circumveniundam. Mihi, quamquam per hoc summum imperium satis 26
quaesitum erat nomini maiorum, dignitati, atque etiam praesidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere, potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quae si probatis, adeste, Quiri- 27
tes, et bene iuvantibus divis M. Aemilium consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem!

50. Tyrannumque et Cinnam maxuma voce appellans.

51. Quin lenones et vinarii laniique, quorum praeterea volgus in dies usum habet, pretio compositi.

§. 25. *composita*] Sensu hoc non differt a *concordia*, sed gravius et distinctius quam haec vox *turbamentis* opponitur.

suimet sanguinis mercede] i. e. *suorum civium sanguinis mercede*. Loci sensus est: tradite exemplum posteris ad remp. ita opprimundam, *ut adeo suorum civium sanguinem pro servitute profundat et quasi mercedis loco tyrannis praebeat.*

§. 26. *mihi — tamen non fuit consilium*] *Populi* ignavae sententiae (*probate — annuite — accipite — tradite*) Lepidus *suam* opponit.

nomini — dignitati — praesidio] Dativi repetendi sunt ex eo, quod *satis* enunciati potestatem habet, quae clarius apparet, si solveris in *id, quod satis est.*

quaesitum erat — fuit — visa est] Praeterita non spectant ad id tempus, quo consulatum *gerit* Lepidus, sed quo *adeptus est.*

opes facere] cf. Hist. Fr. Inc. 33.

potiorque] Post negativam sententiam adversativa interdum simpliciter annectitur per *copulandi* particulam; v. ad Iug. 107, 3.

Fr. 50.] Serv. ad Virg. Aen. IV, 214. I, 5. Victorin. ad Cic. de Invent. I. p. 70. Orell. Verba sunt *Catuli*, in ipso Sullae funere Lepidum, res novas haud obscure molientem, graviter insectantis; cf. Appian. B. C. I, 107. Flor. III, 23, 1.

Fr. 51.] Non. IV, 86. p. 264, 18. Merc. Charis. I. p. 42. Lind. (p. 58. P.). Verba spectant ad *Lepidi* conatus in urbe seditionem per homines idoneos excitandi ad Sullae acta evertenda; cf. Fr. I, 56, 6.

pretio compositi] i. e. praemiis promissis illecti ad seditiosum animum clam alendum et excitandum.

Fr. 52.] Charis. II. p. 121. Lind. (p. 184. P.). Lepidum perpetuo inquietem senatus, quo illo liberaretur, ante finitum consulatum in provinciam Galliam abire iussit; cf. Hist. Fr. I, 56, 4. Appian. B. C. I, 107.

Fr. 53.] Arusian. p. 240. Lind. De Etruriae suspecta fide cf. Hist. Fr. I, 56, 6. 8. Appian. B. C. I, 107. — *Cum Lepido* est *Lepido favens. — Suspecta in tumultum* brevitate insigni dictum significat *suspecta erat proclivis esse ad tumultum.*

Fr. 54.] Serv. ad Virg. Aen. I,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

52. Uti Lepidus et Catulus decretis exercitibus maturrume proficiscerentur.

53. Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat.

54. Magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate ejecta.

55. Philippus, qui aetate et consilio ceteros anteibat.

56. *Oratio L. Philippi contra Lepidum.*

Maxume vellem, patres conscripti, rempublicam quietam esse, aut in periculis a promptissumo quoque defendi, denique prava incepta consultoribus noxae esse. Sed contra seditionibus omnia turbata sunt, et ab iis, quos prohibere magis decebat; postremo, quae pessumi et stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus faciunda
2 sunt. Nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen, quia Lepido placent, sumenda sunt, nisi forte cui pacem praestare

270. Verba ad eandem rem pertinent ut Fragm. praecedens.

Fr. 55.] Serv. ad Virg. Aen. IX, 246. Videtur Sallustius caussam afferre, cur Philippi orationem Historiis inseruerit.

Fr. 56.] Codd. Vatt. tres, Ursini et Ciacc. duo, Balliol.

Quum Lepidus aliquanto ante consulatus finem in Galliam Transalpinam provinciam abire iussus esset (v. Fr. I, 52. infra §. 4.), sed in Cisalpina et in Etruria proscriptos et turbidam plebem sibi adiungeret (v. Fr. I, 53. 54.), revocatus a patribus, ut inceptorum caussam redderet, non paruit, sed cum armata manu ad urbem accessit; cf. Appian. B. C. I, 107. Sed quum Ianiculum et pons Mulvius iam a Catulo ac Pompeio occupatus esset, prohibitus urbem intrare (v. Flor. III, 23, 6.) in Etruriam recessit. Pompeius fugatos reipublicae hostes persecutus in Galliam Cisalpinam contendit, quam Brutus, Lepidi legatus, tenebat, eumque Mutinam compulsum per aliquod tempus obsidione pressit. Dum haec aguntur, Lepidus initio a. 77. (cf. Fr. III, 81, 10.), consulibus nondum creatis (cf. §. 22.), novis copiis collectis iterum exercitum ad urbem admovit (§. 10.), condicionibus cum senatu egit (§. 14. 17.), alterumque consulatum petiit (§. 15. Plut. in Pomp. c. 16.). Tum in magna omnium perturbatione, aliis Lepido faventibus, aliis per ignaviam cunctantibus et quid agendum esset dubitantibus, exortus est in senatu Philippus, et gravi oratione torpedinem animis excutere, periculum ostendere et ad fortiter et strenue resistendum hortari studuit. — Eo auctore Lepidus hostis patriae iudicatus et vi ab urbe repulsus est. Deinde quum in Etruriam se recepisset, a Pompeio et Catulo pressus Cosam occupavit, indeque fuga in Sardiniam transgressus morbo periit.

§. 1. *Maxume vellem* etc.] Tripartito Philippi optato ex adverso tria huic optato contraria respondent.

et ab iis] i. e. *et quidem ab iis;* v. ad Iug. 85, 3. Fr. III, 1, 5. IV, 20, 5. Intelliguntur Lepidus et mali senatores.

pessumi etc.] sc. ii senatores, qui Lepidi consilia adiuverant; cf. §. 5. 6.

§. 2. *pacem praestare*] i. e. *pacis*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

et bellum pati consilium est. Pro di boni, qui hanc urbem omissa 3
cura adhuc tegitis! M. Aemilius, omnium flagitiosorum postremus,
qui peior an ignavior sit deliberari non potest, exercitum oppri-
mundae libertatis habet, et se e contempto metuendum effecit; vos,
mussantes et retractantes, verbis et vatum carminibus pacem optatis
magis quam defenditis, neque intellegitis mollitia decretorum vobis
dignitatem, illi metum detrahi. Atque id iure, quoniam ex rapinis 4
consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est.
Quid ille ob bene facta cepisset, cuius sceleribus tanta praemia
tribuistis? At scilicet eos, qui ad postremum usque legatos, pacem, 5
concordiam et alia huiuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peper-
risse. Imo despecti et indigni republica habiti praedae loco aestu-
mantur, quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant.
Equidem a principio, quum Etruriam coniurare, proscriptos accersi, 6
largitionibus rempublicam lacerari videbam, maturandum putabam,

copiam praebere; cf. Liv. XLII, 13, 5. *Videbam, quam impar esset sors, quum ille vobis bellum, vos ei securam pacem praestaretis.* id. XL, 34, 14.

et bellum] Praegnanti sensu *et* valet *et simul.*

§. 3. *hanc urbem omissa cura*] *Omissa cura* ablativi sunt qualitatis sive attributivi ad *urbem* pertinentes; quare sensus est: *hanc urbem sine cura*, sive *hanc urbem, cuius cura omissa est*, sc. ab iis, quos illam curare ac tueri decebat.

postremus] i. e. vilissimus; cf. Hist. Fr. IV, 20, 12.

opprimundae libertatis] v. ad Fr. I, 49, 8.

mussantes] i. e. libere loqui non audentes (Germanice *den Mund nicht aufthuend*); cf. Fr. III, 81, 8.

retractantes] i. e. tergiversantes, cunctantes.

verbis — optatis] Sententia insigni brevitate dicendi elata haec est: *vanis* verbis *utentes* et vatum carminibus (i. e. responsis) *fidentes*, *eo ostenditis* optare vos magis quam defendere pacem.

detrahi] Germanice commode redditur: *dass — abgenommen wird.*

§. 4. *ex rapinis*] sc. in praetura Siciliensi a. 81. a. Chr. commissis; cf. Cic. in Verr. II, 3, 8. III, 91, 212. Ampel. c. 40.

ob seditionem] i. e. ob turbas in ipsa urbe excitatas; v. ad Fr. I, 51. 52.

§. 5. *scilicet — peperisse*] v. ad Iug. 102, 9.

indigni republica] i. e. indigni qui in republica aliquid valeant.

praedae loco] i. e. pro talibus, quibus, ut praedâ, pro lubitu uti possit.

quippe — amiserant] Haec addit, quo significet ipsos meruisse hanc iniuriam.

§. 6. *Etruriam coniurare* etc.] cf. Fr. I, 53. 54. infra §. 8. Iul. Exsuper. c. 6.

largitionibus etc.] cf. Fr. I, 51.

auxisse] Intransitivo sensu est *incrementa cepisse*; cf. Cato apud Gell. XVIII, 12, 7. *Eo res eorum auxit.* Accus. c. inf. pariter ut *bene facta* ex *extollebant* pendet.

nusquam] i. e. nulla in re; v. ad

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

et Catuli consilia cum paucis secutus sum; ceterum illi, qui gentis Aemiliae bene facta extollebant, et ignoscundo populi Romani magnitudinem auxisse, nusquam etiamtum Lepidum progressum aiebant, quum privata arma opprimundae libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patrocinia quaerundo consilium publicum corruperunt.
7 At tum erat Lepidus latro cum calonibus et paucis sicariis, quorum nemo diurna mercede vitam mutaverit; nunc est proconsul cum imperio, non empto, sed dato a vobis, cum legatis adhuc iure parentibus; et ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissumi, flagrantes inopia et cupidinibus, scelerum conscientia exagitati, quibus quies in seditionibus, in pace turbae sunt; hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt, Saturnini olim, post Sulpici,
8 dein Mari Damasippique, nunc Lepidi satellites. Praeterea Etruria atque omnes reliquiae belli arrectae; Hispaniae armis sollicitae; Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustenta-

Cat. 3, 3. Ceterum enuntiatio *ἀσυνδέτως* posita ex relativo pendet.

etiamtum] v. ad Cat. 2, 1.

progressum] Praegnanti sensu est *modum egressum*, i. e. aliquid contra rempublicam et salutem bonorum ausum.

privata arma — cepisset] i. e. arma *privato consilio* (cf. §. 21.), nullo senatus consulto cepisset.

consilium — corruperunt] i. e. auctores fuerunt pravi consilii, quo reipublicae gravissimum detrimentum allatum est.

§. 7. *latro*] Duci oppositus ita dicitur, *qui iustum exercitum non habet*, id quod etiam sequentia declarant. Sententia eadem est, quae §. 3: *e contempto* (qualis tunc fuit, nunc) *se effecit metuendum.*

diurna mercede vitam mutaverit] i. e. *pro diurna mercede vitam dederit* vel *vendiderit*, de quo usu *mutare* verbi cf. Iug. 44, 5. Sententia verborum est: *quorum omnium non interest pro tam tenui praemio, qualis est diurna merces, vitam profundere*, quam ob rem illi non timendi erant.

non empto] Quamquam haec voce alluditur ad emptos a Lepido seditionis ministros, magis tamen oratorie posita videtur ad indignitatem *dati* imperii oppositionis vi efferendam.

adhuc] Notatur haec voce socordia senatus, qui *patiatur adhuc* Lepidum cum imperio esse, quod ei dudum adimendum fuit.

quies in seditionibus etc.] Argutae oppositionis sensus est: qui *securi* sunt (a poena) in seditionibus, in pace *anxii* (ob scelera commissa); cf. §. 10.

Saturnini] Tribunus pl. turbulentissimus ac violentissimus in gravi seditione a. 100. a. Chr. n. mota per C. Marium occisus est.

Sulpici] Ferventissimi ingenii summaeque eloquentiae iuvenis, quum tribunus a. 88. a. Chr. n. legem tulisset de imperio adversus Mithridatem Sullae derogando et C. Mario tradendo, bello civili ea re exorto periit.

Damasippi] cf. Cat. 51, 32.

§. 8. *Hispaniae — sollicitae*] sc. per Sertorium.

vectigalium — sustentamur] Quippe

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

mur, diem bello circumspicit; quin praeter idoneum ducem nihil
abest ad subvortundum imperium. Quod ego vos oro atque obse- 9
cro, patres conscripti, ut animadvortatis, neu patiamini licentiam
scelerum quasi tabem ad integros contactu procedere. Nam ubi
malos praemia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est.
An exspectatis, dum exercitu rursus admoto ferro atque flamma 10
urbem invadat? quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu,
quam ex pace et concordia ad arma civilia, quae ille advorsum di-
vina et humana omnia cepit, non pro sua, aut quorum simulat, in-
iuria, sed legum ac libertatis subvortundae. Angitur enim ac lace- 11
ratur animi cupidine et noxarum metu, expers consili, inquies, haec
atque illa tentans; metuit otium, odit bellum; luxu atque licentia
carendum videt, atque interim abutitur vostra socordia. Neque mihi 12
satis consili est, metum an ignaviam an dementiam eam appellem,
qui videmini intenta mala quasi fulmen optare se quisque ne attin-
gat, sed prohibere ne conari quidem. Et quaeso considerate, quam 13
convorsa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte, auxilia
palam instruebantur, et eo boni malos facile anteibant; nunc pax
et concordia disturbantur palam, defenduntur occulte. Quibus illa
placent, in armis sunt, vos in metu. Quid exspectatis? nisi forte 14
pudet aut piget recte facere. An Lepidi mandata animos movere?
qui placere ait sua cuique reddi, et aliena tenet; belli iura rescindi,

maiora ex Asia quam ex ulla alia provincia vectigalia redibant; cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. c. 6, 14.

diem — circumspicit] i. e. occasionem belli ita quaerit, ut quovis die erumpere possit.

§. 9. *quasi tabem*] cf. Hist. Fr. IV, 60. Cat. 10, 6. 36, 5. Iug. 32, 4.

§. 10. *quod multo propius est* etc.] Sensus est: ad quod facinus nunc (quia cum exercitu instat) multo facilius etiam potest progredi, quam antea ex pace ad seditionem progressus est.

pro sua aut quorum simulat iniuria] i. e. pro sua aut *eorum*, quorum *eam* simulat *esse*, iniuria.

§. 12. *attingat*] Verbum refertur ad subiectum in comparatione positum; cf. Fr. I, 49, 17.

§. 13. *malum publicum*] i. e. reipublicae pernicies; cf. Cat. 37, 7 Iug. 25, 3.

§. 14. *mandata*] i. e. condiciones senatui propositae; v. Introduct. p. 261.

armis cogat] i. e. per arma vim exerceat.

civitatem — negat] Quam sibi repugnet Lepidus, eo probatur, quod, si civitas multis, ut ille contendebat, non erat adempta, eam confirmari non erat opus.

§. 15. *per iniuriam*] Respici videtur ad Lepidi avaritiam, qua Siciliam exspoliavit; v. ad §. 4.

quasi primum reddideris] i. e. quasi

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quum ipse armis cogat; civitatem confirmari, quibus ademptam negat; concordiae gratia plebei tribuniciam potestatem restitui, ex qua
15 omnes discordiae accensae. Pessume omnium atque impudentissume, tibine egestas civium et luctus curae sunt, cui nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam? Alterum consulatum petis, quasi primum reddideris; bello concordiam quaeris, quo parta disturbatur: nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum. Ut te neque hominum neque deorum pudet, quos per fidem aut per-
16 iurio violasti! Qui quando talis es, maneas in sententia et retineas arma te hortor, neu prolatandis seditionibus, inquies ipse, nos in sollicitudine attineas. Neque te provinciae, neque leges, neque di penates civem patiuntur. Perge, qua coeptas, ut quam maturrume
17 merita invenias! Vos autem, patres conscripti, quousque cunctando rempublicam intutam patiemini, et verbis arma tentabitis? Delectus advorsum vos habiti, pecuniae publice et privatim extortae, praesidia deducta atque imposita, ex lubidine leges imperantur, quum interim vos legatos et decreta paratis. Quanto mehercule avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, quum intelleget se metu
18 magis quam aequo et bono sustentatum. Nam qui turbas et caedem civium odisse ait, et ob id, armato Lepido, vos inermos retinet, quae victis toleranda sunt, ea, quum facere possitis, patiamini potius censet. Ita illi a vobis pacem, vobis ab illo bellum suadet.

rite consulatu abieris, eoque deposito ad privati condicionem redieris. Lepidus enim, quamvis consulatus tempus exspiraverat, tamen etiamtum ut consulem se gerebat.

nostri] i. e. nostrarum partium atque rationum; cf. Iug. 14, 17. Hist. Fr. II, 50, 3. Cat. I, 3.

istis] i. e. *tuis*, qui consilia tua laudant et adiuvant; v. ad Cat. 52, 5.

bonorum] Intelliguntur ii, qui praesentia defendebant; v. ad Fr. I, 12.

§. 16. *per fidem*] i. e. dum fidem tibi habebant.

periurio] sc. senatus utrumque consulem iure iurando obstrinxerat, nihil eos hostile acturos; cf. Appian. B. C. I, 107.

attineas] v. ad Iug. 108, 3.

§. 17. *verbis arma tentabitis*] i. e. *arma non re sed verbis geretis*, sive *verbis pro armis utemini*.

publice et privatim] v. ad Cat. 11, 6.

deducta atque imposita] sc. *deducta ex aliis oppidis atque aliis imposita*, prout Lepidi consiliis vel favere vel adversari videbantur.

metu] sc. vestro.

aequo et bono] sc. cuius exigua aut nulla a vobis ratio habetur; quod si valeret, ille se non sustentatum intellegeret. Ceterum v. ad Cat. 9, 1.

§. 18. *qui — ait*] Haec quamquam universe dicta sunt, tamen non dubium est, quin certi senatores notentur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Haec si placent, si tanta torpedo animos oppressit, ut obliti scele- 19
rum Cinnae, cuius in urbem reditu decus ordinis huius interiit, ni-
hilominus vos atque coniuges et liberos Lepido permissuri sitis:
quid opus decretis? quid auxilio Catuli? Quin is et alii boni rem-
publicam frustra curant. Agite, uti lubet! parate vobis Cethegi at- 20
que alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare
cupiunt et rursus advorsum deos penatis manus armare. Sin liber-
tas et vera magis placent, decernite digna nomine, et augete inge-
nium viris fortibus. Adest novus exercitus, ad hoc coloniae vete- 21
rum militum, nobilitas omnis, duces optumi; fortuna meliores se-
quitur. Iam illa, quae socordia nostra collecta sunt, dilabentur.
Quare ita censeo: quoniam Lepidus exercitum privato consilio pa- 22
ratum cum pessumis et hostibus reipublicae contra huius ordinis
auctoritatem ad urbem ducit, uti Appius Claudius interrex cum Q.
Catulo proconsule et ceteris, quibus imperium est, urbi praesidio
sint, operamque dent, ne quid respublica detrimenti capiat.

57. Apud Mutinam.

58. Lepidum poenitentem consili.

§. 19. *cuius in urbem reditu* etc.] Intelliguntur crudelissimae senatorum caedes Cinnae ac Marii iussu a. 87. a. Chr. n. factae.

§. 20. *Cethegi*] Homo fuit ambiguae fidei, Cinnae ante et Marii sectator, deinde Sullae addictus et in republica plurimum valens; cf. Appian. B. C. I, 60. et 80. Plut. in Lucull. c. 5. et 6. Cic. Parad. V, 3.

vera] i. e. ea, quae res ipsa postulat, quae rerum condicioni consentanea sunt.

§. 21. *coloniae veterum militum*] sunt Sullae veterani in colonias deducti; cf. Fr. I, 40. Cat. 37, 6.

illa, quae — collecta sunt] i. e. illa mala et incommoda, quae — contracta sunt, evanescent.

§. 22. *contra — auctoritatem*] i. e. ad evertendam auctoritatem.

interrex] sc. omissis propter Lepidi tumultum comitiis consules anni 77. a. Chr. nondum erant creati.

imperium] sc. militare.

ne quid respublica etc.] cf. Cat. 29, 2.

Fr. 57.] Priscian. XV, 2, 9. p. 618. Kr. Pertinet Fragm. ad Brutum, Lepidi legatum, qui Mutinae obsessus in Pompeii potestatem venit, et ab eo interfectus est; cf. Plut. in Pomp. c. 16. Liv. Epit. XC. Valer. Max. VI, 2, 8.

Fr. 58.] Charis. III. p. 150. Lind. (p. 224. P.). Videtur Lepidum consilii *urbis iterum invadendae* poenituisse.

Fr. 59.] Serv. ad Virg. Aen. X, 168. Lepidus undique pressus Cosam, maritimum Etruriae oppidum, se recepit, indeque in Sardiniam fugit; cf. Rutil. Itiner. I, 295 sqq. Iul. Exsuper. c. 6.

Fr. 60.] Priscian. X, 8, 46. p. 505. Kr. — *Quaesivit* verbi subiectum est *Appius Claudius* interrex. Is quum comitia consularia haberet, *Scribo-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

59. Cosa.

60. Curionem quaesivit, uti adulescentior et a populi suffragiis integer aetati concederet Mamerci.

Cap. V.

Bellum Sertorianum. — Sertorii priora tempora. — Sertorius in Mauretania. — Cum Lusitanis coniunctus bellum movet. — Eius pugnae cum variis ducibus Romanis et cum Metello usque ad Pompeii in Hispaniam adventum.

---

61. M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso, segnior, neque minus gravis, sed multiplex cura patres exercebat.

62. Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperante, magno usu bello Marsico paratu militum et armorum fuit, multaque tum ductu eius curata primo per ignobilitatem deinde per invidiam scriptorum incelebrata sunt, quae vivus facie sua ostentabat aliquot advorsis cicatricibus et effosso oculo. Quo ille dehonestamento corporis maxume laetabatur, neque illis anxius, quia reliqua gloriosi usretinebat.

nium Curionem, consulatus candidatum, rogavit, ut petitione desisteret in gratiam Mamerci Aemilii Lepidi, quem senatus consulem fieri optabat; v. ad Fr. I, 49, 3. Paruit Curio.

a populi suffragiis integer] i. e. qui populi suffragia nondum expertus repulsam non tulisset, quod Mamerco acciderat; cf. Cic. de Off. II, 17, 58.

Fr. 61.] Victorin. in Cic. Rhetor. p. 59. Orell. Serv. ad Virg. Aen. I, 630. Transit Sallustius his verbis a Lepidano tumultu ad Sertorii bellum.

segnior, neque minus gravis] i. e. *remissior quidem et minus acriter instans, neque tamen levior.* — De *neque* particula v. ad Iug. 31, 27. 105, 1.

exercebat] v. ad Cat. 11, 1.

Fr. 62.] Gell. II, 27, 2. Donat. ad Ter. Eun. III, 2, 29. Sertorii ingenium et prior vita illustratur.

T. Didio imperante] Is annis 97. et 96. a. Chr. n. Hispaniam provinciam cum imperio tenuit; cf. Appian. Hisp. c. 99.

paratu militum et armorum] i. e. cogendis militibus armisque instruendis.

per ignobilitatem] i. e. quia ignobilis fuit.

per invidiam scriptorum] Intelligendi sunt haud dubie Sisenna, Sullae nobilitatisque partibus addictus, ac Sulla ipse, Sertorio infestissimus, quorum hic in commentariis de vita sua, ille in historia belli Marsici et civilis de Sertorii rebus strenue gestis vel plane siluisse vel parum dixisse videntur.

incelebrata] cf. Tacit. Ann. VI, 7, 5.

vivus] i. e. dum in vivis erat, dum vivebat.

aliquot advorsis cicatricibus etc.] Ablativi qualitatis sunt.

illis] sc. cicatricibus, quibus facies lacerata erat.

reliqua] i. e. reliquas corporis partes.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

63. Et ei voce magna vehementer gratulabantur.

64. Modico quoque et eleganti imperio percarus fuit.

65. Hispaniam sibi antiquam patriam esse.

66. Earum aliae paulum progressae nimio simul et incerto onere, quum pavor corpora agitaverat, deprimebantur.

67. Traditur fugam in Oceani longinqua agitavisse, cuius duas insulas propinquas inter se et decem milia stadium procul a Gadibus sitas constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.

68. Insulas fortunatas [*Sallustius ait*] inclutas esse Homeri carminibus.

69. Maurique, vanum genus, ut alia Africae, contendebant Antipodas ultra Aethiopiam cultu Persarum iustos et egregios agere.

70. *Ἄξιλις πόλις Λιβύης· οἱ δὲ περὶ Σαλούστιον οὐ πόλιν, ἀλλὰ τόπον φασὶ καὶ ποταμὸν εἶναι.*

Fr. 63.] Donat. ad Ter. Andr. V, 4, 36. Fragm. de Sertorio intelligendum, a populo, qui iustior erat quam invidi scriptores in eius virtute aestimanda et agnoscenda, honorifice in theatro excepto; cf. Plutarch. in Sert. c. 4.

Fr. 64.] Schol. Lucan. ad VII, 267. p. 533. Web. De Sertorio haec dicta esse Hispanos comitate sibi conciliante fidem facit Iul. Exsuper. c. 8. *Ubi in provinciam venit, ita strenue sociorum animos iam deficientes atque alia cupientes in favorem partium suarum modeste tuendo atque blandiendo perduxit, ut et carus esset, et tamen ab omnibus timeretur.*

modico] i. e. moderato, inter nimiam severitatem et indulgentiam temperato.

eleganti] i. e. ita instituto, ut rerum atque hominum ratio haberetur (Germanice *rücksichtsvoll*); cf. Cic. Epp. III, 8, 4. *Quid a me fieri potuit aut elegantius aut iustius, quam ut sumptus egentissimarum civitatum minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuae?* Tacit. Ann. XI, 4, 4. (Respondit Scipio) *Eleganti temperamento inter coniugalem amorem et senatoriam necessitatem.*

Fr. 65.] Serv. ad Virg. Aen. I, 380. III, 297. Verba videntur Sertorii Hispanos eo sibi conciliantis, quod dicit Hispaniam, ubi iam olim fuerit (cf. Fr. I, 62.), ita sibi placuisse, ut patriae instar sibi sit.

Fr. 66.] Gell. X, 26, 10. Non. VI, 27. p. 455, 6 Merc. Agitur de pugna navali a Sertorio cum C. Annio ad Pityusam insulam a. 81. a. Chr. n. commissa; cf. Plutarch. in Sert. c. 7.

Fr. 67.] Serv. ad Virg. Aen. II, 640. Acro ad Hor. Epod. 16, 42. Non. IX. p. 495, 33. Merc. Ad Sertorium haec spectare intelligitur ex Plutarcho in Sert. c. 8. Flor. III, 22, 2.

suopte ingenio] i. e. sua sponte, ipsa naturae vi, nulla adhibita hominum cura atque labore.

Fr. 68.] Serv. ad Virg. Aen. V, 735. Verba ad eandem rem pertinent, ut Fragm. praecedens.

Fr. 69.] Priscian. XIV, 4, 41. p. 603. Kr. Non. IV, 481. p. 416, 29. Merc. Tertullian. de Anima p. 313. Verba continent Sertorii de

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

71. Itaque Sertorius, levi praesidio relicto in Mauretania, nanctus obscuram noctem aestu secundo furtim atque celeritate vitare proelium in transgressu conatus est.

72. Transgressos omnis recipit mons Balleia praeceptus a Lusitanis.

73. At per omnem provinciam magnae atr*ocesque famae*, quum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium milia, novas immanis *formas*, oceani acc*o*las, corporibus hominum vesci contenderent.

74. Ardebat omnis Hispania citerior.

75. Et mox Fufidius adveniens cum legionibus, postquam tantas asperitates, haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti quam suis opportuniora videt.

76. Iussu Metelli cornicines occanuere.

Africae incolis terraeque natura percontationes in Mauretania factas; cf. Plut. in Sertor. c. 9.

alia] Non supplendum *genera* ex praecedenti vocabulo, sed neutrum latissimo sensu praeter res etiam homines complectitur; cf. Iug. 13, 6.

Persarum] cf. Iug. 18, 4. et 11.

Fr. 70.] Stephan. Byz. v. Ἄζιλις p. 41. ed. Berkel. Fluvii mentio facta videtur in narratione de Sertorio in Mauretania commorante.

Fr. 71.] Gell. X, 26, 2. Non. VI, 27. p. 453, 2. Merc. Agitur de Sertorii ex Mauretania reditu in Lusitaniam, quo a Lusitanis invitatus fuerat.

proelium] sc. cum Romanis, quorum classis oram freti Gaditani observabat; cf. Plut. in Sert. c. 12.

Fr. 72.] Non. VI, 27. p. 453, 3. Merc. Gell. X, 26, 3. Verba non multum distantia a Fr. praecedente pariter de Sertorii transitu in Lusitaniam capienda sunt.

Fr. 73.] Virg. interprr. ed. Mai. p. 42. ad Aen. IV, 178. (Valer. Probi in Verg. Comment. acc. schol. Veronens. in Verg. Fragm. ed. H. Keil.) Ad Sertorium haec spectant, qui ex Mauretania in Lusitaniam regressus Mauris secum adductis maximo adventus sui terrore Romanos in provincia compleret; cf. Plutarch. in Sertor. c. 12.

magnae atrocesque famae] sc. *erant*; cf. Cat. 52, 15. — *Magnitudo* famae constabat ingenti hostium numero, *atrocitas* metu ἀνθρωποφαγίας.

novas immanis formas] i. e. *homines* novâ (= insolita, v. Cat. 51, 8.) et immani formâ. Quippe Mauri ore, colore, universa corporis forma atque habitu, ad hoc victu cultuque a ceteris hominibus discrepantes pro ἀνθρωποφάγοις a Romanis habebantur.

Fr. 74.] Victor. in Cic. Rhetor. I. p. 5. Orell. — *Ardebat* sc. *bello*, a Sertorio moto.

Fr. 75.] Non. III, 265. p. 231, 17. Merc. — De *Fufidio* cf. Fr. I, 49, 21. — *Vadus* ex prisco usu masculinum est.

Fr. 76.] Prisc. X, 7, 38. p. 500. Kr. Diomed. p. 370. Putsch. Serv. ad Virg. Georg. II, 384. Et hoc et sequens Fragm. ad Sertorii pugnas cum Metello pertinet.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

77. Et numeri eorum Metellus per litteras gnarus.

78. Domitium proconsulem ex citeriori Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, accersivit.

79. Occupatusque collis editissumus apud Ilerdam; eum multa opera circumdat.

80. Sertorius, portis turba morantibus et nullo, ut in terrore solet, generis aut imperi discrimine, per calonum corpora ad medium quasi, dein super astantium manibus in murum attollitur.

81. Et Diponen validam urbem multos dies restantem pugnando vincit.

82. Cui nomen oblivionis condiderant.

83. Illum raptis forum et castra nautica Sertorius mutaverat.

Cap. VI.

Bellum contra piratas a P. Servilio gestum.

84. Itaque Servilius aegrotum Tarenti collegam prior transgressus.

Fr. 77.] Arus. p. 233. Lind.

Fr. 78.] Priscian. X, 8, 45. p. 504. Kr. — *Accersivit* intelligendum de Metello, qui Domitium cum suis copiis sibi auxilio venire iussit. — De *Domitio* a Sertorio victo cf. Plut. in Sert. c. 12. Eutrop. VI, 1.

Fr. 79.] Arus. p. 219. Lind. Prisc. XV, 2, 9. p. 618. Kr. Agi videtur de Manlii, Galliae proconsulis ac Metello auxilium ferentis, clade apud Ilerdam accepta; cf. Plut. in Sertor. c. 12. Oros. V, 23. Liv. Epit. 90.

multa opera] i. e. magna diligentia et contentione; cf. Cic. Epp. ad Attic. XVI, 16. *Omnibus rebus magna cura, multa opera et labore confectis.* Id. ib. XIV, 14 fin.

Fr. 80.] Non. IV, 128. p. 282, 20. et XII, 48. p. 530, 30. Merc. Sertorius pugna aliqua fusus Hispanorum studio servatur; cf. Plut. in Sertor. c. 14 extr. Serv. ad Virg. Aen. IX, 558.

portis turba morantibus] i. e. *quum portae moram facerent* (sc. fugae vel receptui) *propter turbam*, sc. in angusto introitu ortam.

generis] sc. *militum*, armis atque ordinibus diversorum.

ad medium quasi] i. e. *fere* ad mediam muri partem; v. ad Iug. 48, 3.

super astantium] i. e. in muro stantium. *Super* adverbium est.

Fr. 81.] Non. XII, 30. p. 526, 10. Merc. Ad Sertorium pertinere Fragmentum *Dipones* urbis mentio ostendit; sed utrum ab hoc an a Metello capta fuerit, non liquet.

Fr. 82.] Serv. ad Virg. Aen. I, 267. Intelligitur fluvius inter Durium et Minium, cui olim *Limaeas* sive *Belion* nomen fuit. Ad bellum Sertorianum verba pertinere regionis situs docet.

Fr. 83.] Non. III, 96. p. 206, 16. Merc. Pompei. comment. art. Donat. p. 152. Lind. Locus, ubi res bello raptae a Sertorianis militibus vendebantur, fuisse videtur *Dianium*; cf. Cic. in Verr. V, 56, 146. Strabo III. p. 239. B. Almel.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

85. Cares insulani populi fuerunt, piratica famosi, victi a Minoe, [*ut et Thucydides et Sallustius dicunt.*]

86. Ad Olympum atque Phaselida.

87. Iter vortit ad Corycum urbem, inclutam specu atque nemore, in quo crocum gignitur.

CAP. VII.

Bellum in Macedonia et Thracia App. Claudio Pulchro duce gestum.

88. Apud Lete oppidum.

89. Repulsus a Lete oppido.

CAP. VIII.

Fragmenta incertioris sententiae.

90. Et stationes sub vineas removebat.

91. Magnis operibus perfectis obsidium cepit per L. Catilinam legatum.

92. Maturaverunt exercitum Durrachium cogere.

Fr. 84.] Priscian. XV, 2, 6. p. 616. Kr. — *Servilius* est P. Servilius Vatia, a. 79. a. Chr. n. consul, qui anno post proconsul Ciliciam provinciam nactus bellum contra piratas administravit; cf. Liv. Epit. 90. Flor. III, 6, 4. Eutrop. VI, 3. Oros. V, 23. Ammian. Marc. XIV, 8.

collegam] *App. Claudium Pulchrum*, Servilii in consulatu collegam, et pro consule ad Thraciae gentes domandas missum.

prior transgressus] sc. in Epirum. — De *transgredi* verbo cf. Fr. I, 71. 72.

Fr. 85.] Serv. ad Virg. Aen. VIII, 725. Sallustius, de bello piratico dicere ingressus, prius nonnulla de piratarum origine et antiquissima aetate disputat.

Fr. 86.] Priscian. XV, 2, 9. p. 618. Kr. Urbes piratarum celeberrimae atque validissimae a Servilio captae et eversae; cf. Cic. in Verr. I, 26, 56. IV, 10, 21. Flor. III, 6, 5. Eutrop. VI, 3. Oros. V, 23.

Fr. 87.] Non. III, 72. p. 202, 7. Merc. Priscian. XV, 2, 9. p. 618. Kr. Serv. ad Virg. Georg. I, 56. Verba pertinent ad narrationem de expeditione Servilii contra Cilicas et praedones.

inclutam specu atque nemore] cf. Strabo XIV. p. 987. C. Almelov. Curt. III, 4, 10. Mela I, 13.

Fr. 88.] Priscian. XV, 2, 9. p. 618. Kr. — *Lete* quum Macedoniae oppidum esset (cf. Plin. H. N. IV, 10, 17.), haud improbabile est, hoc et sequens Fragm. ad expeditionem Appii Claudii Macedonicam pertinere.

Fr. 89.] Priscian. XV, 2, 9. p. 618. Kr.

Fr. 90.] Arusian. p. 261. Lind.

Fr. 91.] Fest. v. *obsidium* p. 192. Lindem. Festo auctore *obsidium cepit* significat *auxilium accepit*. Fortasse Fr. fuit in narratione belli Sullani contra Marianos; Catilina enim Sullae legatus fuisse videtur.

Fr. 92.] Arusian. p. 218. Lind.

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

93. Illo profectus vicos castellaque incendere et fuga cultorum deserta igni vastare, neque late aut securus ire, metu gentis ad furta belli peridoneae.

94. Gens raro egressa finis suos.

95. Sic vero quasi formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua competere.

96. Idem fecere Octavius et Q. Caepio sine gravi cuiusquam exspectatione, neque sane ambiti publice.

97. Obviam ire et commori hostibus.

98. Ut in ore gentibus agens, populo, civitati.

99. Prudens omnium, quae senatus censuerat.

100. Sanctus aliter et ingenio validus.

101. Nisi quum ira belli desenuisset.

102. Liberis eius avunculus erat.

103. Neque se recipere aut instruere proelio quivere.

104. Equi sine rectore exterriti aut saucii consternantur.

Fr. 93.] Non. IV, 203. p. 310, 13. Merc. — *Late ire* est diducto et extenuato agmine ire, cui opponitur *artis stipatisque ordinibus incedere;* cf. Iug. 68, 4.

furta belli] i. e. insidiae, fraudes, iustae pugnae apertisque armis oppositae.

Fr. 94.] Arusian. p. 227. Lind. Schol. ad Lucan. V, 510.

Fr. 95.] Non. IV, 110. p. 276, 18. Merc. Donat. ad Ter. Adolph. III, 2, 12. Hoc auctore Sallustius verbis usus est „quum de amente Septimio loqueretur"; sed quis ille fuerit, non constat.

neque animo neque auribus — competere] i. e. *neque animo — valere*, sive *neque animi neque aurium aut linguae usum praesentem habere;* cf. Tacit. Ann. III, 46. Hist. III, 73.

Fr. 96.] Serv. ad Virg. Aen. IV, 283. In summa Fragmenti obscuritate liceat coniicere verba ad eandem rem pertinere ut Fr. I, 60. Nam ut Scrib. Curio, ab App. Claudio interrege rogatus, ut in gratiam Mamerci a petendo consulatu reipublicae caussa desisteret, obsecutus est, ita Octavius et Q. Caepio, qui et ipsi candidati fuisse videntur, idem fecere, quamquam nemo magnopere exspectabat petitionem eorum eventum habituram, neque ab interrege (= *publice*) ut desisterent rogati fuerant.

Fr. 97.] Arus. p. 220. Lind.

Fr. 98.] Arus. p. 243. Lind. Donat. ad Ter. Ad. I, 2, 13. De senatu Romano haec dicta videntur, cuius consulta omnia omnes spectarent; cf. Cat. 51, 12.

Fr. 99.] Arus. p. 256. Lind. De Lepido intellexerunt interpretes, non ignaro, quum ex Etruria revocaretur, quae senatus contra ipsum decreverat; cf. Appian. B. C. I, 107.

Fr. 100.] Charis. II. p. 114. Lind. (p. 175. P.). — *Aliter* i. e. alias, alioquin; cf. Cat. 29, 3. Hist. Fr. I, 43.

Fr. 101.] Priscian. X, 3, 20. p. 487. Kr.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

105. At inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum.

106. Locum editiorem, quam victoribus decebat, capit.

107. Neque detrusus aliquotiens deterretur.

108. Ea paucis, quibus peritia et verum ingenium est, abnuentibus.

109. Numeroque praestans, privus ipse militiae.

110. Vacuam istam urbem hominibus militari aetate.

111. Quum murum hostium successisset, poenas dederat.

112. Quietam a bellis civitatem.

113. Dubitavit acie pars.

114. Quos inter maxume.

115. Rumore primo.

116. Militiae periti.

117. Doctus militiam.

118. Egregius militiae.

Fr. 102.] Donat. ad Ter. Phorm. V, 6, 32. cf. Fr. V, 9.

Fr. 103.] Priscian. X, 9, 50. cf. Fr. II, 33.

Fr. 104.] Priscian. VIII, 15, 83. p. 419. Kr. — *Consternantur*, ut Prisc. monet, deponens est; quare sensus est: *consternationem faciunt*.

Fr. 105.] Priscian. VIII, 19, 94. p. 355. Kr. Verba intelligenda sunt de itinere alicuius ducis tanta celeritate facto, ut neque castra sub vesperam munirentur, neque requies militibus concederetur. — De genitivo *requie* cf. Iug. 21, 2.

Fr. 106.] Serv. ad Virg. Aen. VIII, 127. Arus. p. 223. Lind.

Fr. 107.] Priscian. XV, 4, 24. p. 627. Kr.

Fr. 108.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 694. Agi videtur de aliqua sententia, vel condicione, vel consilio proposito, quod plerique propter imprudentiam aut ingenii pravitatem amplecterentur, pauci tantum prudentiores improbarent et abnuerent.

Fr. 109.] Arus. p. 256. Lind. De duce aliquo haec dicta. *Privus militiae* est *militiae expers*, i. e. militiae usum non habens, rei militaris ignarus. cf. Apul. de D. Socr. c. 43. *Turba imperitorum, priva verae sapientiae.*

Fr. 110.] Arus. p. 265. Lind. Verba videntur fuisse in oratione vel sententia ducis alicuius, urbem aliquam capi posse ostendentis.

Fr. 111.] Serv. ad Virg. Ecl. V, 5. Arus. p. 260. Lind.

Fr. 112.] Arus. p. 257.

Fr. 113.] Priscian. VII, 19, 93. p. 354. Kr. Serv. ad Virg. G. I, 208. Probus II, 1, 1. p. 101. Lind.

Fr. 114.] Charis. II. p. 141. Lind. (p. 211. P.).

Fr. 115.] Charis. II. p. 129. Lind. (p. 192. P.).

Fr. 116.] Arus. p. 252.

Fr. 117.] Arus. p. 223.

Fr. 118.] Arus. p. 227.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

119. Animi immodicus.
120. Libertatis insueti.
121. Fugam maturabat.
122. Paucos saltum insidentis.
123. Profectionem festinantes.
124. Solis viis.
125. Agreste.
126. Quaesere.

Fr. 119.] Arus. p. 239.
Fr. 120.] Arus. p. 241.
Fr. 121.] Arus. p. 247.
Fr. 122.] Arus. p. 236.
Fr. 123.] Arus. p. 231.
Fr. 124.] Donat. ad Ter. Phorm. V, 7, 86.
Fr. 125.] Charis. I. p. 69. Lind. (p. 97. P.).
Fr. 126.] Eutych. II, 14. p. 192. Lind. Phocas p. 349. Lind. cf. Fr. I, 56, 9. I, 60. III, 1, 8.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI
HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER II.

ARGUMENTUM.

CAP. I.

Lepidi res extremae ac mors in Sardinia narrantur. — Insulae descriptio et antiquitates. — Corsicae descriptio. — Perpernae cum Lepido coniuncti fuga ex Sicilia et Corsica in Galliam indeque in Hispaniam. Fr. 1—15. [Anni 77. 76. a. Chr. n.]

CAP. II.

Bellum Sertorianum. Pompeii in Hispaniam iter et adventus. — Eius ingenium illustratur. — Rerum gestarum narrationi praemittitur descriptio ingenii Hispanorum. — Pugnae apud Lauronem, Italicam, ad Turiam sive Saguntum, aliae. — Metelli in ulteriorem provinciam recessus. — Incertioris sententiae Fragmenta quaedam ad Sertorium spectantia. Fr. 16—37. [Anni 77—75. a. Chr. n.]

CAP. III.

Bellum contra piratas in Pisidia et Pamphylia a P. Servilio gestum Fr. 38—40. [Anni 76—75. a. Chr. n.]

CAP. IV.

Bellum contra Macedonas et Dardanos a. C. Scrib. Curione gestum. Fr. 41—43. [Anni 75—74. a. Chr. n.]

CAP. V.

Res urbanae. — Contentiones de restituenda potestate tribunicia. — Annonae caritas, eaque ortus plebis tumultus. — C. Cottae consulis oratio. — Terrae motus. Fr. 44—52. [Anni 76. 75. a. Chr. n.]

CAP. VI.

Bellum Mithridaticum tertium. — De Mithridatis genere et maioribus, tum quo ingenio ac moribus fuerit, exponitur. — Belli initia et adiutores. — M. Cottae clades ad Chalcedonem. Fr. 53—60. [Annus 74. a. Chr. n.]

CAP. VII.

Fragmenta incertioris explicationis spectantia ad Pompeium, ad Sertorium, ad pugnas et res bellicas, ad terrarum urbiumque situm, denique ad facta singularia. Fr. 61—90.

CAP. VIII.

Fragmenta paucissimis verbis composita. Fr. 91—103.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER II.

Cap. I.

Lepidi res extremae ac mors in Sardinia narrantur. — Insulae descriptio et antiquitates. — Corsicae descriptio. — Perpernae cum Lepido coniuncti fuga ex Sicilia et Corsica in Galliam indeque in Hispaniam. Fr. 1—15.

1. Quum praedixero positum insulae.

2. Sardinia in Africo mari facie vestigi humani in orientem quam occidentem latior prominet.

3. Ichnusa.

4. Sardus Hercule procreatus cum magna multitudine a Libya profectus Sardiniam occupavit et ex suo vocabulo insulae nomen dedit.

5. Daedalum ex Sicilia profectum, quo Minonis fugerat iram atque opes.

6. Daedalus primum Sardiniam, post delatus est Cumas.

7. Aristaeus post laniatum a canibus Actaeonem filium matris instinctu Thebas reliquit, et Cretam insulam tenuit primo, adhuc hominibus vacuam; postea, ea relicta, cum Daedalo ad Sardiniam transitum fecit.

Fr. 1.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 47. Lepidi rebus extremis in Sardinia praemittitur descriptio insulae.

Fr. 2.] Gell. XIII, 29, 5. Non. I, 262. p. 58, 1. Merc. Isidor. XIV, 6, 39. p. 453. Lind. Sardiniae forma et situs.

facie vestigi humani] Inde Graecis dicta fuit *Σανδαλώτη*, *Σανδαλιῶτις*, *Ἰχνοῦσα*; cf. Hesych. II. p. 1149. Alb. Pausan. X, 17, 1. p. 664. Bekk. Plin. H. N. III, 13.

Fr. 3.] Solin. Polyhist. c. 10.

Fr. 4.] Isidor. XIV, 6, 39. p. 453. Lind. coll. Solin. Polyhist. c. 10. Sil. It. XII, 358 sqq. Pausan. X, 17, 2.

vocabulo] i. e. nomine; cf. Tac. Ann. XII, 27, 1. 66, 3. XIII, 12, 1.

Fr. 5.] Priscian. VI, 13, 70. p. 265. Kr. — *Quo Minonis fugerat iram*, i. e. quo fugerat, ut Minonis irae se subtraheret.

Fr. 6.] Serv. ad Virg. Aen. VI, 14.

Fr. 7.] Serv. ad Virg. Georg. I, 14. — Aristaeus, numen agri proventibus prospiciens, a Graecis colonis in Sardinia propter soli fertilitatem cultus est; inde fabula de eius in insulam adventu nata.

Fr. 8.] Probus II, 1, 16. p. 107. Lind. Intelligitur *Aristaeus*; cf. Serv. ad Virg. G. I, 14. IV, 317.

Fr. 9.] Serv. ad Virg. Aen. VII, 662. Geryonis mentio facta in Sardiniae antiquitatibus illustrandis.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

8. Apollinis filio et Cyrenes.

9. Geryonis.

10. Troiano tempore invadendarum terrarum caussa fuerat navigatio [*uti Sallustius meminit*].

11. Capys Campaniam, Helenus Macedoniam, alii Sardiniam [*secundum Sallustium*] tenuerunt.

12. Tarrhos.

13. Sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope littora regebat Corsa nomine Ligus mulier.

14. Ne illa tauro paria sint.

15. Perrexere in Hispaniam an Sardiniam.

Cap. II.

Bellum Sertorianum. Pompeii in Hispaniam iter et adventus. — Eius ingenium illustratur. — Rerum gestarum narrationi praemittitur descriptio ingenii Hispanorum. — Pugnae apud Lauronem, Italicam, ad Turiam sive Saguntum, aliae. — Metelli in ulteriorem provinciam recessus. — Incertioris sententiae Fragmenta quaedam ad Sertorium spectantia.

---

16. Narbone per concilium Gallorum.

17. Pompeius cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat. [Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se et milites frequentibus exercitiis praeparasset ad proelia.]

Fr. 10.] Serv. ad Virg. Aen. I, 299. Agitur et hoc et seq. Fragm. de migrationibus populorum antiquissimis.

Fr. 11.] Serv. ad Virg. Aen. I, 601.

Fr. 12.] Probus II, 1, 44. p. 123. II, 1, 50. p. 129. Lind. *Tarrhi* urbs fuit Sardiniae.

Fr. 13.] Priscian. VI, 15, 80. p. 274. Kr. Isidor. XIV, 6, 41. p. 453. Lind. In Lepidi rebus tradendis Sallustius Sardiniae descriptioni adiunxit Corsicam.

Fr. 14.] Donat. ad Ter. Andr. IV, 2, 23. Verba pertinent ad eandem fabulam ut Fr. 13. de tauro Corsicam Liguribus monstrante.

Fr. 15.] Serv. ad Virg. Aen. I, 329. Intelligi videntur reliquiae copiarum Perpernae, ex Sicilia partim in Hispaniam partim in Sardiniam transgressae.

an Sardiniam] De *an* particula in disiunctione posita cf. Attius ap. Prisc. VI, 1, 3. p. 219. Kr. *Ex taurigeno semine ortam fuisse an humano eam.* Cic. Epp. ad Famm. XIII, 29, 9. *Non plus duobus an tribus mensibus.*

Fr. 16.] Cledon. p. 1876. Putsch. Verba spectare videntur ad Pompeii iter per Galliam, quum adversus Sertorium proficisceretur.

Fr. 17.] Veget. R. M. I, 9. Pompeii consuetudo militaris, multum a Metelli mollitie (v. Fr. II, 29.) dis-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

18. Neque virgines nuptum a parentibus mittebantur, sed ipsae belli promptissumos delegebant.

19. [*Sallustius ait*] Hispanorum morem fuisse, ut in bella euntibus iuvenibus parentum facta memorarentur a matribus.

20. Celtiberi se regibus devovent et post eos vitam refutant.

21. Quis a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus positae erant; prima, qui fronte venientis exciperent.

22. Receptis plerisque signis militaribus cum Laeli corpore.

23. Occurrere duci et proelium accendere, adeo uti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent.

24. Inter laeva moenium et dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit.

25. Avidis ita promptisque ducibus, ut Metellus ictu tragulae sauciaretur.

crepans, post ipsum eius in Hispaniam ingressum narratur.

Fr. 18.] Arus. p. 256. Lind. Hispanorum mores ad fortitudinem bellicam comparati hoc et duobus seqq. Fragm. laudantur.

Fr. 19.] Serv. ad Virg. Aen. X, 281.

Fr. 20.] Serv. ad Virg. Georg. IV, 218. De *devotionis* more cf. Valer. Max. II, 6, 11. Plut. in Sert. c. 14.

post eos] i. e. iis occisis vel mortuis.

vitam refutant] i. e. vitam aspernantur, vivere nolunt.

Fr. 21.] Serv. ad Virg. Georg. II, 98. et ad Aen. X, 896. Pertinet Fr. ad pugnam ad Lauronem a. 77. a. Chr. n. commissam, quae prima fuit inter Pompeium et Sertorium; cf. Frontin. Strateg. II, 5, 31. Appian. B. C. I, 109. Plut. in Sert. c. 18.

prima] sc. *insidia*, quod valde insolenter dictum esse notavit Servius II, 11. et Charis. I, 18, 8. p. 54. Lind. (p. 75. P.).

fronte] i. e. *exadversum*, *contra*.

Fr. 22.] Commentator vetus ad Cic. p. Flacc. apud Ang. Maium in Auct. class. Tom. II. p. 16. Clades, qua cecidit Laelius, facta est extremo anno 77. a. Chr. paulo post proelium Lauronense, quo ille adhuc legatus fuit, teste Front. Strateg. II, 5, 31. cf. Iul. Obseq. c. 119. *Mam. Aemilio, D. Bruto coss. Didius Laelius legatus Pompeii — in Hispania adversus Sertorium inter pabulatores occisus.*

Fr. 23.] Non. XIV, 10. p. 538, 20. Merc. Verba pertinent ad pugnam apud *Italicam* a. 75. a. Chr. commissam; cf. Oros. V, 23. Liv. Epit. 91. Flor. III, 22, 7.

Fr. 24.] Priscian. VI, 2, 9. p. 224. et V, 2, 6. p. 189. Kr. Prob. II, 1, 15. p. 105. Phocas II, 1. p. 324. Lind. Verba intelligenda sunt de pugna *Turiensi* a. 75. commissa, qua Pompeius Herennium et Perpernam vicit; cf. Plut. in Pomp. c. 18.

inter laeva moenium etc.] i. e. *inter moenia* (Valentiae), *quae erant a laeva, et flumen Turiam, quod erat a dextra.*

Fr. 25.] Non. IV, 432. p. 398, 7. et XVIII, 8. p. 553, 27. Merc. Fragm. intelligendum de pugna apud *Sa-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

26. Sed Metellus in volnere.

27. Saguntini, fide atque aerumnis incluti prae mortalibus, studio maiore quam opibus (quippe apud quos etiam tum semiruta moenia, domus intectae parietesque templorum ambusti manus punicas ostentabant) . . .

28. Saguntium.

29. At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus magna gloria concurrentium undique virile ei muliebre secus per
2 vias ac tecta omnium visebatur. Eum quaestor C. Urbinus aliique, cognita voluntate, quum ad coenam invitavissent, ultra Romanorum ac mortalium etiam morem curabant, exornatis aedibus per aulaea et signa, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis; simul
3 croco sparsa humus, et alia, in modum templi celeberrumi. Prae-

guntum a. 75. facta; cf. Plut. in Sert. c. 21. Appian. B. C. I, 110.

avidis — promptisque] *Avidi* sunt *pugnandi cupidi; — prompti*, qui *ipsi pugnam strenue capessunt.*

Fr. 26.] Donat. ad Ter. Andr. II, 1, 10. De eodem proelio haec sunt capienda.

Fr. 27.] Hieronym. ad Habacuc. c. 9. Agi videtur de opera et officiis, quae Saguntini Romanis post pugnam in eorum urbem se recipientibus praestabant.

fide atque aerumnis] Per ἓν διὰ δυοῖν dictum est pro *fide aerumnosa*, i. e. fide, quae aerumnas pepererat.

Fr. 28.] Charis. I, 21, 191. p. 82. Lind. (p. 115. P.). Genitivus pluralis est pro *Saguntiorum*; Sallustius enim pro *Saguntinus* etiam dixit *Saguntius.*

Fr. 29.] Macrob. Saturn. II, 9. Non. III, 193. p. 222, 21. Merc. II, 859. p. 180, 20. IV, 135. p. 286. Serv. ad Virg. Aen. V, 488. Locus insignis de Metelli fastu et luxuria.

post annum] i. e. postquam totum annum, qui probabiliter fuit annus 75. a. Chr. n., abfuit.

magna gloria concurrentium] i. e. *magna et officiosa honoris significatione concurrentium*, sive *cum magnis honoribus habitis ei a concurrentibus.*

§. 2. *aulaea*] i. e. vela picta auroque distincta, quae parietibus inserviebant tegendis lectisque consternendis; cf. Valer. Max. IX, 1, 5. *Quid sibi voluit Metellus Pius tunc, quum in Hispania adventus suos ab hospitibus aris et ture excipi patiebatur? quum Attalicis aulaeis contectos parietes laeto animo intuebatur? quum immanibus epulis apparatissimos interponi ludos sinebat? quum palmata veste convivia celebrabat, demissasque lacunaribus aureas coronas velut coelesti capite recipiebat?*

signa] i. e. varia artis opera, velut *tabulae pictae, statuae, opera caelata*; cf. Cat. II, 6.

ad ostentationem histrionum] i. e. ad exhibendos histriones.

crocus] sc. tritus et vino dilutus, quo theatra et templa perfundebantur suavissimi odoris gratia.

et alia] sc. facta sunt, quae fieri solent in templo celeberrumo.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

terea quum sedenti transenna demissum Victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat, tum venienti ture quasi deo supplicabatur. Toga picta plerumque amiculo 4
erat ei accumbenti; epulae quaesitissumae, neque per omnem modo provinciam, sed trans maria ex Mauretania volucrum et ferarum incognita antea plura genera. Quibus rebus aliquantam partem glo- 5
riae demiserat, maxume apud veteres et sanctos viros, superba illa, gravia, indigna Romano imperio existumantes.

30. Sed Metellus in ulteriore provincia.

31. Quem ex Mauretania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat.

32. Ut alii tradiderunt, Tartessum Hispaniae civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gadir habent.

33. Antequam egressus Sertorius instruere pugnae suos.

34. Titurium legatum cum cohortibus XV in Celtiberia hiemem agere iussit praesidentem socios.

§. 3. *sedenti — capiti imponebat*] Per figuram, quae dicitur σχῆμα κατὰ ὅλον καὶ μέρος, *sedenti* participio, quo totum significatur, additur *capiti*, quod partem designat.

transenna] *Funis* potius videtur, quam *rete*.

cum machinato etc.] cf. Phaedr. Fabb. V, 7, 23. *Aulaeo misso, devolutis tonitrubus. Dii sunt locuti.*

ture — supplicabatur] cf. Cic. de Off. III, 20, 80. *Omnibus vicis statuae* (sc. positae sunt Mario); *ad eas tus, cerei* (sc. oblati). Senec. de Ira III, 18. *M. Mario ture et vino Romanus populus supplicabat.*

§. 4. *toga picta*] Eandem Valer. Max. IX, 1, 5. vocat *vestem palmatam*, i. e. palmae foliis distinctam. Quae quum inter insignia *triumphantium* esset, Plutarchus eam in Sert. c. 22. ἐσθῆτα θριαμβικήν dicit, ex quo, quantus Metelli fastus fuerit, facile intelligitur.

amiculo] i. e. pro amiculo, sive *veste vulgari*.

quaesitissumae] Haec vox, quae ad *epulae* relata adiectivum est, in sequentibus (*per — provinciam, ex Mauretania* etc.) aperte transit in participii *quaesitae* potestatem. — Ad Metelli luxuriam Sallustius etiam in Cat. 13, 3. alludere videtur.

§. 5. *aliquantam*] cf. Iug. 74, 3.

veteres] sc. *ob aetatem severiores*, et a levitate adolescentium, quibus luxuriosa Metelli superbia placebat, alieni.

gravia] i. e. pestifera, noxia, turpia; cf. Iug. 38, 10.

Fr. 30.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 4, 15.

Fr. 31.] Priscian. V, 2, 5. p. 169. Kr. Quamquam ignoratur, de quonam haec dicantur, tamen apertum est ad Sertorii res pertinere.

Fr. 32.] Priscian. V, 3, 18. p. 179. et VI, 9, 45. p. 249. Kr. In Sertorii rebus de Tartesso mentio facta videtur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

35. Hi saltibus occupatis Termestinorum agros invasere, frumentique ex inopia gravi satias facta.

36. Quae pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat.

37. Ad haec rumoribus advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant.

CAP. III.

Bellum contra piratas in Pisidia et Pamphylia a P. Servilio gestum.

38. Nisi quia flumen Durda Tauro monte defluens.

39. Fessus in Pamphyliam se receperat.

40. Lyciae Pisidiaeque agros despectantem.

CAP. IV.

Bellum contra Macedones et Dardanos a C. Scrib. Curione gestum.

41. Eodem anno in Macedonia Gaius Curio, principio veris cum omni exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit modis pecunias Appio dictas coegit.

Fr. 33.] Arus. p. 237. Lind.

Fr. 34.] Arus. p. 252. Lind. De Metello haec capienda contra Sertorium bellum gerente.

praesidentem socios] *Praesidere* c. accus. valet *tutari*, *praesidio esse*; cf. Fr. III, 76. Tacit. Ann. IV, 5, 1. *Italiam — duae classes — praesidebant.*

Fr. 35.] Non. II, 791. pag. 172, 11. Merc. Ad Sertorianum bellum haec spectare clarum est; sed utrum Sertoriani an Pompeiani milites significentur, non liquet.

ex inopia] i. e. *post* inopiam; v. ad Cat. 4, 1.

Fr. 36.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 1, 4. Pecunia haud dubie ab adversariis intercepta fuit, aut alio modo eius usus Metello ereptus.

facta erat] cf. ad Fr. Inc. 33.

Fr. 37.] Non. IV, 403. p. 204, 13. Merc. Agitur de Sertorii clandestinis adversariis, iniquis sermonibus eius famam atque auctoritatem imminuere studentibus; cf. Plutarch. in Sert. c. 25.

declinando] i. e. trahendo, vertendo, interpretando; cf. Iug. 92, 2. Tacit. Ann. XIV, 38, 3. — Obiectum *corrumpebant* verbi excidit; fortasse fuit *exercitum*, vel *bonam Sertorii famam*, vel simile quid.

Fr. 38.] Priscian. VI, 2, 10. p. 224. Kr. *Tauri* montis mentio ostendit haec de bello piratico esse dicta.

Fr. 39.] Serv. ad Virg. Aen. VIII, 232. Intelligendus videtur piratarum dux a Servilio pressus.

Fr. 40.] Serv. ad Virg. Aen. I, 424. *Despectantem* dictum videtur de *Tauro* monte.

Fr. 41.] Non. IV, 122. p. 280, 20. Merc. — C. Scribonius Curio quum a. 75. a. Chr. n. in provinciam abiisset, *eodem anno* intelligendum est de anno 74.

pecunias Appio dictas] i. e. *p. ab Appio imperatas.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

42. Primam modo Iapydiam ingressus.

43. Stobos.

CAP. V.

Res urbanae. — Contentiones de restituenda potestate tribunicia. — Annonae caritas, eaque ortus plebis tumultus. — C. Cottae consulis oratio. — Terrae motus.

---

44. Ut actione desisteret.

45. Quia corpore et lingua percitum et inquietem nomine histrionis vix sani Burbuleium appellabat.

46. Canina, ut ait Appius, facundia exercebatur.

47. Publiusque Lentulus Marcellinus eodem auctore quaestor in novam provinciam Curenas missus est, quod ea, mortui regis Apionis testamento nobis data, prudentiore quam illas per gentis et minus

Fr. 42.] Serv. ad Virg. Georg. III, 475.

Fr. 43.] Probus p. 120. Lind. (p. 1462. P.).

Fr. 44.] Arus. p. 224. Lind.

Fr. 45.] Priscian. VI, 11, 58. p. 256. Kr. Fragm. pertinet ad Scrib. Curionem; cf. Valer. Max. IX, 14, 5. *M. Messalla consularis et censorius Menogenis, Curio omnibus honoribus abundans Burbuleii, ille propter oris aspectum, hic propter parem corporis motum, uterque scenici nomen coactus est recipere.*

corpore et lingua percitum] i. e. corpus perpetuo moventem et iactantem, lingua praecipitata ac diffluente utentem.

appellabat] sc. *Cn. Sicinnius*, tribunus plebis, Cicerone teste in Bruto c. 60, 216. homo impurus, sed admodum ridiculus.

Fr. 46.] Non. I, 298. p. 60, 25. Merc. Lactant. Inst. div. VI, 18, 26. Quint. XII, 9, 9.

canina facundia] Ea est mordacium rabularum de foro ac turbulentorum hominum, adversarios proterva dicacitate lacessentium et lacerantium.

Appius] Intelligendus est App. Claudius Caecus.

Fr. 47.] Palimps. Tolet.

eodem auctore] i. e. eiusdem suasu. Quis ille fuerit, non liquet.

Curenas] Insolentior forma pro *Cyrenas*.

regis Apionis testamento] Id factum a. 96. a. Chr. teste Obseq. c. 109. Sed anno demum 75., quum tyranni Cyrenis exstitissent summa libidine civitatem tractantes, Cyrene in provinciae formam redacta est; cf. Appian. B. C. 111.

quam illas per gentis] Comparativa hac sententia significatur in universum orientalium principes parum prudentia valere ad civitates liberas regendas.

avidi] sc. *rectoris*; intelligitur Nicocrates, eiusque frater Leander, qui in libera Cyrenensium civitate immoderata tyrannide exercenda gloriam dominationis quaesiverant; cf. Plutarch. de mulier. virt. c. 19.

continenda] i. e. coercenda, regenda; cf. Liv. XXV, 37, 2. XXIX, 36, 10. XXXIX, 28, 2.

Fr. 48.] Non. VI, 9. p. 449, 29. Merc. — Roma urbs quum anno 75. a. Chr. n. fame vehementer premeretur, id malum eo augebatur, quod latrones, i. e. piratae, multos com-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

gloriae avidi imperio continenda fuit. Praeterea divorsorum ordinum ....

48. Multique commeatus interierant insidiis latronum.

49. ... is saevitia. Qua re fatigata plebes forte consules ambo, Q. Metellum, cui postea Cretico cognomen inditum, et candidatum praetorium, sacra via deductos, cum magno tumultu invadit, fugientisque secuta ad Octavi domum, quae propior erat, in ..... lum pervenit.

50. *Oratio C. Cottae consulis ad populum.*

Dein Cotta in hunc modum disseruit:

Quirites, multa mihi pericula domi militiaeque, multa advorsa fuere, quorum alia toleravi, partim reppuli deorum auxiliis et virtute mea, in quis omnibus nunquam animus negotio defuit, neque

meatus interceperant; v. ad Fr. II, 50, 7.

Fr. 49.] Palimps. Tolet. — Fame ad desperationem adacta plebs tumultuatur, et Cottam consulem in sacra via invadit.

... is saevitia] Haec ita cohaesisse videntur cum Fragmento antecedente: „multique commeatus interierant insidiis latronum, *ut in dies magis ingravesceret fam*is saevitia."

consules ambo] sc. L. Octavium et C. Aurelium Cottam.

postea] Anno 68. p. Chr. n., bello per triennium gesto; cf. Oros. VI, 4. Vell. II, 34.

candidatum praetorium] i. e. unum ex iis, qui tum praeturam peterent.

forte — deductos] i. e. quum forte cum comitatu suo incederent. De *deducendi* more cf. Cic. de petit. cons. c. 9.

invadit] Non est *armis aggreditur*, sed *circumstat, premit, conviciis minis atque exsecrationibus terret.*

ad Octavi domum] Octavii consulis domus fuisse videtur, quae postea Scauri fuit. De eius situ cf. Ascon. ad Cic. or. p. Scaur. p. 27. Orell. *Demonstrasse vobis memini me, hanc domum in ea parte Palatii esse, quae, quum ab sacra via descenderis et per proximum vicum, qui est ab sinistra, prodieris, posita est.*

quae propior erat] sc. quam Cottae consulis domus, quae propterea minus celere refugium praebebat fugientibus.

Fr. 50.] Codd. Vatt. tres, Ursini et Ciacc. duo, Balliol. Praeterea initii orationis vestigia pauca comparent in Palimps. Tolet.

Tumultu, ut Fragm. praecedente dictum est, in sacra via exorto quum valde pressus Cotta cos. in Octavii domum confugere cogeretur, ubi primum furor defervit multitudinis, prodiit, populumque oratione delenire studuit, hoc imprimis agens, ut et rerum adversarum, quibus civitas conflictaretur, se insontem esse doceret, et paratum se ostenderet ad animam pro republica vovendam, si mortem suam, quam ei videntur minati esse, praesentibus incommodis mederi posse crederent; sin minus, tolerarent forti animo adversa, et reipublicae consulerent.

Dein Cotta — disseruit] Palimps. Tolet. vestigia, et Priscian. XVIII, 24, 202. p. 199. Kr.

toleravi] Pertinet hoc verbum ad

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

decretis labos; malae secundaeque res opes, non ingenium mihi mutabant. At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere. Praeterea senectus, per se gravis, curam duplicat, cui misero acta iam aetate ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam si parricida vostri sum, et bis genitus hic deos penatis meos patriamque et summum imperium vilia habeo, quis mihi vivo cruciatus satis est, aut quae poena mortuo? quin omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici. A prima adulescentia in ore vostro privatus et in magistratibus egi; qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt; neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciundum exercui; avidissumus privatae gratiae maxumas inimicitias pro republica suscepi; quis victus cum illa simul, quum egens alienae opis plura mala exspectarem, vos, Quirites, rursus mihi patriam deosque penatis cum in-

advorsa, qua voce Cotta exilium suum intelligi vult, *reppuli* vero ad *pericula domi militiaeque*, quibus tum contentiones civiles tum belli aspera significat.

decretis] i. e. iis, quae decreveram, sive facere constitueram.

opes — ingenium] Accusativi sunt, sententia haec: prout res vel malae vel secundae erant, *opes* mihi variae, modo exiguae, modo magnae, fuerunt, sed *ingenium*, quod ex rebus non pependit, semper *idem* fuit.

§. 2. *cuncta*] sc. quae me adhuc sustentarunt, *animus*, *laborum patientia*, *vis ingenii*.

senectus] Quum Cotta, qui tum agebat annum undequinquagesimum, proprie senex non esset, senectutem eo maxime commemorasse videtur, ut populi misericordiam commoveret.

§. 3. *parricida vostri*] i. e. si res vestras et salutem civitatis prodidi (Germanice *ein Hochverräther an euch*); cf. Cat. 31, 8.

bis genitus] i. e. ex exilio in civitatem restitutus. Qua qui carebant, quum mortuorum instar essent, redditu in patriam quasi denuo nati sibi videbantur; cf. Cic. Epp. ad Attic. IV, 1 extr. VI, 6 extr. p. red. in Sen. 11, 27.

memorata apud inferos] i. e. quae *apud inferos esse* memorantur.

scelere meo vici] i. e. omnia supplicia minora sunt pro scelere meo; cf. Cat. 51, 8.

§. 4. *in ore vostro*] cf. Iug. 31, 10. Hist. Fr. I, 98.

voluere] sc. *uti*; cf. §. 5. *quam nequeo*; sc. *concedere*.

qui lingua etc.] Significat Cotta operam forensem suam, multis praestitam.

callidam] i. e. perfidam, ambiguam, utrique parti inservientem et adulantem.

avidissimus etc.] i. e. quamquam avidissumus eram singulorum civium gratiam inire, tamen, quum bonum publicum pluris mihi esset, in maximas inimicitias reipublicae caussa incidi.

quis victus cum illa simul etc.] Inimici Cottae, quum eum tribunatu depulissent (cf. Cic. de Orat. III, 3, 11.), paulo post lege Varia postularunt (cf. Cic. Brut. 56, 205.);

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

genti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo, concesserim; nam vita et mors iura naturae sunt; ut sine dedecore cum civibus fama et fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur. Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique impeditissuma republica. Namque imperatores Hispaniae stipendium, milites, arma, frumentum poscunt; et id res cogit, quoniam defectione sociorum et Sertori per montis fuga neque manu certare possunt, neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur, Macedonia plena hostium est, nec minus Italiae marituma et provinciarum, quum interim vectigalia parva et bellis incerta vix partem sumptuum sustinent; ita classe, quae commeatus tuebatur, minore quam ante navigamus. Haec si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite, ut monet ira, supplicium sumite; sin fortuna communis

quod iudicium ut effugeret, a. 90. a. Chr. n. in exilium abiit, teste Appiano B. C. I, 37. — Cum *republica simul* se victum dicit Cotta, quia *optimates*, quos ille *rempublicam* intelligit, a Marianis oppressi iacuerunt usque ad Sullae reditum, a. 82. a. Chr. n. factum.

cum ingenti dignitate] i. e. cum consulatu.

§. 5. *Pro quibus beneficiis — accipitur*] Totius periodi sententia haec est: *tanta beneficia non animâ concedendâ rependi possunt* (mors enim naturae necessitati paret), *sed recte honesteque agendo*. Subest igitur hoc, quod Cotta sequentibus persequitur: Quare, omissa ira, vobis persuadete *nihil me malo animo in vos fecisse*, sed praesentes res adversas temporibus esse tribuendas.

§. 6. *imperatores Hispaniae*] Metellus et Pompeius.

stipendium — poscunt] cf. Hist. Fr. III, 1, 2.

manu certare] i. e. comminus congredi, iustis proeliis certare; cf. Iug. 57, 4.

utilia] i. e. quae bello usui sunt; cf. Iug. 86, 1. — Per chiasmum *utilia parare* refertur ad *defectione sociorum*.

§. 7. *in Asia*] i. e. in provincia Romana, cui *Asiae* nomen fuit. Ea complectebatur Mysiam et Hellespontum cum Troade, Aeolidem, Ioniam, Doridem cum Rhodo insula, Lydiam, Phrygiam et Cariam.

ob nimias opes Mithridatis] sc. quas ille parabat, ut appareret eum primo quoque tempore bellum sumpturum.

Macedonia] cf. Fr. II, 41. 42. 43.

Italiae marituma etc.] sc. infestata a piratis; cf. Fr. II, 48. Cic. de imp. Cn. Pomp. c. 12. Plutarch. in Pomp. c. 24.

partem] Praegnanti sensu est *exiguam partem, aliquid modo*, sed minime totum.

ita] i. e. rebus ita comparatis; cf. Cat. 8, 4. — Tota sententia eo spectat, ut caussa reddatur, cur senatus gravi annonae mederi non valeat; cf. Fr. II, 48.

§. 8. *contracta*] i. e. orta, effecta; v. ad Fr. I, 49, 19.

communis] i. e. *omnium*, et vestra et nostra, qui pariter affligimur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

asperior est, quare indigna vobis nobisque et republica incipitis? Atque ego, cuius aetati mors propior est, non deprecor, si quid 9
ea vobis incommodi demitur; neque mox ingenio corporis honestius, quam pro vostra salute, finem vitae fecerim. Assum en Gaius 10
Cotta consul; facio, quod saepe maiores asperis bellis fecere; voveo dedoque me pro republica, quam deinde cui mandetis circumspicite. Nam talem honorem bonus nemo volet, quum fortunae et 11
maris et belli ab aliis acti ratio reddunda, aut turpiter moriundum sit. Tantummodo in animis habetote non me ob scelus aut avari- 12
tiam caesum, sed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dedisse. Per vos, Quirites, et gloriam maiorum, tolerate advorsa, 13
et consulite reipublicae. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores, quos nequicquam abnuitis, et pacis opulentiam 14
quaeritis, quum omnes provinciae, regna, maria terraeque aspera aut fessa bellis sint.

51. Neque apud Sallustium, neque apud Livium, neque apud Fenestellam ullius alterius ab eo latae legis mentio, praeter eam, quam in consulatu [*tulit repugnante*] nobilitate, magno populi studio, ut iis

§. 9. *propior*] sc. quam vegeta ac florens iuventus; cf. §. 2.

deprecor] sc. mortem, quam mihi minamini.

ingenio corporis] *Ingenium* quum dicatur pro *natura atque indole* (cf. Fr. I, 67. III, 17.), sensus est: *quum corporis natura mortalis sit.*

finem vitae fecerim] Intransitivo sensu significat *moriar, vita defungar.* Hoc enim dicit Cotta: non deprecor mortem a vobis, neque honestiorem putaverim vitae finem mortali corporis natura mox mihi instantem, quam pro vostra salute a vobis nunc mihi allatum.

§. 10. *saepe maiores — fecere*] cf. Cic. Tusc. I, 37, 89. *Mors si timeretur, non L. Brutus — in proelio concidisset; non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos se hostium telis obiecissent; non uno bello pro patria cadentes Scipiones Hispania vidisset, Paulum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum, Litana Albinum, Lucania Gracchum.*

§. 11. *et maris et belli*] Pendent hi genitivi ex *fortunae.*

§. 13. *per vos* etc.] cf. Iug. 14, 25.

§. 14. *summo imperio*] sc. *vestro*, quibus verbis Cotta populum maiestatis suae admonet.

pacis opulentiam] Spectant haec ad querelas de annonae gravitate; v. ad Fr. II, 48.

Fr. 51.] Ascon. ad Cic. p. Corn. p. 66. Orell. Lex a Sallustio commemorata fuit *Aurelia*, lata a C. Aurelio Cotta cos. cf. Hist. Fr. III, 81, 8. Cic. Fragm. or. p. Corn. p. 78. Orell.

Fr. 52.] Isidor. XIV, 1, 2. p. 433. Lind. Serv. ad Virg. Georg. II, 479. Verba videntur intelligenda de terrae motu, quo Reate a. 76. a. Chr. n. afflictum est; cf. Obsequens de Prodigg. c. 120.

praecipitati — rupti] sc. *sunt.*

Fr. 53.] Ampel. lib. mem. c. 30,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

[*qui tribuni plebis*] fuissent, alios quoque magistratus [*capere liceret*], quod lex a dictatore Sulla paucis [*ante annis*] lata prohibebat.

52. Venti per cava terrae praecipitati, rupti aliquot montes, tumulique sedere.

CAP. VI.

Bellum Mithridaticum tertium. — De Mithridatis genere et maioribus, tum quo ingenio ac moribus fuerit, exponitur. — Belli initia et adiutores. — M. Cottae clades ad Chalcedonem.

53. A Dario Artabazes originem ducit, quem conditorem regni Mithridatis fuisse [*confirmat Sallustius Crispus*].

54. Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus, matre veneno interfecta.

55. Mithridates [*auctore Sallustio*] et fratrem et sororem occidit.

56. Mithridates corpore ingenti perinde armatus.

57. Quos advorsum multi ex Bithynia volentes occurrere, falsum filium arguituri.

58. Ibi Fimbriana seditione, qui regi per obsequelam orationis et maxume odium Sullae graves carique erant.

5. — Cf. Flor. III, 5, 1. Appian. B. Mithrid. c. 112.

Fr. 54.] Serv. ad Virg. Aen. V, 295. — *Extrema pueritia* i. e. pueritiam nondum plane egressus.

ingressus] cf. Iug. 43, 2. Quint. VI, 1, 35. — De re ipsa cf. Eutrop. VI, 12. Appian. B. Mithrid. c. 112. Memno ap. Phot. p. 230. b. Bekk.

Fr. 55.] Schol. Gronov. ad Cic. p. l. Man. c. 9, 22. p. 439. Orell.

Fr. 56.] Quintil. VIII, 3, 82. — *Perinde* comparatione refertur ad *corpore ingenti*. Sensus est: armis instructus ingenti corporis magnitudini congruentibus. cf. Flor. I, 13, 4. Appian. B. Mithr. c. 112.

Fr. 57.] Priscian. X, 2, 12. p. 481. Kr. Verba ad res Mithridatis pertinere colligitur ex *Bithyniae* commemoratione, quam rex Ponticus initio belli invaserat; cf. Hist. Fr. IV, 20, 10 sq. Appian. B. Mithr. c. 71.

falsum filium arguituri] Intelligendus videtur Nicomedis filius Nysa natus (v. Fr. IV, 20, 9.), quem multi, quia materno genere impar erat, pro spurio haberi vellent. — *Volentes* est *sua sponte*, *prompti*.

Fr. 58.] Non. III, 151. p. 215, 33. Merc. — Fragm. pertinet ad L. Magium et L. Fannium, qui ex Fimbriana seditione, a. 86. a. Chr. n. orta, in Asia remanserant, Mithridatem tum ad bellandum exstimulantes; cf. Oros. 17, 2. Appian. B. Mithr. c. 68. Cic. in Verr. I, 34, 87.

obsequela orationis] i. e. composita ad favorem captandum adulatio; cf. Plutarch. in Sert. c. 23.

odium Sullae] Fimbriani enim, a Cinna sub Valerio Flacco consule, quem Fimbria postea interfecit, in Asiam missi ad Sullam praevertendum, Marianarum erant partium.

graves carique] Illud pertinet ad *auctoritatem*, qua erant apud regem, hoc ad *benevolentiam*.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

59. Ruuntque pars magna suismet aut proxumorum telis, ceteri vicem pecorum obtruncabantur.

60. Turmam equitum castra regis succedere, et properationem explorare iubet.

Cap. VII.

Fragmenta incertioris explicationis spectantia ad Pompeium, ad Sertorium, ad pugnas et res bellicas, ad terrarum urbiumque naturam atque situm, denique ad facta singularia.

---

61. Nam illam Sullam consulem de reditu eius legem ferentem ex composito tribunus plebis C. Herennius prohibuerat.

62. Noctu diuque stationes et vigilias tentare.

63. Neque subsidiis, uti soluerat, compositis.

64. Ad hoc pauca piratica actuaria navigia.

65. Parva legio flumen transducta castra dilatavit.

66. At illi, quibus res incognita erat, ruere cuncti ad portas, inconditi tendere.

67. E muris canes sportis demittebant.

68. Ille festinat subsidiis principes augere et densere frontem.

69. Terror hostibus ex fiducia sui incessit.

Fr. 59.] Non. IX, 5. p. 497, 25. Merc. Verba videntur de M. Cottae cos. clade ac fuga ad Chalcedonem facta intelligenda; cf. Appian. B. Mithr. c. 71. Hist. Fr. IV, 20, 13.

ruunt] i. e. cadunt, concidunt.

Fr. 60.] Arus. p. 260. Lind. *Regis* mentio ostendit haec de Mithridate esse dicta.

Fr. 61.] Gell. X, 20, 10.

de reditu eius] De Pompeio hoc dictum esse planissime patet ex Gellii l. l. Intelligitur autem eius ex *Africa* reditus; cf. Hist. Fr. I, 45. 46. 47.

legem ferentem] *Legem* a Sallustio dici quod proprie *privilegium* dicendum erat, Gellius docet l. l. Videtur autem, quantum ex Plutarcho in Pomp. c. 13. coniici potest, ea lege contentum fuisse, ut Pompeius sine exercitu ex Africa rediret.

ex composito — prohibuerat] Hoc ita videtur expediendum, ut statuatur Sullam, quum eum legis latae poenituisset, ne ipse eam abiicere videretur, cum Herennio composuisse, ut is prohiberet.

Fr. 62.] Charis. II, 14, 130. p. 123. Lind. (p. 185. P.).

Fr. 63.] Priscian. IX, 10, 54. p. 468. Kr. De forma *solui* cf. etiam Prisc. 8, 11, 61. p. 403. et Varro de L. L. IX, 61. p. 233. Müller.

Fr. 64.] Non. XIII, 9. p. 535, 2. Merc. *Actuaria navigia* Nonio auctore sunt *naviculae celeres*.

Fr. 65.] Arus. p. 265. Legio *castra dilatasse* videtur, ne hostes paucitatem suam cognoscerent; cf. Caes. B. G. IV, 30, 1. Liv. XXVII, 46, 2.

Fr. 66.] Serv. ad Virg. Ecl. II, 4. Agitur de trepidatione in obsessa ali-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

70. Circumventi a dextera, unde ferrum erat, saxa aut quid tale capita affligebant.

71. Suos equites hortatus vado transmisit.

72. Ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur.

73. Neque inermis ex proelio viros quemquam agnoturum.

74. Omnia sacrata corpora in rates imposuisse.

75. Primo incidit forte per noctem in lenunculo piscantis.

76. Immane quantum animi exarsere.

77. Genus militum suetum a pueritia latrociniis.

78. Genus hominum vagum et rapinis suetum magis quam agrorum cultibus.

79. Genus armis ferox et serviti insolitum.

80. Nam procul et divorsis ex regionibus.

81. Dubium, an insula sit, quod euri atque austri superiactis fluctibus circumlavitur.

82. Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit.

83. Omnes, qui circum sunt, praeminent altitudine milium passuum duorum.

84. Eam deditionem senatus per nuncios Orestis cognitam approbat.

qua urbe repentino malo vel improviso impetu orta.

Fr. 67.] Non. II, 833. p. 177, 22. Merc. Videntur obsessi *canes sportis demisisse* ad hostes terrendos ac disturbandos.

Fr. 68.] Eutych. II, 14. p. 192. Lind.

Fr. 69.] Arus. p. 242. Lind.

Fr. 70.] Arus. p. 215. Lind.

Fr. 71.] Arus. p. 265. Lind.

Fr. 72.] Donat. ad Ter. Adelph. III, 2, 21.

Fr. 73.] Priscian. X, 3, 19. p. 486. Kr.

inermis ex proelio] i. e. *qui sine armis*, vel *armis abiectis*, *ex proelio redissent*.

viros] Praegnanti sensu est *viros fortes ac strenuos*; cf. Cat. 40, 3. Ceterum obiectum verbi *agnoturum*, quod continetur verbis *inermis ex proelio*, ita definitur, ut *viros* idem valeat atque *pro viris*.

Fr. 74.] Arusian. p. 239. Lind.

Fr. 75.] Non. XIII, 8. p. 544, 30. Merc.

Fr. 76.] Non. II, 450. p. 127, 26. Merc.

Fr. 77.] Arusian. p. 262. Lind.

Fr. 78.] Arusian. p. 262. Lind.

Fr. 79.] Arusian. p. 241. Lind.

Fr. 80.] Charis. II, 14, 183. Lind. (p. 191. P.).

Fr. 81.] Non. X, 2. p. 503, 32. Merc. — *Dubium, an insula sit*, i. e. *paene pro insula haberi possit*.

Fr. 82.] Serv. ad Virg. Aen. I, 423.

Fr. 83.] Arusian. p. 256. Lind.

Fr. 84.] Priscian. VI, 11, 61. p. 258. Kr.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

85. Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem.
86. Vir gravis et nulla arte cuiquam inferior.
87. Et continetur gravis.
88. Ita fiducia quam argumentis purgatiores dimittuntur.
89. Haec postquam Varro in maius more rumorum audivit.
90. Quum multa dissereret ludis Apollini circensibus.
91. Et Poeni ferunt adversus a. n. c. m.

Cap. VIII.

Fragmenta paucissimis verbis composita.

92. Belli sane sciens.
93. Frugum pabulique laetus ager.
94. Ipse animi atrox.
95. Argentum mutuum accersivit.
96. Obviam fuere.
97. Post, ubi fiducia nimius.
98. Orbe terrarum extorres.
99. Vespera.
100. Copiis integra.
101. Moenibus deturbat.
102. Audaciter.
103. Diei medio.

Fr. 85.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 3, 18.
Fr. 86.] Arus. p. 242. Lind.
Fr. 87.] Non. IV, 284. p. 315, 5. Merc.
Fr. 88.] Non. IV, 205. p. 310, 21. Merc. Serv. ad Virg. Aen. II, 61. Donat. ad Ter. Phorm. I, 4, 15. Hecyr. IV, 1, 13.
Fr. 89.] Arus. p. 243. Lind.
Fr. 90.] Arus. p. 245. Lind.
Fr. 91.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 3, 19.
Fr. 92.] Comment. Cruq. in Hor. Epp. I, 15. Arus. p. 262. Lind.
Fr. 93.] Arus. p. 244. Lind. Serv. ad Virg. Aen. I, 441. XI, 338.
Fr. 94.] Arus. p. 215. Lind.
Fr. 95.] Priscian. X, 8, 45. p. 504. Kr.
Fr. 96.] Charis. II, 14, 142. p. 124. Lind. (p. 187. P.).
Fr. 97.] Arusian. p. 249. Lind.
Fr. 98.] Arusian. p. 229. Lind.
Fr. 99.] Charis. II, 14, 257. p. 133. Lind. (p. 198. P.).
Fr. 100.] Arus. p. 236. Lind.
Fr. 101.] Non. II, 253. p. 101, 15. Merc.
Fr. 102.] Priscian. XV, 4, 21. p. 625. Kr.
Fr. 103.] Arus. p. 247. Lind.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI
HISTORIARUM FRAGMENTA.
LIBER III.

ARGUMENTUM.

Cap. I.

Bellum Sertorianum extremum. — Pompeii epistola ad senatum. — Sertorii extrema tempora et caedes. — Perperna oppressus. — Calaguris obsidio. Fr. 1—7. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

Cap. II.

Bellum Mithridaticum. — Mithridatis ad Sertorium legatio de foedere — Eius apparatus belli. — Cyzici obsidio ac fortissima defensio. — Pestis in Mithridatis exercitu. — Luculli expeditiones in Bithynia. — Mithridates in Pontum se recipit; eum Lucullus sequitur. — M. Cottae cum P. Oppio dissensio. — Ponti, i. e. maris pontici et circumiacentium terrarum ac populorum, descriptio. Fr. 8—53. [Anni 73—71. a. Chr. n.]

Cap. III.

Bellum Macedonicum ductu Curionis procos. gestum. — Descriptio Danubii et Germanorum. Fr. 54—58. [Annus 73. a. Chr. n.]

Cap. IV.

Bellum piraticum et Creticum. — M. Antonius infinitum imperium orae maritimae obtinet. — Cretae insulae descriptio. — Cretensium religiones. — Antonii turpis exitus. Fr. 59—66. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

Cap. V.

Bellum servile. Eius initia. — Vesuvius a servis occupatus. — Vires servorum auctae. — Varinius rem male gerit. — Crixi clades. — Spartacus in Lucaniam se recipit. — Lentuli pugna cum fugitivis. — Spartacus Galliam cisalpinam petit. Fr. 67—80. [Anni 73. 72. a. Chr. n.]

Cap. VI.

Res urbanae. — Oratio Lic. Macri. — Contentiones de restituenda potestate tribunicia. Fr. 81—84. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

Cap. VII.

Fragmenta prorsus obscura ac paucissimis verbis composita. Fr. 85—98

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER III.

Cap. I.

Bellum Sertorianum extremum. — Pompeii epistola ad senatum. — Sertorii extrema tempora et caedes. — Perperna oppressus. — Calagurris obsidio. Fr. 1—7. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

1. *Epistola Cn. Pompei ad senatum.*

Si advorsus vos patriamque et deos penatis tot labores et pericula suscepissem, quotiens a prima adulescentia ductu meo scelestissumi hostes fusi, et vobis salus quaesita est, nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, patres conscripti, quem contra aetatem proiectum ad bellum saevissumum cum exercitu optume merito, quantum est in vobis, fame, miserruma omnium morte, confecistis. Hac in spe populus Romanus liberos suos ad 2
bellum misit? haec sunt praemia pro volneribus et totiens ob rem-

Fr. 1.] Codd. Vatt. tres, Ursini et Ciaccon. duo, Balliol.

Scripta est epistola a. 74. a. Chr. n., L. Licin. Lucullo, M. Aurel. Cotta coss.; cf. §. 2. Plut. in Pomp. c. 20. Lucull. c. 5. In summa et frumenti et pecuniae inopia quum Pompeius iam saepius a senatu sed frustra auxilium petivisset (cf. Fr. II, 50, 6. infra §. 2.), tum, gravi hieme in Vaccaeis acta (cf. Plut. in Sert. c. 21.), ad extrema progressus postulatis minas addidit, cum exercitu se in Italiam transgressurum. Quo metu, Lucullo maxime auctore, qui auxius erat, ne Pompeius imperium belli Mithridatici sibi praeriperet (cf. Plut. in Pomp. c. 20.), pecuniae illi decretae sunt (cf. id. in Lucullo c. 5.).

§. 1. *a prima adulescentia* etc.] Senatui Pompeius in memoriam revocat, quod adolescentulus trium et viginti annorum tres legiones suo sumptu paratas Sullae adduxerat (v. Plut. in Pomp. c. 6.), ac deinceps cum omnibus eius adversariis, Carbone, Domitio, Hiarba, Lepido, Bruto conflixerat.

quaesita] i. e. parata; cf. Fr. I, 49, 22.

amplius] i. e. durius.

contra aetatem] i. e. ea aetate, quae vulgo tantis negotiis impar habetur, quaque alii vix ad rempublicam accedere solent; undetriginta enim annos natus fuit, quum a. 77. a. Chr. n. in Hispaniam ivit.

proiectum] *Proiici* dicuntur, qui casui et periculis exponuntur; cf. Iug. 14, 21. Caes. B. C. 1, 30, 5. *Cato queritur sese p r o i e c t u m ac proditum a Cn. Pompeio.* Liv. XXII, 44, 7.

fame] i. e. interitu fame effecto (Germ. *Verhungern*, *Hungertod*); cf. Liv. XXVII, 44, 8.

§. 2. *opes et spes*] cf. Iug. 107, 4. Cat. 21, 1.

per triennium] Inde ab extremo anno 77. a. Chr. n.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

publicam fuso sanguine? Fessus scribundo mittundoque legatos omnis opes et spes privatas meas consumpsi, quum interim a vobis
3 per triennium vix annuus sumptus datus est. Per deos immortalis, utrum censetis me vicem aerari praestare, an exercitum sine fru-
4 mento et stipendio habere posse? Equidem fateor me ad hoc bellum maiore studio quam consilio profectum; quippe qui nomine modo imperi a vobis accepto diebus quadraginta exercitum paravi, hostisque in cervicibus iam Italiae agentis ab Alpibus in Hispaniam summovi. Per eas iter aliud atque Hannibal, nobis opportunius,
5 patefeci. Recepi Galliam, Pyrenaeum, Lacetaniam, Indigetis, et primum impetum Sertori victoris novis militibus et multo pauciori-bus sustinui, hiememque castris inter saevissumos hostis, non per
6 oppida neque ex ambitione mea egi. Quid dein proelia aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem? quando res plus valet quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta et proelium apud flumen Turiam et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti satis clara vobis sunt; pro quis, o grati

annuus] i. e. in unum annum sufficiens.

§. 3. *vicem aerari praestare*] i. e. *aerarii loco esse*, sive *ipsum sumptus suppeditare, qui ex aerario suppeditari debebant.*

§. 4. *nomine modo imperi*] i. e. imperio sine exercitu. Id non verum esse patet ex Plut. in Pomp. c. 17.

quippe qui — paravi] v. ad Cat. 48, 2.

in cervicibus — agentis] i. e. prope imminentes et ad irrumpendum promptos paratosque; cf. Liv. XXII, 33, 6. Eodem sensu Cat. 52, 24. dicitur *supra caput esse*. — Ceterum verba vana sunt; nam illi *hostes in cervicibus iam Italiae agentes* non alii erant, quam montanae quaedam gentes, de Alpibus in transeuntem exercitum hic illic impetum facientes eiusque iter interdum morantes.

iter aliud atque Hannibal] Appiano auctore de B. C. I, 109. Pompeii iter fuit inter Alpes Graecas et Pen-ninas haud procul ab Rhodani ac Ticini fontibus.

§. 5. *primum impetum* etc.] v. ad Hist. Fr. II, 21.

et multo] De *et* particula v. ad Fr. I, 56, 1.

castris] cf. Iug. 44, 4. *Albinus — milites stativis castris habebat.*

inter saevissumos hostis] sc. in Vaccaeis; cf. Plut. in Sert. c. 21.

neque ex ambitione mea] *Ambitio* pertinet ad obtinendos a provincialibus honores et varia officiorum genera, quibus coli gaudebant provinciarum rectores et imperatores; cf. Tacit. Agric. c. 18. — Ceterum Pompeius oblique carpit Metellum, qui per oppida luxui et ambitioni indulgebat; cf. Fr. II, 20.

§. 6. *quando*] v. ad Iug. 102, 9.

castra hostium apud Sucronem etc.] In rebus anni 75. a. Chr. n. memorandis Pompeius non iustum ordinem sequitur; nam quae prima fuit pugna apud *Valentiam* (Plut. in Pomp. c. 18.), eam postremo loco affert,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

patres, egestatem et famem redditis. Itaque meo et hostium exercitui par condicio est; namque stipendium neutri datur; victor uter- 7
que in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo quaesoque, ut 8
animadvortatis, neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quae non ab hostibus tenetur, nos aut Ser- 9
torius ad internecionem vastavimus, praeter maritumas civitates, quae ultro nobis sumptui onerique. Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit, et nunc malis fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumpsi. Reliqui vos estis; qui nisi subvenitis, invito et praedicente 10
me exercitus hinc et cum eo omne bellum Hispaniae in Italiam transgredientur.

2. Cavete ab imperatore perfuga Celtibero.

3. Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis; in summo Antonius, et infra scriba Sertori Versius; et alter scriba Maecenas in imo, medius inter Tarquitium et dominum Perpernam.

quia, quum sine suo damno vicisset, longe gloriosissimam habuit; tum pugnatum apud *Sucronem* (Plut. l. l. c. 19.), deinde ad flumen *Turiam* et *Saguntum* (cf. Fr. II, 24—28).

§. 7. *victor — potest*] Haec verba non tam periculum a Sertorio ostendunt, quam ipsius Pompeii minas continent; nam quum *utrumque exercitum* dicat, *suum* intelligit.

§. 8. *quod ego vos* etc.] cf. Fr. I, 56, 1.

necessitatibus] Ablativus pertinet ad *cogatis*.

§. 9. *Hispaniam citeriorem, quae*] i. e. *id Hispaniae citerioris, quod*, sive *eam Hispaniae cit. partem, quae*; cf. Iug. 61, 2. 89, 7. Tacit. Ann. IV, 47, 1.

quae ultra nobis etc.] i. e. quae non modo nihil nos iuvant, sed *adeo* sumptum nostrum et graves curas exigunt, quo eas in nostra potestate retineamus.

superiore anno] sc. 75. a. Chr. n.

malis fructibus] Germanice est: *bei einer Missernte*.

agitat] i. e. *se sustinet, se tuetur*.

rem — fidem] v ad Iug. 73, 6.

§. 10. *subvenitis*] Praesente utitur, non futuro simplici aut exacto, quo significet *extemplo* esse subveniundum; cf. Cat. 58, 9. Cic. in Verr. I, 2, 6.

invito et praedicente me] His verbis Pompeius culpam belli in Italiam transgressuri in senatum confert.

Fr. 2.] Arusian. p. 243. Lind. *Imperator* est Sertorius. *Perfuga Celtiber* (i. e. ad Celtiberos transgressus) vocatur ab adversariis clandestinis, aegre ferentibus quod *Celtiberis custodibus corporis utebatur;* cf. Appian. B. C. I, 112. Plutarch. in Sert. c. 25.

Fr. 3.] Serv. ad Virg. Aen. I, 702. Non. IV, 125. p. 281, 31. Merc. Agitur de convivio, quo Sertorii caedes perpetrata est; cf. Vell. II, 30, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

4. Hunc igitur redarguit Tarquitius.

5. Et Perpernam forte cognoscit mulio redemptoris.

6. Sed Pompeius a prima adulescentia sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi facta consultaque eius quidem aemulatus erat.

7. Parte consumpta reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent.

CAP. II.

Bellum Mithridaticum. Mithridatis ad Sertorium legatio de foedere. — Eius apparatus belli. — Cyzici obsidio ac fortissima defensio. — Pestis in Mithridatis exercitu. — Luculli expeditiones in Bithynia. — Mithridates in Pontum se recipit; eum Lucullus sequitur. — M. Cottae cum P. Oppio dissensio. — Ponti, i. e. maris Pontici et circumiacentium terrarum ac populorum, descriptio. Fr. 8—53. [Anni 73—71. a. Chr. n.]

8. Eum atque Metrophanem senatus magna industria perquirebat, quum per tot scaphas, quas ad ostia cum paucis fidis percontatum miserant.

Appian. B. C. I, 113. Plut. in Sert. c. 26.

in medio] sc. *lecto triclinii*, cuius a latere sinistro fuit lectus *summus*, a latere dextro lectus *imus*.

dominum] i. e. convivii exhibitorem.

Fr. 4.] Donat. ad Terent. Adelph. III, 2, 16. Videntur verba ad caedem Sertorii pertinere.

Fr. 5.] Acro ad Horat. Epp. II, 2, 72. Verba intelligenda sunt de Perperna, qui, quum post Sertorii caedem cum Pompeio conflixisset, victus in fruticeto se abdidit, ibique a mulione cognitus ad Pompeium adductus est; cf. Appian. B. C. I, 115.

redemptoris] Hac voce significatur, qui varia utensilia exercitui procuranda pro pacta mercede suscepit (Germanice *ein Lieferant*).

Fr. 6.] Non. IV, 13. p. 239, 4. Merc. IX, 18. p. 502, 1. Quam vanus fuerit Pompeius, Sallustius comparata Sertorii gravitate ostendisse videtur. De affectata illius similitudine cum Alexandro cf. Plutarch. in Pomp. c. 2. 46.

Fr. 7.] Priscian. X, 9, 57. p. 514. Kr. Diomed. p. 372. Putsch. De Calaguritanorum obsessorum miseriis haec intelligenda sunt; cf. Valer. Max. VII, 6, 3 extr. Oros. V, 23. Flor. III, 22, 9. Iuvenal. XV, 93 sqq. Strabo III, p. 161. V. etiam Fr. Inc. 28.

Fr. 8.] Non. XIII, 11. p. 535, 8. Merc. Fragmentum intelligendum de legatione Mithridatis ad Sertorium missa de foedere ineundo; cf. Plutarch. in Sertor. c. 23. Cic. in Verr. I, 34, 87.

Metrophanem] Fuit is ex fidissimis regis ducibus; cf. Appian. Mithrid. c. 29. Oros. VI, 2. Isidor. II, 11 1. p. 75. Lind.

senatus] sc. quem Sertorius ex suorum numero composuerat; cf. Appian. B. C. I, 108. B. Mithr. c. 68. Plut. in Sert. c. 23.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

9. Illi tertio mense pervenere in Pontum multo celerius spe Mithridatis.

10. Ingens ipse virium atque animi.

11. Equis et armis decoribus cultus.

12. Curribus falcatis [*usos esse antiquos Livius et Sallustius docent*].

13. Serum enim bellum in angustiis futurum.

14. Nam tertia tunc erat, et sublima nebula coelum obscurabat.

15. Ad Cyzicum perrexit firmatus animi.

16. [*Sallustius duces laudat, qui*] victoriam incruento exercitu reportarunt.

17. Castrisque collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur.

18. Atque edita undique tribus tamen cum muris et magnis turribus.

19. Quem trans stagnum omnis usque ad flumen.

Fr. 9.] Arusian. p. 221. Lind. — *Illi* intelligendi videntur Mithridatis legati a Sertorio redeuntes cum M. Mario, quem is regi peritum belli ducem miserat; cf. Plut. in Lucullo c. 8. 12., in Sert. c. 24. Appian. Mithr. c. 68. Oros. VI, 2.

Fr. 10.] Arusian. p. 236. Lind. De Mithridate bellum parante hoc Fr. accipiendum videtur.

Fr. 11.] Priscian. VI, 9, 47. p. 250. Kr. Ex Plut. in Lucull. c. 7. coniici potest Mithridatem *equis et armis decoribus cultum exercitum* inutilem putasse.

Fr. 12.] Serv. ad Virg. Aen. I, 480. Schol. ad Stat. Theb. X, 544. Currus falcati intelligendi videntur, quos Mithridates in exercitu habuit; cf. Plutarch. in Lucull. c. 7.

Fr. 13.] Serv. ad Virg. Aen. V, 524. XII, 864. Verba haud dubie sunt eorum, qui Luculli moram, initio belli consulto initam, vituperarent; cf. Plut. in Lucull. c. 8.

Fr. 14.] Non. VIII, 45. p. 489, 8. Merc. Fragm. intelligendum de clandestina nocturna profectione Mithridatis contra Cyzicum; cf. Plut. in Lucull. c. 9.

tertia] sc. *luna*, i. e. tertius dies lunae novae.

Fr. 15.] Arus. p. 232. Lind. — *Perrexit*, sc. Lucullus.

Fr. 16.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 421. Isidor. XVIII, 2, 1. p. 561. Lind. Laus illa pertinet ad Lucullum incruento exercitu Mithridatem apud Cyzicum vincente; cf. Plut. in Lucull. c. 9. Appian. Mithr. c. 72. Oros. VI, 2.

Fr. 17.] Non. IV, 235. p. 323, 2. Merc. *Castra* sunt *Luculli* et *Mithridatis* ad Cyzicum; cf. Appian. Mithr. c. 72.

collatis] i. e. exadversum positis.

ingenio] v. ad Fr. II, 50, 9.

Fr. 18.] Donat. ad Ter. Andr. I, 1, 67. Verba pertinere videntur ad firmas munitiones a Lucullo adversus Mithridatem institutas.

Fr. 19.] Philargyr. ad Virg. Georg. IV, 293. *Stagnum* significari videtur,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

20. Duos quam maxumos utris levi tabulae subiecit, qua super omni corpore quietus invicem tracto pede quasi gubernator existeret. Ea inter molem atque insulam mari vitabundus classem hostium ad oppidum pervenit.

21. Unde pons in oppidum pertinens explicatur.

22. Manus ferreas et alia annexu idonea iniicere.

23. Saxaque ingentia et orbes axe iuncti per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum erici militaris veruta binum pedum.

24. Et onere turrium incertis navibus.

25. Nam qui enare conati fuerant, icti saepe fragmentis navium, aut afflicti alveos undarum vi, mulcato foede corpore, postremo interiere tamen.

26. Quasi par in oppido festinatio et ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur; nam omnia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis advorso aestu maris.

quod fuit in Cyzici vicinitate; cf. Appian. Mithr. c. 72.

Fr. 20.] Non. II, 899. p. 186, 14. Merc. Nuncius a Lucullo in urbem Cyzicum missus per hostium classem evadit; cf. Frontin. Strateg. III, 13, 6. Flor. III, 5, 16. Oros. VI, 2.

vitabundus classem] cf. Iug. 60, 4. Liv. XXV, 13, 4. Sisenna ap. Gell. XI, 15, 7.

Fr. 21.] Arusian. p. 256. Lind. Intelligendus videtur pons, quo insula, in qua Cyzicus sita erat, cum continente coniungebatur.

Fr. 22.] Arusian. p. 242. Lind. Intelligenda sunt verba de Cyzicenorum defensione; cf. Appian. Mithr. c. 74.

Fr. 23.] Non. XVIII, 16. p. 554, 33. Merc. Serv. ad Virg. Aen. IX, 505. Isidor. XVIII, 12, 6. p. 569. Lind. — Ad eandem rem pertinet, ut Fr. praecedens.

orbes axe iuncti] i. e. rotae axibus inditae, eoque ad decurrendum compositae.

erici militaris] *Ericius* trabs erat transversaria, ex qua undique ferrei aculei prominerent.

Fr. 24.] Serv. ad Virg. Aen. I, 580. Hoc et duobus sequentibus Fragm. agitur de ingenti tempestate, qua Mithridatis naves cum turribus ceterisque operibus in portu Cyziceno contusae et disiectae interiere; cf. Appian. Mithrid. c. 74. Plutarch. in Lucull. c. 10.

incertis] i. e. certum rectumque statum non tenentibus, sed modo in hanc, modo in illam partem inclinantibus; cf. Fr. I, 66.

Fr. 25.] Non. IV, 454. p. 406, 10. Merc. Arusian. p. 215. Lind. Verba pertinent ad stragem classiariorum Mithridatis apud Cyzicum.

Fr. 26.] Non. II, 534. p. 138, 3. Merc. Priscian. VI, 9, 46.

quasi] v. ad Iug. 48, 3.

festinatio] v. ad Cat. 31, 2.

ex latere — munimenta] i. e. munimenta opere latericio facta. Ea *nova* dicuntur, quia Cyziceni eam muri partem, quae incendio corrue-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

27. [*Virgilius in peste describenda ordinem secutus est, quem et Lucretius tenuit et Sallustius*] primo aerem, inde aquam, post pabula esse corrupta.

28. Morbi graves ob inediam insolita vescentibus.

29. Ne simplici quidem morte moriebantur.

30. [*Σαλουστίου δὲ θαυμάζω*] *τότε πρῶτον ὤφθαι Ῥωμαίοις καμήλους* [*λέγοντος*].

31. Inter recens domitos Isauros Pisidasque.

32. Primum Graecorum Achillem.

33. Dardania [*secundum Sallustium*] a rege Dardanorum Mida, qui Phrygiam tenuit.

34. Tota autem insula modica et cultoribus inanis est.

35. Neque iam sustineri poterat immensum aucto mari et vento gliscente.

rat, celeriter refecerant; cf. Appian. Mithr. c. 74.

Fr. 27.] Serv. ad Virg. Georg. III, 481. Pertinent verba ad descriptionem pestis in exercitu Mithridatis ortae; cf. Appian. Mithr. c. 76. Strabo XII. p. 862. C. Almel. Flor. III, 5, 17. Oros. VI, 2.

Fr. 28.] Donat. ad Ter. Hecyr. III, 2, 2. De summa inopia, qua Mithridatis milites consumebantur, cf. Plut. in Lucull. c. 11. Schol. Gronov. ad Cic. de imp. Cn. Pomp. 8, 20.

Fr. 29.] Serv. ad Virg. Georg. III, 482. Variae significantur mortes peste ortae.

Fr. 30.] Plutarch. in Lucull. c. 11. Camelorum mentio facta in expeditione Mithridatis inter obsidionem Cyzici contra Bithynos suscepta; cf. Appian. Mithr. c. 75.

Fr. 31.] Arusian. p. 237. Lind. De eadem expeditione, ut Fr. praecedens, haec intelligenda sunt.

Fr. 32.] Serv. ad Virg. Aen. I, 96. Achillis mentio facta, ubi Luculli iter post liberatam Cyzicum in Troadem factum narratum est; cf. Plutarch. in Lucull. c. 12.

Fr. 33.] Serv. ad Virg. Aen. II, 325. De Dardania Sallustius eodem loco dixit, quo Achillem memoravit.

Fr. 34.] Mart. Capella V. p. 111. Intelligenda *Neae* insula prope Lemnum, ubi post Mithridatis fugam a Cyzico classis regia a Lucullo ex Troade adveniente victa est; cf. Appian. Mithrid. c. 77. Plut. in Lucull. c. 12.

Fr. 35.] Non. I, 83. p. 22, 18. Merc. Agitur de ingenti tempestate, qua Mithridatis classis a Cyzico regressa et Pontum petens in ipsa adhuc Propontide apud Parium (v. Fr. IV, 20, 14. Appian. Mithrid. c. 76.) gravissimum naufragium fecit; cf. Plutarch. in Lucull. c. 13. Oros. VI, 2.

sustineri] Absolute positum significat *resisti, vis* (sc. tempestatis) *perferri*.

Fr. 36.] Arusian. p. 227. Lind. *Egressus*, sc. Mithridates; *angustias*, sc. Bospori. De Mithridate ex illo naufragio vix conservato cf. Plutarch. in Lucull. c. 13. Appian. Mithrid. c. 78.

Fr. 37.] Charis. II, 14, 32. p. 115. Lind. (p. 176. P.). Verba sunt vel legati vel epistolae Mithridatis, quibus statim post gravissimas clades primo ad Cyzicum deinde mari ac-

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

36. Postquam egressus angustias.

37. Non tu scis: si quas aedis ignis cepit acriter, haud facile sunt defensu, quin et comburantur, proxumae.

38. At Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat.

39. At Oppius, postquam oraus nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus a Cotta Vulcioque impeditur.

40. Se eius opera non usurum, eumque ab armis dimittit.

41. Quarum unam epistulam forte cum servo nancti praedatores Valeriani scorpione in castra misere.

42. Castella, custodias thesaurorum, in deditionem acciperent.

43. Igitur introrsus prima Asiae Bithynia est, multis antea nominibus appellata. Ipsa enim est et maior Phrygia.

44. [*Anacreon, lyricus poeta, Teius fuit, i. e.*] ab urbe

ceptas Tigranem ad auxilium sibi ferendum commovere studuit, hoc docens, nisi rex Armeniae mature Romanis obsistat, fore, ut incendium belli ex Ponto in ipsius regnum transgrediatur; cf. Appian. Mithrid. c. 78. Memno apud Phot. c. 224. p. 234, b. Bekk.

cepit — sunt] Insolentius verba, quae ex *scis* suspensa esse debebant, recta oratione posita sunt, quo sententia tanquam generale quoddam praeceptum maiorem vim acciperet.

Fr. 38.] Priscian. VIII, 4, 17. p. 369. Kr. De fame, qua Lucullus, dum in Pontum contendit, per aliquod tempus fatigabatur, cf. Plutarch. in Lucull. c. 14. Eandem rem tangit Mithridates Hist. Fr. IV, 20, 15.

Fr. 39.] Non. XVIII, 9. p. 553, 32. Merc. P. Oppius, M. Cottae quaestor, quum propter fraudes in exercitu commissas (cf. Quintil. V, 13, 17.) graviter a Cotta increparetur, telo eum appetiit, vel appetiisse incusatus est; cf. Quintil. V, 10, 69. V, 13, 30.

Fr. 40.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 844. Verba, quae pertinent ad eandem rem ut Fr. praecedens, Cottae sunt, Oppium ab exercitu cogentis abscedere; cf. Dio Cass. XXXVI, 23.

Fr. 41.] Non. XVIII, 7. p. 553, 22. Merc. *Valeriani* sunt iidem atque Fimbriani, quos Lucullus in exercitu ductabat; cf. Fr. II, 58, V, 14. Cetera obscura sunt.

Fr. 42.] Charis. I. p. 60. Lind. Agitur de Luculli legatis, multa castella, in quibus Mithridatis thesauri custodiebantur, recipientibus.

Fr. 43.] Serv. ad Virg. Aen. V, 373. V, 203. Isidor. XIV, 3, 39. p. 439. Lind. Verba cum decem sequentibus Fragmentis legebantur in descriptione Ponti, i. e. maris Pontici et circumiacentium terrarum populorumque, narrationi de bello Mithridatico inserta.

igitur] Indicatur haec particula, Sallustium, quum antea significasset de Ponto se dicturum, ad ipsam rem accedere; cf. Iug. 19, 7.

multis antea nominibus appellata] cf. Isidor. XIV, 3, 39. *Prius Bebrycia dicta, deinde Mygdonia, mox a Bithyno rege Bithynia nuncupata.*

est et maior Phrygia] i. e. vocatur etiam Phrygia maior.

Fr. 44.] Porphyr. ad Horat. Od.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Teio, quam in Paphlagonia esse [*Sallustius indicat, quum de situ Ponticо loquitur*].

45. Proxumum [*Sallustius in situ Ponti*] de promontoriis Paphlagonum et quod Criumetopon appellavit, [*posuit.*]

46. Dein campi Themiscyrii, quos habuere Amazones, a Tanai flumine, incertum quam ob caussam, digressae.

47. Scythae Nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt.

48. Namque omnium ferocissumi ad hoc tempus Achaei atque Tauri sunt, quod, quantum coniicio, locorum egestate rapto vivere coacti.

49. Nam speciem efficit Scythici arcus.

50. [*Lata autem ideo, quia*] se angustiae pontici oris illic dilatant, [*ut Sallustius dicit.*]

51. Ipsum mare Ponticum dulcius quam cetera.

52. Crebritate fluctuum, ut aquilone solet.

53. Qua tempestate ex Ponto vis piscium erupit.

I, 17, 18. De urbe *Teio* (*Τήϊον*) cf. Strab. XII. p. 818. C. p. 820. B. et p. 848. C. Almel. Pomp. Mela I, 19, 8. Ammian. Marcell. XXII, 8.

Fr. 45.] Non. XII, 24. p. 524, 4. Merc. — *Criumetopon*, cf. Strab. II. p. 186. D. Almel. VII. p. 475. B. Plin. H. N. IV, 12, 26. Mela I, 19, 8. II, 1, 3.

Fr. 46.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 659. De *campis Themiscyriis* cf. Strab. XII. p. 823. C. Mela I, 19. Ammian. Marcell. XXII, 8.

Fr. 47.] Porphyr. ad Horat. Od. III, 24, 9. — De *Scythis Nomadibus* cf. Ammian. Marc. XXII, 8. Iustin. II, 1, 4. Mela III, 5.

Fr. 48.] Schol. ad Iuvenal. Sat. XV, 115. De *Achaeis* cf. Strab. XI. p. 753. C. Almel. p. 758. A. XVII. p. 1196. D. Mela I, 19, 14. Ammian. Marc. XXII, 8.; de *Tauris* v. Strab. VII. p. 474. B. Mela II, 1, 11. Tacit. Ann. XII, 17, 4.

Fr. 49.] Serv. ad Virg. Aen. III, 533. *Efficit* verbi subiectum est *Pontus*, cuius formam veteres scythico arcui assimulabant; cf. Strab. II. p. 187. A. Almel. Ammian. Marc. XXII, 8. Mela I, 19.

Fr. 50.] Serv. ad Virg. Aen. II, 312.

Fr. 51.] Serv. ad Virg. Aen. I, 228. XII, 143. Macrob. Sat. VII, 12. Donat. ed. sec. p. 1745. Serg. in Donati ed. sec. p. 1841. Priscian. III, 2, 15. p. 112. Kr. XV, 3, 18. p. 623.

dulcius] i. e. minus salsum; comparantur enim non duo dulcia, sed alterum *non dulce* (= salsum), *dulce* alterum. De re ipsa cf. Strab. I. p. 85. C. Almel. Macrob. l. l. Ammian. Marc. XXII, 8.

Fr. 52.] Serv. ad Virg. Aen. I, 116. Verba capienda sunt de innumera thunnorum multitudine quotannis aquilonum vi ex lacu Maeotide ac deinde ex Ponto ad litus Byzantinum compulsa; cf. Plin. H. N. IX,

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

CAP. III.

Bellum Macedonicum ductu Curionis procos. gestum. — Descriptio Danubii et Germanorum.

54. Atque eum Curio laudatum accensumque praemiorum spe, quibuscum optavisset, ire iubet.

55. Nomenque Danubium habet.

56. Omnium fluminum, quae in maria, qua imperium Romanum est, fluunt, quam Graeci τὴν ἔσω θάλασσαν appellant, maximum esse Nilum consentitur; proxima magnitudine esse Histrum [*scripsit Sallustius*].

57. Germani intectum renonibus corpus tegunt.

58. Vestes de pellibus renones vocantur.

CAP. IV.

Bellum piraticum et Creticum. — M. Antonius infinitum imperium orae maritimae obtinet. — Cretae insulae descriptio. — Cretensium religiones. — Antonii turpis exitus.

59. Qui orae maritimae, qua Romanum esset imperium, contra piratas [*praefuit*].

20. Ambros. Hexaem. V, 10. Ammian. Marc. XXII, 8.

solet] Absolute; cf. Cat. 29, 2. Fr. III, 78. 88.

Fr. 53.] Serv. ad Virg. Aen. IV, 132. Schol. ad Iuvenal. Sat. IV, 42. Agitur de captura thunnorum, cui Byzantii operam dant; cf. Strab. VII. p. 493. A. Almel. Tacit. Ann. XII, 63, 2.

qua tempestate] i. e. quo tempore.

Fr. 54.] Non. IV, 334. p. 358, 14. Merc. — Fragm. pertinet ad narrationem de Curionis expeditione Thracica, usque in annum 73. a. Chr. n. extracta.

quibuscum optavisset] Per attractionem dictum pro eo, quod est: *cum iis, quos optavisset*. cf. Ter. Andr. IV, 1, 57. *Restitue in quem me accepisti locum*, i. e. *in eum* locum, *quo* me accepisti. — *Optare* valet *eligere;* cf. Liv. VI, 25, 5.

Fr. 55.] Acro ad Horat. A. P. 18. Arusian. p. 248. Lind. — Curio quum primus Romanorum usque ad Danubium processisset (cf. Sext. Ruf. c. 7. Eutrop. VI, 2.), Sallustius hac occasione de Danubio flumine et accolis gentibus exposuit.

Danubium] Accusativus vi appositionis ad *nomen* refertur; cf. Ovid. Fastt. III, 245. *Qua nunc Esquilias nomina collis habet.*

Fr. 56.] Gell. X, 7. — *Maria* dictum de variis maris interni partibus.

qua] cf. Iug. 18, 2. Fr. I, 10. III, 59.

Fr. 57.] Isidor. XIX, 23, 4. p. 602. Lind. De *Germanis* egisse videtur Sallustius, quum de Danubio exposuit.

intectum] i. e. *nudum*. Sensus est: Germani in nudo, neque aliis vestimentis tecto, corpore renones gerunt.

Fr. 58.] Serv. ad Virg. Georg. III, 383. — *Vestes de pellibus*, sc. *factae*. Usitatius foret *vestes ex pellibus*; cf. Fr. III, 26.

Fr. 59.] Schol. ad Iuvenal. Sat.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

60. Longe a continenti.

61. Creta altior est, qua parte spectat orientem.

62. Otus in Creta [*secundum Sallustium*], unde Otii campi.

63. Primos Cretenses constat invenisse religionem.

64. Curetes, quia principes intellegundi divina fuerunt, vetustatem, uti cetera, in maius componentem, altores Iovis celebravisse.

65. M. Antonius perdundae pecuniae genitus vacuusque curis, nisi instantibus.

66. Ibi triennio frustra trito.

CAP. V.

Bellum servile. — Eius initia. — Vesuvius a servis occupatus. — Vires servorum auctae. — Varinius rem male gerit. — Crixi clades. — Spar-

VIII, 105. Intelligitur M. Antonius, oratoris clarissumi filius, qui infinitum imperium totius orae maritimae contra piratas a. 74. a. Chr. n. accepit; cf. Cic. in Verr. II, 3, 8. et Ascon. ad h. l. p. 206. Orell. Vell. II, 31, 3. Lactant. Inst. Div. I, 11, 32. Appian. B. C. I, 111.

Fr. 60.] Serv. ad Virg. Aen. III, 104. De situ *Cretae* insulae haec dicta sunt, quam Antonius in illo imperio infinito bello petiit; cf. Appian. Cret. V, 6. p. 98. Schweigh. Flor. III, 7, 2. Liv. Epit. XCVII.

Fr. 61.] Serv. ad Virg. Aen. VI, 23.

Fr. 62.] Serv. ad Virg. Aen. III, 578.

Fr. 63.] Serv. ad Virg. Aen. III, 104. VIII, 352. Cretae descriptioni Sallustius nonnulla adiunxit de peculiaribus Cretensium religionibus ac de Iovis Idaei cultu.

Fr. 64.] Lactant. Institt. Div. I, 21, 41. Verborum subiectum est *vetustatem*, obiectum *Curetes*, obiecti attributum *altores*.

principes] De tempore capiendum; cf. Cat. 24, 2.

vetustatem] i. e. veteres homines; cf. Quintil. I, 5, 72. Cic. Tusc. I, 12, 26.

in maius componentem] cf. Iug. 73, 5. Fr. I, 3. Tacit. Ann. II, 10, 2.

Fr. 65.] Pseudo-Ascon. ad Cic. in Verr. I, 23, 60. p. 176. Or. Arus. p. 232. Lind. — De Antonii in imperio infinito avaritia et dissolutis moribus cf. Cic. in Verr. III, 91, 213. Id. Divinat. in Q. Caec. c. 17, 55.

Fr. 66.] Serv. ad Virg. Aen. IV, 271. De Antonio haec intelligenda videntur, qui in Creta (eo enim spectat *ibi*) *triennio* ad piratas et Cretenses vincendos *frustra trito* periit; cf. Pseudo-Ascon. ad Cic. in Verr. I, 23, 60. p. 176. Or. et ad Divinat. in Q. Caec. c. 17, 55. p. 122.

Fr. 67.] Serv. ad Virg. Aen. III, 265. Verba videntur Spartaci, in ipso belli servilis initio in Vesuvio obsessi, et suos ad erumpendum exhortantis; cf. Plut. in Crasso c. 9. Appian. B. C. I, 116. Flor. III, 20, 4. Frontin. Strat. I, 5, 21.

Fr. 68.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 80. Spartacus hortatur suos, ut imprimis iusta arma equosque sibi com-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tacus in Lucaniam se recipit. — Lentuli pugna cum fugitivis. — Spartacus Galliam cisalpinam petit.

---

67. Sin vis obsistat, ferro quam fame aequius perituros.

68. Exuant armis equisque.

69. Locum nullum, nisi quo armati institissent, ipsis tutum fore.

70. Quae cis paucos dies iuncta in armis sunt.

71. Dum paullatim suis invicem subveniunt, omnes in bellum coacti sunt.

72. Simul immanis hominum vis multis e locis invasere patentis tum et pacis modo effusas *urbis*.

73. Qui nullo certo exilio vagabantur.

74. Apertae portae, repleta arva cultoribus.

75. Cossinius in proxuma villa fonte lavabatur.

76. Incidere in colonos Avellanos praesidentis agros suos.

parent; cf. Plutarch. in Crasso c. 9. Appian. B. C. I, 116. 117.

Fr. 69.] Arusian. p. 237. Lind. Verba sunt ex eadem Spartaci ad suos oratione, ut Fragm. praecedens, qua, quantum ipsorum intersit, ut iusta arma habeant, eos edocet.

Fr. 70.] Cledon. p. 1933. Putsch. Narratur, quantopere Spartaci exercitus brevi auctus sit. — *Quae*, intellige *servitia*; cf. Appian. B. C. I, 116.

Fr. 71.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 282. Rapida belli servilis incrementa narrantur.

omnes] Intelligendi sunt *servi* contagione seditionis celeriter correpti.

Fr. 72.] Serv. ad Virg. Aen. I, 303. Agitur de calamitate urbium sub ipsa belli servilis initia a seditiosis oppressarum.

simul] Indicio est haec particula, eodem tempore, quo servi in urbibus dominos deserebant armatique in eos irruebant, extrinsecus multos alius generis ad eos confluxisse.

immanis hominum vis] Intelligendi sunt tum pastores et agrestes, tum ii, qui agris pulsi (v. Iug. 41, 8. Hist. Fr. I, 49, 12. et 24. I, 54.) aut civitate eiecti erant, de quibus v. Fr. sq.

patentis tum] Ex *tum* particula coniicitur, postea, seditione pervulgata, clausis urbes egisse portis.

effusas] *Effusae urbes* sunt *quae effunduntur*, i. e. ex quibus *incolae se effundunt*, sive frequenter negotiorum caussa egrediuntur, et libere foras et retro commeant.

Fr. 73.] Serv. ad Virg. Aen. I, 2. Intelligendi sunt, qui bonis domi amissis relicta patria *quaerebant, ubi* vitam sustentarent.

Fr. 74.] Serv. ad Virg. Aen. II, 27. Agitur de aliqua Campaniae urbe, repentino et inexspectato fugitivorum incursu infestata.

Fr. 75.] Cledon. p. 1916. Putsch. — *Cossinius*, Varinii legatus, a Spartaco oppressus paene capitur; cf. Plutarch. in Crasso c. 9.

Fr. 76.] Arusian. p. 252. Lind.

incidere] sc. fugitivi, Campaniam, postquam a Vesuvio digressi erant, vexantes; cf. Flor. III, 20, 5.

Avellanos] i. e. qui *circa Avellam*, Campaniae oppidum, habitabant.

praesidentis] v. ad Fragm. II, 34.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

77. . . . *igni torrere*, quibus praeter speciem bello necessariam haud multo secus quam ferro noceri poterat. At Varinius, 2
dum haec aguntur a fugitivis, aegra parte militum auctumni gravitate, neque ex postrema fuga, quum severo edicto iuberentur, ullis
ad signa redeuntibus, et qui reliqui erant, per summa flagitia detractantibus militiam, quaestorem suum C. Thoranium, ex quo praesente vera facillume noscerentur, miserat; et tamen interim cum 3
volentibus numero quattuor *milium*, *servorum castra petit magnis*
operibus commun*ita*. Deinde fugitivi, con*sum*ptis iam alimentis, ne 4
*prae*dantibus ex propin*quo hostis* instaret, soliti m*ore mi*litiae vigilias sta*tiones*que et alia munia ex*sequi*, secunda vigilia *silentio*
cuncti egredi*untur*. *Re*licto bucinat*ore in cas*tris et ad vigil*um* 5
speciem procul visen*tibus ere*xerant ful*ta palis fixis* recentia *cadavera*, *et cre*bros ign*is fecerant*. *For*midini . . *Va*rini . . ti . . 6
da . . . inviis convertere. At *Var*inius multa iam luce *desi*derans 7
solita a fugi*tivis* convicia et in cas*tra* coniectus lapidum, *ad hoc*
strepitus tumul*tuosi* sonores undique *ruenti*um, mittit equites *in*
*tumul*um circum pro*minentem*, ut explorarent *fugitivos*, propere 8

Fr. 77.] Cod. Vatic., qui primum a Petro Daniele possessus deinde in bibliothecam Christinae, Suecorum reginae, venit, eaque mortua cum ceteris eius libris bibliothecae Vaticanae illatus est. Ibi a Niebuhrio repertus et descriptus a Kreyssigio editus est. Iterum evulgavit Ang. Maius.

§. 1. *igni torrere*] Abrupta sententia sic videtur supplenda: *Spartacus eos, qui iusta arma non haberent, iussit sudes igni torrere.* cf. Cat. 56, 3. Caes. B. G. V, 40, 6.

§. 2. *Varinius*] *P. Varinius Glaber* praetor fuit contra Spartacum missus, et rem continuo male gessit.

gravitate] i. e. *pestifera intemperie;* cf. Caes. B. C. III, 2, 3. *Gravis auctumnus — omnem exercitum valetudine tentaverat.*

ex postrema fuga] sc. quum Varinius, proelio cum Spartaco commisso, vix ipse elaberetur amisso equo et insignibus relictis; cf. Plutarch. in Crass. c. 9. Appian. B. C. I, 116.

quum] i. e. *quamvis;* cf. infra §. 18. Fr. I, 56, 18. et v. ad Cat. 36, 4.

§. 4. *Deinde*] i. e. interiecto aliquo tempore.

ex propinquo] Coniungendum hoc cum sequentibus:

more militiae] cf. Iug. 44, 5. 54, 1.

munia] Praegnanti sensu sunt *munia militiae* (Germanice *der Dienst*).

§. 6. *Formidini* etc.] In lacuna de clandestino fugitivorum discessu feliciter perfecto dictum fuit.

§. 7. *desiderans*] i. e. animadvertens abesse vel cessare; cf. Caes. B. C. III, 9, 6.

ruentium] i. e. confluentium, concurrentium; cf. Tacit. Ann. IV, 23, 2. *Ipsaque e provincia, ut quis fortunae inops, moribus turbidus, promptius ruebant.*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

vestigia secutos credens lo . . toto tamen agmine . . pavens se . . . m
9 dupli . . . tumas . . . ga . . Post aliquot dies contra morem fiducia
10 augeri nostris coepit et promi lingua. Qua Varinius contra spectatam rem incaute motus novos incognitosque et aliorum casibus perculsos milites ducit tamen ad castra fugitivorum presso gradu, silentis iam, neque tam magnifice sumentis proelium quam postula-
11 verant. Atque illi certamine consili inter se iuxta seditionem erant. Crixo et gentis eiusdem Gallis atque Germanis obviam ire et ultro
12 offerre pugnam cupientibus, contra Spartaco . . ni secum . . ne qua . . ad id tempus . . mque seclu . . m et extin . . . . l curam . . . asset haud . . aque quam . . haud aliam ipsis spem capiendam esse. Sed pauci prudentes ingenuique animi nobile studium gerunt, laudantque, quod suaserat facere; pars stolida ac levis adfluentium undique firmo fidens auxilio suae patriae inmemor esse; plurumi
13 servili ingenio ultra praedam nihil cogitare. Ita irritum fuit Spar-
14 taci consilium, quod ex copia optimum videbatur. Deinceps monet in laxiores agros magisque pecuarios ut egrediantur, ubi, priusquam refecto exercitu adesset Varinius, augeretur numerus lectis

§. 8. *toto tamen agmine*] In iis, quae intercciderunt, Sallustius narravit, Varinium adhuc valde anxium, quum fugitivos clam abiisse cognovisset, eos tamen insecutum esse, ac rursus castra contra posuisse.

§. 9. *promi lingua*] cf. Iug. 44, 1.

§. 10.] *contra spectatam rem*] i. e. contra id, quod res ipsa clare ostendebat.

presso] i. e. *lento;* cf. Liv. XXVIII, 14, 14. Opponitur gradus *plenus* vel *citatus*.

magnifice] i. e. animose, fortiter.

sumentis] i. e. *ineuntis, incipientis*. Eodem modo dicitur *sumere bellum*; cf. Iug. 20, 5. 62, 9. 83, 1.

§. 11. *certamine consili*] i. e. quum de ineundo consilio dissentirent et inter se certarent.

iuxta seditionem erant] i. e. haud procul seditione aberant.

Spartaco] sc. proelium dissuadente.

§. 12.] . . . *ni secum* etc.] In lacuna primum continetur sermo Spartaci contra Crixum, quo docuit iusta pugna abstinendum esse, idque agendum, ut omissis hostibus ex Italia in patriam quisque suam perrumperent. Deinde expositum, quam varie Spartaci oratio a prudentibus, a stolidis et a vulgo servorum excepta fuerit.

pars stolida etc.] cf. Plutarch. in Crass. c. 9.

cogitare] cf. Cic. in Cat. II, 9, 20. *Desinant — proscriptiones et dictaturas cogitare.*

§. 14. *laxiores*] i. e. *spatiosiores, minus angustos*; cf. Hist. Fr. IV, 3. Columella I, 3.

pecuarios] i. e. *pecori alendo bonos*, eoque *pecore abundantes*.

lectis viris] Intelligit Spartacus servos *validos et ad pugnandum aptos*, quos sperabat ex regione magis pecuaria ad se conventuros.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

viris; et propere nanctus idoneum ex captivis ducem Picentinis, deinde Eburinis ingis occultus ad Naris Lucanas, atque inde prima luce pervenit ad Anni Forum, ignaris cultoribus. Ac statim fugitivi 15
contra praeceptum ducis rapere ad stuprum virgines matronasque. Et alii *civium obvium quemque promiscue caedere, atque* nunc 16
restantes ei illudebant simul, nefandum in modum perverso volnere, et interdum lacerum corpus semianimum omittentes; alii in tecta 17
iaciebant ignis, multique ex loco servi, quos ingenium socios dabat, abdita a dominis aut ipsos trahebant ex occulto; neque sanctum aut nefandum quicquam fuit irae barbarorum et servili ingenio. Quae Spartacus nequiens prohibere, multis precibus quum oraret, 18
celeritate praevertere; mittere nuntios . . qua neque e . . agmen se 19
c . . . s crudel . . . occupatos a . . gravis pler . . illum diem . . noctem ibi . . . s duplicato . . . orum numero . . . prima cum luce . . . in 20
campo satis . . . nos aedificiis . . . et tum matura in agris erant autumni frumenta. Sed incolae pleno die gnari ex *fuga finitumorum* fugitivos ad se adventare . . . omnibus . .

78. Divorsa, uti solet rebus perditis, capessunt; namque alii

cultoribus] i. e. *incolis*; cf. Iug. 17, 3. Fr. I, 93. III, 34.

§. 16. *obvium quemque* etc.] cf. Iug. 26, 3. *Iugurtha negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius fuerat, interfecit.*

nunc restantes] His verbis ex adverso respondent sequentia *et interdum omittentes*. Quemadmodum enim *omittere c.* valet *relinquere corpus* sive *discedere a corpore*, ita *restare* est *remanere apud corpus* idque *circumstare*.

ei illudebant] i. e. *cum ludibrio tractabant, ludibrio habebant.*

perverso volnere] i. e. *volnere telo agitato*, sive *telo in volnere agitato* (Germanice *in der Wunde herum bohren, wühlen*).

§. 17. *ex loco servi*] i. e. servi, qui in Anni Foro erant; *locus* enim de oppido dicitur, cuius nomen iam praecessit; cf. Liv. I, 15, l. XXVII, 30, 3.

neque sanctum aut nefandum etc.] i. e. a nullo facinore aut propter religionem aut propter atrocitatem abhorrebant.

§. 18. *quum*] v. ad §. 3.

praevertere] Infinit. hist. est ad *quae* pertinens. Sensus est: servorum nefanda facinora celeritate (sc. itineris, sive exercitu celeriter movendo) *impedire studebat.*

§. 19. *illum diem* etc.] Lacera verba in hanc fere sententiam videntur restituenda: *per* illum diem *et proximam* noctem ibi *retinuit suos*, duplicatoque *fugitivorum* numero *profectus* prima cum luce *constitit* in campo satis . . .

§. 20. . . . *nos aedificiis*] Fuisse videtur *colonos aedificiis.*

pleno die] Opponuntur haec verbis *prima cum luce.*

Fr. 78.] Non. II, 367. p. 116, 20. Merc. Priscian. X, 8, 45. p. 504. Agi videtur de fugitivorum rebus

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

fiducia gnaritatis locorum occultam fugam, pars globis eruptionem tentavere.

79. Unus constitit in agro Lucano gnarus loci nomine Publipor.

80. Et eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum, multo sanguine suorum defensum, postquam ex sarcinis paludamenta ostentari et delectae cohortes intellegi coepere.

CAP. VI.

Res urbanae. — Oratio Lic. Macri. — Contentiones de restituenda potestate tribunicia. Fr. 81—84. [Anni 74—72. a. Chr. n.]

81. *Oratio Macri Licini tribuni plebis ad plebem.*

Si, Quirites, parum existumaretis, quid inter ius a maioribus relictum vobis et hoc a Sulla paratum servitium interesset, multis mihi disserendum fuit, docendique, quas ob iniurias et quotiens a patribus armata plebes secessisset, utique vindices paravisset omnis
2 iuris sui tribunos plebei. Nunc hortari modo reliquum est et ire primum via, qua capessundam arbitror libertatem. Neque me prae-

perditis, Crixo duce a L. Gellio victo caesoque; cf. Appian. B. C. I, 117. Plutarch. in Crass. c. 9. Liv. Epit. XCVI. Oros. V, 23.

Fr. 79.] Priscian. VI, 9, 48. p. 251. Kr. De fuga servorum post Crixi cladem dici videtur.

Fr. 80.] Non. XIV, 11. p. 538, 32. Merc. — Lentulus, a. 72. a. Chr. n. cos., post Crixi cladem male contra Spartacum pugnat; cf. Liv. Epit. XCVI. Flor. III, 20, 10.

Fr. 81.] Codd. Vatt. tres, Ciacc. et Ursini duo, Balliol. Habita est oratio a. 73. a. Chr. n. Quum inde a Lepido, qui primus id ausus erat, et L. Sicinius a. 76., et L. Quintius a. 74. frustra conati essent tribuniciam potestatem, a Sulla valde imminutam, restituere, Licinius Macer tribunus plebis denuo acerrimis contionibus plebem exstimulare studuit, ut ius a Sulla creptum rursus extorquerent. Gravissime igitur in senatum et paucos potentes invectus plebi suadet, ut militiam detrectarent, neque operam suam patriciis ad ullam rem commodarent. Sed quum senatus paulo ante lege Terentia et Cassia frumentaria (v. ad §. 19.) plebem aliquantum demulsisset, ne tum quidem Licinius, quod voluit, efficere potuit, tota re in Pompeii consulatum protracta. — De Macri oratoria facultate cf. Cic. Brut. c. 67, 238.

§. 1. *si — existumaretis*] i. e. si — sciretis et iudicaretis, si — vobis constaret.

docendique] sc. *fuistis*. De indicativo cf. Iug. 85, 48.

secessisset] cf. Hist. Fr. I, 11.

§. 2. *nunc*] v. ad Iug. 14, 17. Sensus est: quum vero haec omnia vobis notissima sint.

ire primum] i. e. *ire principem, ducem esse, praeire.*

capessundam] v. ad Cat. 52, 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

terit, quantas opes nobilitatis solus, impotens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam, quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. Sed praeter spem bonam ex 4
vobis, quae metum vicit, statui certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro, quam omnino non certavisse, quamquam omnes 5
alii creati pro iure vostro vim cunctam et imperia sua gratia aut spe aut praemiis in vos convortere, meliusque habent mercede delinquere, quam gratis recte facere. Itaque omnes concessere iam 6
in paucorum dominationem, qui per militare nomen aerarium, exercitus, regna, provincias occupavere, et arcem habent ex spoliis vostris, quum interim more pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque praebetis, exuti omnibus, quae maiores reliquere, nisi quia vobismet ipsis per suffragia, ut praesides olim, nunc dominos destinatis. Itaque concessere illuc omnes, et mox, si vostra 7
receperitis, ad vos plerique; raris enim animus est ad ea, quae placent, defendenda; ceteri validiorum sunt. An dubium habetis, 8

§. 3. *solus*] i. e. ab aliis destitutus (*isoliert*); cf. Iug. 14, 17.

inani specie magistratus] i. e. tribunus plebis omni auctoritate per Sullam privatus; cf. Vell. II, 30, 4.

factio] v. ad Iug. 41, 6. *Factioni* opponuntur *soli*.

§. 4.] *praeter spem bonam*] i. e. *praeterquam quod spes bona est ex vobis;* cf. Cat. 47, 2.

§. 5. *vim cunctam*] sc. *suam* (Germanice *ihre ganze Wirksamkeit*).

gratia] i. e. *ad gratiam* (sc. paucorum potentium) *obtinendam*, sive *quo gratiam ineant*.

spe] sc. *commodi*. Spes explotae ipsa sunt *praemia*.

§. 6. *concessere in — dominationem*] cf. Hist. Fr. I, 12. Cat. 20, 7. Iug. 18, 12.

per militare nomen] *Nomen*, *rei* oppositum, quum dicatur de *vana specie*, sensus est: *adiuti praetextu belli gerendi*. Eadem sententia legitur Iug. 41, 7.

ex spoliis vostris] cf. Hist. Fr. I, 49, 7.

multitudo] Appositio est subiecti, quod verbo continetur: *vos*, *qui multi estis*, singulis vos — *praebetis;* cf. infra §. 14.

habendos] v. ad Iug. 2, 3. — *Fruendos* Germanice est: *zu benutzen und auszubeuten*.

nisi quia — destinatis] *Nisi* particulâ restringitur praecedens sententia *exuti omnibus*, *quae maiores reliquere*, quae restrictio caussali enuntiato *quia — destinatis* explicatur. Plenior igitur sententia foret: *exuti omnibus*, *quae maiores reliquere*, *nisi forte non exuti estis*, *quia vobismet ipsis — destinatis;* quod potest etiam sic dici: *exuti omnibus — excepto eo*, *quod — destinatis*. Acerbe autem Macer, quod solum reliquum sit libertatis, ut magistratus creent, a plebe ad servitium suum stabiliendum adhiberi dicit.

§. 7. *illuc*] i. e. *ad illos*, sc. dominos vestros; v. ad Cat. 3, 3.

plerique] sc. *concedent*.

raris] i. e. paucis, in multitudine quasi dispersis.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

num officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos socordisque pertimuere? Nisi forte C. Cotta, ex factione media consul, aliter quam metu iura quaedam tribunis plebei restituit; et quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunicia loqui ausus, mussantibus vobis, circumventus erat, tamen prius illi invidiam metuere, quam vos iniuriae pertaesum est. Quod ego nequeo satis 9 mirari, Quirites. Nam spem frustra fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis. 10 Ortus est longe saevior Catulus. Tumultus intercessit Bruto et Mamerco consulibus; dein C. Curio ad exitium usque insontis tribuni 11 dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, vidistis; quantae denique nunc mihi turbae concitantur! Quae profecto in cassum agebantur, si prius quam vos serviendi finem, illi dominationis facturi erant; praesertim quum his civilibus armis dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione in vobis sit. 12 Itaque cetera ex licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere;

ceteri] i. e. omnes alii, quibus animus deest.

§. 8. *ex factione media*] i. e. *ex medio factionis*, sive: vel maxime factioni nobilitatis coniunctus; cf. Cic. Phil. V, 12, 32. *Alteri sunt e mediis C. Caesaris partibus.*

iura quaedam — restituit] Intelligitur Cottae lex Aurelia, de qua v. Hist. Fr. II, 51.

L. Sicinius] Tribunus plebis fuit a. 76. a. Chr. n.; de eo v. Fr. II, 45.

mussantibus] v. ad Fr. I, 56, 3.

circumventus] i. e. oppressus, vi et malis artibus constrictus; cf. Cat. 31, 9. 51, 40. Fragm. I, 49, 1.

invidiam metuere] sc. lege Aurelia concedenda, qua vos delinire studerent.

§. 10. *tumultus*] sc. a Lepido motus; v. ad Fragm. I, 56.

insontis tribuni] Significatur *Q. Opimius*, suasor legis Aureliae, malitiosa adversariorum accusatione dignitate ac bonis eversus; cf. Cic. in Verr. I, 60, 155.

§. 11. *quantis animis*] i. e. quanta superbia, quo fastu et arrogantia; cf. Fr. I, 49, 24.

quae] i. e. quae omnia.

in cassum] i. e. nullo consilio, temere, frustra.

si prius — dominationis facturi erant] i. e. si dominatione absistere volebant. — Subintelligendum autem: *quod contra est.* Ad quam sententiam, quae suppletur, explicandam confirmandamque subiicitur: *praesertim quum — in vobis sit.* Universa autem sententia haec est: eo minus illi de abiicienda dominatione cogitarunt, quod in his civilibus armis omnino omnes de dominatione in vobis certarunt.

dicta alia, sed certatum utrimque] cf. Hist. Fr. I, 12. *Pauci potentes sub honesto patrum aut plebis nomine dominationem affectabant.*

§. 12. *cetera — arsere*] *Ardere* dicuntur, quae vel ipsa vehementer commota et agitata sunt, vel propter quae homines exagitantur; cf. Liv. II, 29, 12. VI, 31, 1. Quare sensus est: *cetera aliquamdiu tantum*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

permansit una res modo, quae utrimque quaesita est, et erepta in posterum, vis tribunicia, telum a maioribus libertati paratum. Quod 13
ego vos moneo quaesoque, ut animadvortatis, neu nomina rerum ad ignaviam mutantes otium pro servitio appelletis. Quo iam ipso frui, si vera et honesta flagitium superaverit, non est condicio; fuisset, si omnino quiessetis. Nunc animum advortere, et nisi viceritis, quoniam omnis iniuria gravitate tutior est, artius habebunt. Quid censes igitur? aliquis vostrum subiecerit. Primum omnium 14
omittundum morem hunc, quem agitis, impigrae linguae, animi ignavi, non ultra contionis locum memores libertatis. Deinde (ne 15
vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei, modo patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia maiores vostri pa-

— *homines exagitabant eorumque studia et cupiditates exercebant.*

utrimque quaesita] sc. a *plebe*, ut confirmarent, ab *optimatibus*, ut tollerent.

telum] Non quo plebs defendatur, sed cuius ope impetus in optimates paucosque potentes fieri possint; cf. Tacit. Dialog. c. 5. Liv. V, 29, 9. III, 69, 2.

§. 13. *Quod ego — animadvortatis*] Eadem leguntur Hist. Fr. III, 1, 8. I, 56, 9.

neu nomina etc.] Similia dicit Cato Cat. 52, 11.

ad ignaviam] i. e. secundum ignaviam, congruenter ignaviae; cf. Cic. Epp. ad Famm. XV, 6. *Ad meum sensum — nihil potest esse laudabilius.*

otium — appelletis] i. e. otium appelletis, quod servitium appellandum est.

Quo iam ipso frui etc.] i. e. sed ne hoc quidem, quod falso ita appellatis, otio frui iam licet.

vera et honesta] His verbis hic significatur *ius libertatis plebi a maioribus relictum*, cui opponitur *flagitium*, i. e. *vis et superbia nobilitatis.*

animum advortere] sc. *nobiles*, i. e. ad ea, quae agitis, animo intento sunt.

gravitate] i. e. viribus et potentia; cf. Caes. B. G. IV, 3, 4. *Hos quum Suevi propter amplitudinem gravitatemque finibus expellere non potuissent.* Sententia est: omnes, qui iniuriam inferunt, viribus tutiores sunt, quam qui patiuntur; cf. Iug. 31, 14. Hist. Fr. I, 49, 6.

artius habebunt] i. e. magis vos prement; cf. Iug. 85, 34.

§. 14. *impigrae linguae, animi ignavi*] Genitivi sunt attributivi ad *morem hunc* pertinentes.

non ultra — memores libertatis] Verba per appositionem referuntur ad *vos* subiectum, quod *agitis* verbo continetur; cf. supra §. 6.

§. 15. *quo tribunos*] *Quo* generali adverbii potestate refertur ad *virilia illa*, nulla generis ac numeri praecedentis substantivi ratione habita; cf. Iug. 102, 10. *Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis superes.* Non multum diversi sunt loci, ubi eadem ratione *qua re* dicitur pro *quo*; cf. Cic. p. Rosc. Am. 33, 94. *Permulta sunt, quae dici possunt, qua re* (= *quo*) *intelligatur.* Plancus in Cic. Epp. ad Famm. X, 21, 2. *Omnia* feci, *qua re* (= quo) resisterem. Caes. B. G. V, 31, 5. v. etiam ad Cat. 56, 5.

modo patricium magistratum] i. e. *magistratum qui antea tantummodo pa-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ravere) quum vis omnis, Quirites, in vobis sit, et quae iussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certe possitis, Iovem 16 aut alium quem deum consultorem exspectatis? Magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exsequendo rata efficitis, Quirites, ultro- 17 que licentiam in vos auctum atque adiutum properatis. Neque ego vos ultum iniurias hortor, magis uti requiem capiatis; neque discordias, ut illi criminantur, sed earum finem volens iure gentium res repeto, et si pertinaciter retinebunt, non arma, neque secessionem, tan- 18 tummodo ne amplius sanguinem vostrum praebeatis, censebo. Gerant habeantque suo modo imperia, quaerant triumphos, Mithridatem, Sertorium et reliquias exulum persequantur cum imaginibus suis; absit 19 periculum et labos, quibus nulla pars fructus est. Nisi forte repen-

triciorum esset. Intelligitur *consulatus*, a. 377. lege Licinia et Sextia patriciis extortus.

libera ab auctoribus patriciis suffragia] Quum antiquioribus temporibus, quae populus comitiis centuriatis constituisset, quo rata fierent, *comitiis curiatis* sive *lege curiata confirmari deberent*, quae ipsa erat *auctoritas patrum* vel *patriciorum* (cf. Liv. VI, 42, 10.), anno 339. a. Chr. n. a Q. Publilio Philone dictatore lex lata est, *ut legum, quae comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent* (cf. Liv. VIII, 12, 14.). Qua lege patet patriciorum auctoritatem speciem inanem factam esse.

quae nunc iussa pro aliis toleratis] De *militia* a plebeiis pro patriciorum commodo praestanda haec intelligenda esse in promptu est. — *Iussa* attributum est *quae* obiecti.

aut non agere certe possitis] Pertinent haec ad consilium *detrectandae militiae* in sequentibus apertius datum.

Iovem — exspectatis?] Mutata structura per interrogationem elata sunt, quae ex *deinde censeo* suspensa esse debebant in hunc modum: *Iovem — non esse exspectandum.*

§. 16. *Magna*] i. e. *magnifica, superba*; cf. Liv. XXXIV, 5, 6. XXXV, 2, 2. Horat. Sat. I, 6, 73.

auctum — properatis] Ad analogiam *ire* verbi *properatis* cum supino iunctum; cf. Hist. Fr. V, 18. Paulo insolentius idem statim post ex *hortor* pendet, eo excusandum, quod, quae in *properare* intransitiva sententia est, in *hortari* transitiva habetur.

§. 17. *iure — repeto*] i. e. *iura nobis erepta ut nobis restituantur, postulo.* Metaphora sumpta a fetialibus, qui, antequam populus Romanus bellum faceret, mittebantur *ad res repetendas*; cf. Liv. I, 32, 6.

§. 18. *suo modo*] i. e. fastu et arrogantia ipsis propria.

cum imaginibus suis] i. e. *sociis et adiutoribus usi imaginibus suis*, cui sententiae tacite opponitur *sine vobis.*

absit — labos] sc. *iis*, i. e. *vobis.*

§. 19. *repentina — lege*] Intelligitur lex Terentia et Cassia frumentaria, lata a M. Ter. Varrone et C. Cassio Varo coss. a. 73. a. Chr. n.; cf. Cic. in Verr. III, 70, 163. et V, 21, 52. — *Repentina* ea lex dicitur, quia, quum plebs iam per longius tempus caritate annonae premeretur patribus opem non ferentibus, consules, ne seditio oriretur, praeter exspectationem lege lata animos de-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

tina ista frumentaria lege munia vostra pensantur, qua tamen quinis modiis libertatem omnium aestumavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris. Namque ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires, sic neque absolvit cura familiari tam parva res, et ignaviam cuiusque tenuissima spe frustratur; quae tamen quamvis ampla quoniam serviti pretium ostentare- 20
tur, cuius torpedinis erat decipi et vostrarum rerum ultro iniuriae gratiam debere? Cavendus dolus est. Namque alio modo neque valent in univorsos, neque conabuntur. Itaque simul comparant de- 21
lenimenta, et differunt vos in adventum Cn. Pompei; quem ipsum, ubi pertimuere sublatum in cervices suas, mox dempto metu lacerant. Neque eos pudet, vindices, uti se ferunt, libertatis, tot viros 22

mulserant. — *Ista* significat *vobis grata*; cf. §. 20. *ultro iniuriae gratiam debere.*

munia vostra] Intelliguntur *stipendia et militiae labores* pro potentia nobilitatis subeundi.

quinis modiis] sc. lege frumentaria cuivis civi permittebatur in singulos menses quinos tritici modios vili pretio emere. Pro modio autem senos asses cum triente solvebant; cf. Schol. Bob. ad Cic. p. Sest. p. 300. et 303. Orell.

qui] sc. *quini modii.* — *Non amplius possunt*, i. e. *non plus efficiunt, valent.*

alimentis carceris] v. ad Hist. Fr. I, 49, 11.

senescunt] v. ad Cat. 20, 10.

Namque ut — sic etc.] Comparatio *servorum* alimenta carceris accipientium atque *plebis* lege frumentaria sublevatae eo redit, ut ostendatur, utrosque accepta ope *tenuiter modo iuvari*, et simul *novis et gravioribus malis implicari.*

§. 20. *quae tamen* etc.] Sententia est: *quae spes, etiamsi vel amplissima esset, tamen, quia ut servitii pretium ostentaretur, summae torpedinis erat decipi.*

et vostrarum rerum — debere] i. e. *et pro iis rebus, quae iure vestrae sunt, sed vobis ereptae, raptoribus adeo gratiam debere.*

iniuriae] i. e. *iis, qui iniuriam fecere;* abstractum enim positum pro concreto; cf. Iug. 3, 1. 43, 3. 31, 1. Cat. 52, 22. Hist. Fr. III, 64.

Cavendus dolus est] Haec verba spectant ad praegressa *cuius torpedinis erat decipi.*

alio modo] sc. *quam dolo.* — *Conabuntur*, sc. *valere.*

§. 21. *delenimenta*] sc. lege frumentaria.

differunt vos in adventum] i. e. exspectare vos iubent adventum (Germanice: *sie vertrösten euch auf*).

quem ipsum — cervices suas] i. e. *quem ipsum, quem tum, quum in summo timore fuerunt, sustulerunt in cervices suas.*

sublatum in cervices suas] Dictio desumpta a *servis lecticariis, dominum cervicibus gestantibus.* Quare hoc significatur, nobilitatem rerum suarum timore commotam Pompeium *quasi dominum sibi constituisse ac servili obsequio coluisse.* Intelligit autem Macer illud tempus, quo Metellus in Hispania tam male rem contra Ser-

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

sine uno aut remittere iniuriam non audere, aut ius non posse de-
23 fendere. Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium, tantae glo-
riae adulescentem, malle principem volentibus vobis esse, quam illis
dominationis socium, auctoremque in primis fore tribuniciae potesta-
24 tis. Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, non in uno
cuncti praesidia habebatis, neque mortalium quisquam dare aut eri-
25 pere talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum est; neque
26 enim ignorantia res claudit. Verum occupavit nescio qua vos tor-
pedo, qua non gloria movemini neque flagitio, cunctaque prae-
senti ignavia mutavistis, abunde libertatem rati, quia tergis abstine-
27 tur, et huc ire licet atque illuc, munera ditium dominorum. Atque
haec eadem non sunt agrestibus, sed caeduntur inter potentium ini-

torium gerebat, ut senatus in uno Pompeio spem melioris fortunae poneret, eumque summo imperio praeditum contra illum mitteret.

dempto metu] sc. Sertorii periculique ex Hispania imminentis.

lacerant] i. e. *iniquis iudiciis et sermonibus perstringunt*; cf. Cic. Brut. c. 42, 156. Liv. XLII, 3, 5. XLIII, 8, 3.

§. 22. *se ferunt*] i. e. *se iactant, gloriantur;* cf. Liv. IV, 45, 7. Vell. I, 11, 1.

remittere iniuriam] i. e. *iniuriam, quae sublata potestate tribunicia commissa erat, tollere eâ restituendâ.*

aut ius etc.] i. e. *aut si iure sublata est, non posse ipsos rem iure factam tueri.*

§. 23. *spectatum*] i. e. *rebus ipsis cognitum.*

adulescentem] Tum 33 annos natus erat Pompeius.

volentibus vobis] i. e. *voluntate et consensu vestro*; cf. Cat. 33, 2.

auctorem] i. e. *patronum, commendatorem*; cf. Hist. Fr. II, 47.

§. 25. *claudit*] Antique dictum pro *claudicat*, i. e. minus procedit; cf. Hist. Fr. Inc. 72.

§. 26. *qua non gloria movemini* etc.] Relativi ablativus caussalis est, *gloria, flagitio* instrumenti. Haud raro enim duo ablativi diversae potestatis ad idem verbum pertinent; cf. supra §. 19. *qua — quinis modiis libertatem aestumavere.* ibid. *ut illis exiguitate mors prohibetur.* Hist. Fr. IV, 20, 15. IV, 35. Ing. 7, 7.

praesenti ignavia mutavistis] i. e. *pro praesenti ignavia vendidistis, concessistis, praebuistis;* cf. Ing. 44, 5. Hist. Fr. I, 56, 7.

libertatem rati] sc. *esse;* v. ad Fr. I, 49, 19.

quia tergis abstinetur] Spectant haec ad legem Porciam, de qua Livius X, 9, 4. *Porcia lex*, inquit, *sola pro tergo civium lata videtur, quod gravi poena, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit.* cf. Cat. c. 51, 22.

munera — dominorum] Appositio est ad praecedentia; cf. Fr. IV, 20, 8. I, 49, 12.

§. 27. *Atque haec eadem non sunt*] i. e. *atque ne haec quidem*, licet tenuia et exigua, *sunt* etc.

agrestibus] i. e. *plebi rusticae;* de ea v. Cat. 37, 7.

caeduntur — inimicitias] i. e. interficiuntur, dum potentes inter se armis civilibus certant.

Δημόσιο Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

micitias, donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur 28
et vincitur paucis; plebes, quodcumque accidit, pro victis est, et in dies magis erit, siquidem maiore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem.

82. Collegamque eius Octavium mitem et captum pedibus.

83. Male iam assuetum ad omnis vis controversiarum.

84. Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat.

Cap. VII.

Fragmenta prorsus obscura aut paucissimis verbis composita. Fr. 85—98.

85. Quod ubi frustra tentatum est, socordius ire milites occoepere, non aptis armis, ut in principio, laxiore agmine.

86. Ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque stans incumberet.

87. Et forte in navigando cohors una, grandi phaselo vecta, a ceteris deerravit, marique placido a duobus praedonum myoparonibus circumventa.

donoque dantur etc.] i. e. magistratibus, quibus ad provincias obtinendas militibus opus est, pro lubitu utendi assignantur.

§. 28. *paucis*] i. e. in paucorum gratiam et commodum.

Fr. 82.] Arus. p. 243. Lind. Agi videtur de Sicinio, tribuno plebis dicacissimo (v. ad Fr. II, 45.), Scrib. Curionem, anni 76. a. Chr. consulem, eiusque collegam Cn. Octavium, pedibus captum (cf. Cic. Brut. 60, 217.), lacessente.

Fr. 83.] Priscian. VI, 12, 64. p. 261. Kr. Agitur de turbulento aliquo tribuno plebis, violentas contiones habere solito. Fortasse intelligendus Licin. Macer.

Fr. 84.] Arusian. p. 232. Lind. — *Gratiam facere alicuius rei* significat *veniam dare* sive *ignoscere;* cf. Cat. 52, 8. — Res ipsa effecta est *lege Plautia* sive *Plotia*, quam Caesar a. 77. a. Chr. n. suasit; cf. Suet. c. 5. Gell. XIII, 3, 5.

Fr. 85.] Non. IV, 3. p. 235, 14. Merc. — *Aptis armis* dictum pro usitatiore *aptatis*, quod est *armis expeditis atque ita compositis, ut, ubi usus veniret, ad manum atque in promptu esse possent*; cf. Liv. V, 49, 3. X, 33, 2. XXII, 5, 3.

Fr. 86.] Arusian. p. 235. Lind. Serv. ad Virg. Aen. IX, 229.

Fr. 87.] Non. XIII, 6. et 7. p. 534, 17. et 25. Merc. Verba spectant ad res cum piratis gestas.

Fr. 88.] Non. II, 527. p. 137, 9. Merc. De Romano exercitu haec dicuntur, procul a patria in maximo periculo et mortis timore versante. — *Extrema munia* intelligenda sunt de *testamento militari*, a militibus in summo rerum discrimine ac vix dubia morte imminente fieri solito, omisso testamentorum ritu solenni. — *Sequi munia* est *se dare ad munia obeunda*; cf. Hist. Fr. V, 8. Terent. Ad. II, 2, 40.

Fr. 89.] Non. IV, 218. p. 314, 23.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

88. Ac tum maxume, uti solet in extremis rebus, sibi quisque carissumum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia sequi.

89. Namque his praeter solita vitiosis magistratibus, quum per omnem provinciam infecunditate bienni proxumi grave pretium fructibus esset.

90. Dedecores inultique terga ab hostibus caedebantur.

91. Perculsis et animi incertis succurritur.

92. Muros successerant.

93. Fine inguinum ingrediuntur mare.

94. Dein lenita iam ira, postero die liberalibus verbis permulcti sunt.

95. Contra ille calvi ratus quaerit extis, num somnio portenderetur thesaurus.

96. Exaudirique sonus Bacchanaliorum.

97. Coniuratione claudit.

98. Dubius consili.

Merc. Fragmentum spectare videtur ad gravem annonam, qua Hispania premebatur; cf. Hist. Fr. III, 1, 1. et §. 9.

praeter solita] i. e. *solito magis*, sive ut Tacitus dicit Ann. IV, 64, 1. *ultra solitum*.

vitiosis magistratibus] Ita dicuntur mag., qui sunt *negligentes*, *officii immemores*, *salutis provinciae incuriosi*.

Fr. 90.] Priscian. VI, 9, 47. p. 250. Kr.

Fr. 91.] Arusian. p. 242. Lind.

Fr. 92.] Arusian. p. 260.

Fr. 93.] Arusian. p. 231. *Fine inguinum*, i. e. *inguinum tenus*; cf. Auct. B. Afric. c. 85, 1. *Per mare umbilici fine ingressi terram petebant*.

Fr. 94.] Priscian. IX, 9, 51. p. 466. Kr. — *Lenita ira* intelligenda est eius, qui postero die *liberalibus verbis* usus est.

Fr. 95.] Eutych. II, 16. p. 195. Lind. (p. 2186. P.) Non. I, 20. p. 7, 6. Merc. Priscian. X, 2, 13. p. 482. Kr. VIII, 14, 76. p. 415. — *Calvi*, i. e. *decipi*, *falli*. Supplendum est *se*.

Fr. 96.] Non. VIII, 49. p. 489, 26. Merc. Macrob. Saturn. I, 4.

Fr. 97.] Priscian. X, 4, 22. p. 489. Kr. cf. Fr. III, 81, 25.

Fr. 98.] Arusian. p. 225. Lind.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI
HISTORIARUM FRAGMENTA.
LIBER IV.

ARGUMENTUM.

CAP. I.

Bellum Mithridaticum. Amisi oppugnatio. — Pugna ad Cabira. — Mithridatis fuga ad Tigranem. — Clodius ad Tigranem legatus missus. — Lucullus regem in interiora regni sequitur. — Euphratis transitus. — Mesopotamiae descriptio. — Tigranocertorum expugnatio. — Copiarum Tigranis descriptio. — Luculli iter per Corduenos. — Mithridatis epistola ad Arsacem. Fr. 1—22. [Anni 71—69. a. Chr. n.]

CAP. II.

Bellum servile extremum. Pastores in Lucania servis se adiungunt et rudia arma parant. — Crassus dux contra fugitivos eligitur. — Spartacus in Bruttium agrum se recipit. — Eius conatus in Siciliam traiiciendi. — Descriptio Italiae inferioris et freti Siculi. — Servorum discordia, reditus ex Bruttiis per Lucaniam, et variae clades. — Spartaci mors. Fr. 23—46. [Annus 71. a. Chr. n.]

CAP. III.

Bellum Macedonicum ac Thracium. M. Luculli expeditio in Thraciam Fr. 47—48. [Anni 72. 71. a. Chr. n.]

CAP. IV.

Piratarum latrocinia. Fr. 49—50. [Anni 71—69.]

CAP. V.

Res urbanae. Cn. Lentuli censoris lex. — Urbs terrae motu concussa. — Metellus ex Hispania reversus. — Crassi et Pompeii consulatus. — Pompeius favorem plebis quaerit. — Idem potestatem tribuniciam restituit. — Palicanus aliique tribuni turbulenti. — Crassi et Pompeii simultas. — Verres a Cicerone accusatus. Fr. 51—64. [Anni 71. 70. a. Chr. n.]

CAP. VI.

Fragmenta obscuriora et incertae aut nullius explicationis. Fr. 65—77.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER IV.

Cap. I.

Bellum Mithridaticum. Amisi oppugnatio. — Pugna ad Cabira. — Mithridatis fuga ad Tigranem. — Clodius ad Tigranem legatus missus. — Lucullus regem in interiora regni sequitur. — Euphratis transitus. — Mesopotamiae descriptio. — Tigranocertorum expugnatio. — Copiarum Tigranis descriptio. — Luculli iter per Corduenos. — Mithridatis epistola ad Arsacem.

1. Amisumque assideri sine proeliis audiebat.

2. Quia praedatores facibus sibi praelucentes ambustas in tectis sine cura reliquerant.

3. Simul eos et cunctos iam inclinatos laxitate loci plures cohortes atque omnes, ut in secunda re, pariter acre invadunt.

4. Ita castra sine volnere introitum.

5. Cultu corporis ornata egregio.

6. Tenuit Lucullus thesauros, custodias regias.

Fr. 1.] Priscian. VIII, 9, 82. p. 419. Kr. — *Assideri* significat *segniter obsideri*; cf. Liv. XXI, 25, 6. Tacit. Ann. VI, 43, 1. Assidebat autem Lucullus; cf. Plutarch. in Lucull. c. 15.

audiebat] sc. Mithridates.

Fr. 2.] Arusian. p. 256. Lind. Agitur de Amiso post expugnationem direpta et incensa; cf. Plutarch. in Lucull. c. 19. — *Praedatores* vocabulum habetur etiam Iug. 44, 1. Hist. Fr. III, 41.

Fr. 3.] Non. II, 429. p. 132, 20. Merc. Verba videntur de pugna ad Cabira esse intelligenda; cf. Memnon. ap. Phot. cod. 224. p. 235, a. Bekk. Appian. B. Mithr. c. 81. Plutarch. in Lucull. c. 19.

Fr. 4.] Arusian. p. 243. Lind. Haec quoque ad victoriam Luculli ad Cabira reportatam spectare videntur; cf. Appian. B. Mithr. c. 82. Plut. in Lucull. c. 17. *Introitum* cum accusativo iunctum, quemadmodum dicitur *itur domum*, *venitur Italiam*, similia.

Fr. 5.] Serv. ad Virg. Georg. I, 3. Verba videntur de *Monime*, Mithridatis uxore, accipienda, quam ille post cladem Cabirensem simul cum ceteris uxoribus, sororibus et concubinis, ne Romani iis potirentur, interfici iussit; cf. Plutarch. in Lucull. c. 18. Appian. B. Mithr. c. 82. Memnon. ap. Phot. cod. 224. p. 235, a. Bekk.

Fr. 6.] Pompei. Comment. in Art. Don. p. 190. Lind. — *Custodiae regiae* sunt *carceres*, quibus Mithridates multos ex propinquis aliosque ipsi suspectos inclusos tenebat. Iis potitus est Lucullus post victoriam ad Cabira reportatam teste Plutarcho in Lucull. c. 18.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

7. Insolens vera accipiundi.

8. Tetrarchas regesque territos animi firmavit.

9. Imperi prolatandi percupidus habebatur, cetera egregius.

10. Camisos.

11. Quam maxumis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit ad flumen Euphraten, qua in parte Cappadocia ab Armenia disiungitur. Et quamquam naves codicariae occulto per hiemem fabricatae aderant.

12. [*Sallustius, auctor certissumus, asserit*] Tigrim et Euphraten uno fonte manare in Armenia [qui per divorsa euntes longius dividuntur spatio medio relicto multorum milium; quae tamen terra ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur].

13. Mesopotameni homines effrenatae lubidinis sunt in utroque sexu [*ut Sallustius meminit*].

Fr. 7.] Donat. ad Terent. Andr. V, 4, 4. Intelligendus videtur Tigranes, Appii Clodii, Mithridatem exposcentis, libera oratione offensus; cf. Plutarch. in Lucullo c. 19. 21. Appian. B. Mithr. c. 83. Memno ap. Phot. c. 224. p. 235, b. Bekk.

Fr. 8.] Arusian. p. 228. Lind. Dictum de Clodio, legationem ad Tigranem obeunte; cf. Plutarch. in Lucull. c. 21.

Fr. 9.] Arusian. p. 228. Lind. Verbis continetur criminatio Luculli, qua Romae ab adversariis petebatur; cf. Plutarch. in Lucull. c. 24.

Fr. 10.] Prob. II, 1, 51. p. 130. Lind. (p. 1473. P.). Locus, a Strabone XII. p. 838. B. Alm. τὰ Κάμισα dictus, fuit in Armenia minore, per quam Lucullus ivit, quum per Cappadociam Euphratem peteret.

Fr. 11.] Non. XIII, 12. p. 535, 15. Merc. Agitur de Luculli profectione contra Tigranem, anno 69. a. Chr. n. suscepta. — *Ariobarzanes* rex fuit Cappadociae, Romanis valde amicus; cf. Cic. Epp. ad Famm. XIII, 2, 6 sqq. Memno ap. Phot. cod. 224. p. 238, b. Bekk.

qua in parte etc.] Id fuit apud *Melitenen* urbem; cf. Tacit. Ann. XV, 25. 26. Strab. XII. p. 808. C. Alm. Plin. H. N. VI, 3.

Et quamquam etc.] Apodosis, quae deest, talis fere fuisse videtur: *primo tamen fluminis transitus valde difficilis videbatur*; cf. Memno l. l. et Plutarch. in Lucull. c. 24.

codicariae naves] i. e. *naves ex tabulis*, quae codices vocabantur, *factae* (Germ. *Bretterkähne*); cf. Varro apud Non. l. l.

Fr. 12.] Isidor. XIII, 21, 10. p. 429. Lind. — *Uno fonte* i. e. *singulis fontibus, non pluribus*, quae nonnullorum erat opinio.

Fr. 13.] Schol. ad Iuvenal. Sat. I, 104.

Fr. 14.] Prob. II, 1, 52. p. 130. Lind. (p. 1473. P.). *Napthae* mentio facta in narratione de Tigranocertorum obsidione, ubi incolae eo usi sunt ad machinas Romanorum delendas; cf. Dion. Cass. Fragm. 178. p. 76. Reim.

Fr. 15.] Arusian. p. 253. Lind. Haec quoque pariter ut Fr. sq. ad Tigranocertorum obsidionem spectare videntur.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

14. Naphthas.

15. Scalas pares moenium altitudine.

16. Pluteos rescindit, ac munitiones demolitur, locoque summo potitur.

17. Qui praegrediebantur equites cataphracti ferrea omni specie.

18. Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae annexuerant.

19. Apud Corduenos amomum et alii leves odores gignuntur.

20. *Epistola regis Mithridatis ad regem Arsacen.*

Rex Mithridates regi Arsaci s.

Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere; dein, quod quaesitur, 2 satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi perpetua

Fr. 16.] Non. II, 204. p. 95, 21. Merc.

Fr. 17.] Non. XVIII, 28. p. 556, 17. Serv. ad Virg. Aen. XI, 770. Pertinent verba ad pugnam ad Tigranocerta, in qua Tigranes a Lucullo devictus decem et septem milibus cataphractorum usus est; cf. Plutarch. in Lucull. c. 26.

Fr. 18.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 770. — *Paria*, sc. *ut equitibus*, sive *cataphractis*.

quae — *ferreis laminis — annexuerant*] Insolentius dictum pro: *quibus* (operimentis linteis) *ferreas laminas annexuerant*. In ea structura Sallustius analogiam verborum *induo*, *exuo*, *circumdo* etc. secutus videtur.

plumae] Collectivo sensu est vernaculum *Gefieder*.

Fr. 19.] Philargyr. ad Virg. Georg. IV, 49. *Corduenos*, Armeniae populum inter Tigrim et Arissam lacum habitantem, Lucullus post pugnam ad Tigranocerta adiit; cf. Plutarch. in Lucull. c. 29.

leves] i. e. suavissimi et naturâ tenuissimâ.

Fr. 20.] Codd. Vatt. tres, Ciacc. et Ursini duo, Balliol.

Tigrane ad Tigranocerta a Lucullo plane devicto urbeque ipsa non multo post capta, Mithridates, quamvis ea clade spe melioris fortunae excidisset, tamen animum non despondit, sed simul cum Tigrane opes reparare studens, novos socios, quibus Romanorum viribus resisteret, circumspexit. Quare ad Arsacem sive Phraatem, Parthorum regem, legatos misit, qui eum ad societatem cum ipso et Tigrane ineundam impellerent. Quod quo melius perficeretur, ipse epistolam, cuius exemplum Sallustius perscripsit, ad illum dedit. De re ipsa cf. Appian. B. Mithr. c. 87. Memno ap. Phot. c. 224. p. 238, a. Bekk. Dio Cass. XXXV, 3. Plutarch. in Lucull. c. 30. Ceterum Mithridatis spes auxilii frustra fuit.

§. 1. *secundis rebus*] v. ad Cat. 11, 4.

dein, quod quaesitur etc.] i. e. dein considerare debent, utrum id, quod rogantur (= societas belli), satis pium, — an indecorum sit. — De *quaesere* verbo cf. Hist. Fr. I, 60. I, 126.

§. 2. *Tibi perpetua pace — futura*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

pace frui liceret, nisi hostes opportuni et scelestissumi; egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est. Neque petere audeam societatem, et frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem. Atque ea, quae te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli et meae res parum prosperae, si vera existumare voles, maxume hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu voles societatem, accipiet; mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi, et, quod florentibus optabile est, ego non validissumus praebeo exemplum, quo rectius tua componas. Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus caussa bellandi est, cupido profunda imperi et divitiarum. Quia primo cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere, dum a Carthagi-

est] Haec verba responsum continent ad praecedentia, quo primum probetur Arsacem pacem agere *non posse*, deinde, si bellum sumat, id *gloriosum ei fore*.

nisi — scelestissumi] sc. *essent*. — *Opportuni* insolentius activo sensu dictum valet *ad aggrediendum parati*, quasi *ante portum versantes* et impetum facturi; cf. Iug. 88, 4.

Neque petere etc.] Abruptae prooemii sententiae. Quare inter haec et praecedentia supplendum est: *quod nisi ita esset*.

misceri] i. e. *iungi, copulari;* cf. Iug. 83, 1. *Neu florentis res suas cum Iugurthae perditis misceret*.

Atque ea etc.] Adiungit *atque* novam sententiam, non minus quam praegressa veram; quare sensu non differt ab *et tamen, quamquam;* cf. Cat. 51, 35. Iug. 4, 3.

§. 3. *ira in Tigranem*] cf. Plutarch. in Lucull. c. 21. *Τιγράνης τὴν Πάρθων, ὡς ἄλλος οὐδείς, δύναμιν ἐταπείνωσεν*. Dio Cass. XXX, 1. et c. 3.

§. 4. *obnoxius*] Absolute posita voce significatur is, *qui ex aliena voluntate vel ex aliqua necessitate pendet* (vernacula *gebunden, in Verlegenheit*); v. ad Iug. 31, 3. infra §. 13.

qualem tu voles etc.] i. e. societatem inibit ea condicione, ut tibi Mesopotamiam et Adiabenen cedat; cf. Memno ap. Phot. c. 224. p. 238. Bekk.

non validissimus] i. e. sine verborum integumentis *fractus opibusque exutus*.

§. 5. *nationibus, populis*] v. ad Cat. 10, 1.

profunda] i. e. *insatiabilis, immensa* (vern. *bodenlos*); cf. Iug. 81, 1.

sumpsere] i. e. *incepere;* cf. Iug. 20, 5. 62, 9. 83, 1. Hist. Fr III, 77, 10. Contrarium est *ponere*; cf. Iug. 112, 1.

cum rege Macedonum etc.] Intelligitur bellum alterum idque multo gravius, a. 200. a. Chr. n. motum.

dum — simulantes] Respicitur his verbis ad prius bellum Philippi, per novem annos (214—205. a. Chr. n.) lente gestum et satis aequis condicionibus compositum (cf. Liv. XXIX, 12.), quo spectant verba *amicitiam simulantes*.

§. 6. *Ei subvenientem*] Haec pertinent ad alterum cum Philippo bellum a. 200. a. Chr. n. ortum, quo Antiochus Macedonico regi non tam subvenit quam subvenire voluit, teste Livio XXXIII, 19, 11.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

niensibus premebantur, amicitiam simulantes. Ei subvenientem Antiochum concessione Asiae per dolum avertere, ac mox, fracto Philippo, Antiochus omni cis Taurum agro et decem milibus talen-
7 torum spoliatus est. Persen deinde, Philippi filium, post multa et varia certamina apud Samothracas deos acceptum in fidem callidi et repertores perfidiae, quia pacto vitam dederant, insomniis occi-
8 dere. Eumenem, cuius amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem; post habitum custodiae agri captivi sumptibus et contumeliis ex rege miserrimum servorum effecere, simulatoque impio testamento, filium eius Aristonicum, quia patrium
9 regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere; Asia ab ipsis obsessa est; postremo totam Bithyniam Nicomede mortuo di-

concessione Asiae] Non nimis stricto sensu hoc capiendum. Romani enim, quo Antiochum a transitu in Graeciam averterent, ambiguam spem ei, flagrante adhuc bello Macedonico, praebuisse videntur, nihil se impedituros, quominus in Asiam progrederetur; id quod intelligitur ex eo, quod devicto Philippo ac libertate Graeciae ludis Isthmiis pronunciata *non iam perplexe, ut ante, quum dubiae res incolumi Philippo erant, sed aperte pronunciarunt, ut excederet Asiae urbibus*, quae verba sunt Livii XXXIII, 34, 3.

fracto Philippo] sc. ad Cynoscephalas, a. 197. a. Chr. n.

Antiochus — spoliatus est] sc. victus ad Magnesiam a. 190. a. Chr. n. — Livius XXXVII, 45, 14. et Appian. Syriac. c. 38. habent *quindecim milia tal.* Cum Sallustio facit Eutrop. IV, 2.

§. 7. *apud Samothracas deos*] Eo fugit victus apud Pydnam a. 168. a. Chr. n. cf. Vell. I, 9, 4. — *Samothr. dii* sunt *Cabiri*, Ἀξίερος = Δημήτηρ, Ἀξιόκερσα = Περσεφόνη, Ἀξιόκερσος = Ἅιδης, Κάσμιλος = Ἑρμῆς.

insomniis occidere] cf. Vell. I, 11, 1. Plutarch. in Aem. Paulo c. 37.

§. 8. *prodidere*] Quid significet Mithridates, obscurum; certe res detorquet et contra veritatem exaggerat.

pacis mercedem] v. ad Fr. III, 81, 26.

habitum custodiae etc.] i. e. *quum ita eum haberent, ut nihil esset nisi custos agri captivi.*

sumptibus] sc. quos facere eum coegerunt tum navibus praebendis, tum quovis officiorum atque laborum genere pro Romanis suscipendo.

contumeliis] cf. Liv. Epit. XLVI. *Eumenes, quia Macedonico bello medium egerat, ne aut hostis iudicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur, in commune lex lata est, ne cui regi Romam venire liceret.*

simulatoque] i. e. *subditicio.* — *Testamentum* intelligitur Attali III, anno 133. a. Chr. n. defuncti; cf. Liv. Epit. LVIII. Vell. II, 4, 1.

Aristonicum] cf. Appian. B. Mithrid. c. 62. Iustin. XXXVI, 4, 6.

§. 9. *Bithyniam — diripuere*] Invidiose ita dicit occupationem Bithyniae testamento Romanis traditae; cf. Liv. Epit. XCIII. Arrian. ap. Phot. cod. 93. p. 73, b. Bekk.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ripuere, quum filius Nysa, quam reginam appellaverat, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me appellem? quem diiunctum undi- 10
que regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem, neque serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt, sceleris eorum haud ignarum, et ea, quae accidere, testatum antea Cretensis, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemaeum. Atque ego ultus iniurias Nicomedem Bithynia expuli, 11
Asiamque, spolium regis Antiochi, recepi, et Graeciae dempsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum Archelaus exer- 12
citu prodito impedivit; illique, quos ignavia aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissumas poenas solvunt, Ptolemaeus pretio in dies bellum prolatans, Cretenses impugnati semel iam, neque finem nisi excidio habituri. Equidem 13
quum mihi ob ipsorum interna mala dilata proelia magis quam pacem datam intellegerem, abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum

regniam appellaverat] i. e. *legitimam uxorem fecerat* reginae nomine ac dignitate ei tributa.

quum — haud dubie esset] i. e. *quamquam filium legitimum reliquerat.* Videtur is patre mortuo regnum paternum affectasse, sed a Romanis, qui eum spurium dicerent, repulsus esse; cf. Hist. Fr. II, 57.

§. 10. *Nam quid* etc.] Referuntur haec ad omissam sententiam: sufficiant haec ad Romanorum iniustitiam et avaritiam demonstrandam; cf. Cat. 52, 34. Iug. 24, 9.

per Nicomedem] Id factum a. 88. a. Chr. n. Cf. Appian. B. Mithrid. c. 11. 15. 16. 56. Iustin. XXXVIII, 5, 10.

ignarum] Pertinet haec vox ad *quem*.

ea, quae accidere, testatum antea Cretenses etc.] i. e. quasi testes citantem Cretenses et Ptolemaeum eorum, quae accidere, sive *praedicentem Cretensibus et Ptolemaeo ea futura esse, quae postea accidere*, scilicet quo eos ad societatem belli contra Romanos commoverem. *Testari aliquem aliquid*, vix alias dictum, eo excusatur, quod *testari* simplicem vel rei vel personae accusativum legitime asciscit.

§. 11. *Asiam, spolium — Antiochi*] i. e. *Asiam, qua Antiochum spoliaverant;* v. ad Hist. Fr. I, 49, 7.

Graeciae dempsi grave servitium] Spectant haec ad caedem civium Romanorum auctore Mithridate in omnibus Asiae civitatibus factam; cf. Appian. B. Mithr. c. 23. et v. ad Hist. Fr. I, 22.

§. 12. *postremus*] i. e. *vilissimus*; cf. Hist. Fr. I, 49, 3.

exercitu prodito] Archelaus apud Chaeroneam a Sulla a. 86. a. Chr. n. victus falso a Mithridate proditionis insimulabatur. Inde regem timens sub ipsa secundi belli initia (a. 81. a. Chr.) ad Romanos transiit; cf. Appian. B. Mithrid. c. 64. Plutarch. in Lucull. c. 8.

uti — tuti essent] Per epexegesin haec indicant, quo calliditas illorum spectaverit.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

coepi, Marcumque Cottam Romanum ducem apud Chalcedona terra
14 fudi, mari exui classe pulcherruma. Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidio moranti frumentum defuit, nullo circum annitente; simul hiems mari prohibebat. Ita sine vi hostium regredi conatus in patrium regnum naufragiis apud Parium et Heracleam
15 militum optumos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Cabira exercitu, et variis inter me atque Lucullum proeliis inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum, ego vastis circum omnibus locis in Armeniam concessi; secutique Romani non me, sed morem suum omnia regna subvortundi, quia multitudinem artis locis pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis
16 pro victoria ostentant. Nunc quaeso considera, nobis oppressis utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse, — et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris; — ceterum consilium est, Tigranis regno integro, meis militibus belli

pretio — prolatans] i. e. ita iam ex Romanis pendens, ut pretio tantum mercetur, ne vi eum regno exuant.

impugnati semel iam] sc. ab Antonio; cf. Fr. III, 59—66.

§. 13. *interna mala*] Intelligendum bellum civile Sullae atque Marianorum.

abnuente] Supplendum *initio*, cui in relativo enunciato respondet *nunc*, quod in praesenti tempore *probat* verbi inest.

obnoxiis] v. supra ad §. 4.

bellum coepi] Id factum a. 74. a. Chr. n.

apud Chalcedona] v. ad Hist. Fr. II, 59.

§. 14. *Apud Cyzicum*] cf. Hist. Fr. III, 14—36.

nullo circum annitente] i. e. nullo sociorum, qui circum erant, *vires intendente ad me iuvandum.*

hiems mari prohibebat] sc. frumentum afferri; cf. Appian. B. Mithr. c. 76.

apud Parium] cf. Hist. Fr. III, 35.

§. 15. *variis — proeliis*] i. e. modo me, modo Lucullo vincente; cf. Iug. 5, 1.

secuti — non me, sed morem suum] *Sequi* ad *me* relatum valet *insequi*, ad *morem suum* translato sensu significat *retinentem esse moris*. cf. Iug. 54, 2. *Iugurtha ubi gentium aut quid agitaret, Metellus exploratum misit.*

multitudinem] sc. meorum militum

artis locis pugna] v. ad Hist. Fr. III, 81, 26.

imprudentiam — ostentant] i. e. imprudentia *gloriantur.*

§. 16. *ceterum consilium est* etc.] *Ceterum* adversandi potestate ita refertur ad praecedentia, ut sensus sit: *quamquam scio tibi magnas opes esse* (ut mea societate non egere videaris), *tamen tibi consulo* (= consilium est), ut societate mecum inita bellum conficias, quod ita comparatum est, ut (*si abnuas societatem*) sine tuo periculo finiri nequeat, sive ego vinco, sive vincor.

Tigranis regno — corpora] His ver-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

prudentibus, procul ab domo, parvo labore, per nostra corpora bellum conficere, quo neque vincere neque vinci sine tuo periculo possumus. An ignoras, Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem 17
Oceanus fecit, arma huc convortisse, neque quicquam a principio nisi raptum habere, domum, coniuges, agros, imperium, convenas olim, sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum, quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul iuxta sitos, inopes potentisque trahant, exscindant, omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant? Namque pauci libertatem, 18
pars magna iustos dominos volunt; nos suspecti sumus aemuli et in tempore vindices affuturi. Tu vero, cui Seleucia, maxuma urbium, 19
regnumque Persidis inclutis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in praesens, et postea bellum exspectas? Romani arma in omnis 20
habent, acerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt; audendo et fallendo et bella ex bellis serendo magni facti. Per hunc morem 21
exstinguent omnia, aut occident, quod haud difficile est, si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna aut nostris vitiis adhuc incolumem. Teque 22

bis quinque afferuntur caussae, quibus Arsaces continuo ad amplectendum Mithridatis consilium permoveri debeat.

integro] i. e. nondum a Romanis fracto et occupato.

belli prudentibus] sc. militum peritia belli spem certam victoriae praebebat.

procul ab domo] i. e. a finibus tuis.

parvo labore] quippe Arsaci minoris laboris erat auxilia praebere, quam universam gravissimi belli molem in suis finibus sustinere.

per nostra corpora] Hoc videtur significari, Mithridatem ipsum atque Tigranem *potissimos belli duces fore*, suisque personis omnes belli casus atque pericula subituros.

quo — possumus] Relativo enuncìato ad consilium belli conficiundi *graves minae* adiunguntur, si Arsaces societatem neget. Hoc enim dicit Mithridates: si ipse vincat, poenas se negatae societatis ab Arsace repetiturum; sin Romani vincant, continuo eos Parthorum regnum invasuros. Sed ne importunus videatur, *tecte* modo periculum ex se futurum innuit, et in sequentibus id aperte agit, ut, quid Arsaci *a Romanis victoribus* timendum sit, exponat.

§. 17. *sine patria* etc.] v. ad Iug. 10, 1. infra §. 21.

peste conditos] i. e. ex perditissimis hominibus et quasi sentina orbis terrarum collectos et in civitatem compositos; cf. Cic. in Verr. V, 62, 162. III, 54, 125.

sitos] Rarius vocabulum de hominibus usurpatur; cf. Vell. II, 120, 1. Tacit. Ann. XII, 10, 2. Agric. c. 30.

trahant] i. e. diripiant, quasi secum auferant.

exscindant] i. e. bonis omnibus

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus latrones gen-
23 tium oppressisse. Quod uti facias moneo hortorque, neu malis per-
nicie nostra tuam prolatare, quam societate victor fieri.

21. Tum vero Bithyni propinquantes iam amnem Tartanium.

22. Namque primum Iasonem novo itinere maris Aeetae hospitis domum violasse.

Cap. II.

Bellum servile extremum. Pastores in Lucania servis se adiungunt et rudia arma parant. — Crassus dux contra servos eligitur. — Spartacus in Bruttiorum agrum se recipit. — Eius conatus in Siciliam traiiciendi. — Descriptio Italiae inferioris et freti Siculi. — Servorum discordia, reditus ex Bruttiis per Lucaniam, et variae clades. — Spartaci mors.

---

23. Hi locorum pergnari et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ea arte se quisque in formam parmae equestris armabat.

24. Coria recens detracta quasi glutino adolescebant.

25. Rursus iumenta nacti ad oppidum ire contendunt.

evertant (Germanice: *ruinieren, zu Grunde richten*).

non serva] i. e. *ipsis* non servientia, non subiecta.

§. 18. *aemuli*] Appositio est *subiecti cum praedicato coniuncti*, Germanice per *als* particulam reddenda.

affuturi] i. e. aggressuri, impetum facturi; v. ad Cat. 52, 18.

§. 19. *Seleucia*] Sita fuit ad Tigrim, exadversum Ctesiphonti, a Seleuco Nicatore condita, florens mercatura et magnitudine insignis; cf. Plin. H. N. VI, 30. Strabo XVI. p. 1073. C.

§. 21. *Mesopotamia — Armenia*] i. e. *ea parte, qua Mesop. est*, = *per Mesopotamiam.*

Fr. 21.] Arusian. p. 254. Lind.

Fr. 22.] Priscian. VI, 11, 61. p. 258. Kr. Verba Mithridatis fuisse videntur, Colchorum auxilium invocantis.

Fr. 23.] Non. XVIII, 14. p. 554, 20. Merc. De pastoribus agitur cum fugitivis coniunctis (cf. Plutarch. in Crasso c. 9.) et rudi arte arma sibi parantibus; cf. Flor. III, 20, 6. Frontin. de Strateg. I, 7, 6.

Fr. 24.] Serv. ad Virg. Georg. III, 155. Charis. I, 17, 65. p. 48. Lind. (p. 67. P.) Id. I, 21, 114. p. 76. (p. 106. P.) Philargyr. ad Virg. G. IV, 40. De fabricatione scutorum haec dicta esse patet ex Servio ad Virg. Aen. VI, 632. Ex eodem intelligitur Fragmentum arte cohaesisse cum praecedente, ac pastores fuisse Lucanos.

adolescebant] Insolenter dictum hunc sensum habet: *firmiter adhaerescebant, ut paene concreta viderentur.*

Fr. 25.] Non. IV, 68. p. 258, 24. Merc. Ad fugitivorum vexationes urbium in Lucania verba pertinere videntur; cf. Flor. III, 20, 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

26. Festinantibus in summa inopia patribus.

27. Revorsi postero die, multa, quae properantes deseruerant in castris, nancti, quum se ibi cibo vinoque laeti invitarent.

28. Sorte ductos fusti necat.

29. In silva Sila fuerunt.

30. Dolia quum sub trabes locata vitibus aut virgis vinciebant.

31. Implicatae rates ministeria prohibebant.

32. C. Verres littora Italia propinqua firmavit.

33. Italiae plana ac mollia.

34. Omnis Italia coacta in angustias scinditur in duo promontoria, Bruttium et Sallentinum.

35. Ad Siciliam vergens faucibus ipsis non amplius patet milibus V et XXX.

Fr. 26.] Donat. ad Ter. Eun. IV, 3, 8. *Festinantibus* est *trepidis, anxiis;* cf. Fr. III, 26. Cat. 31, 2. Iug. 85, 10.

in summa inopia] sc. ducis idonei reperiendi, qui Spartaco par esset; cf. Appian. B. C. I, 118. Plutarch. in Crass. c. 10. Id. Comparat. Nic. et Crassi c. 3.

Fr. 27.] Non. IV, 232. p. 320, 24. Merc.

Revorsi] Intelligendi videntur *servi*, a persecutione Romanorum fugatorum redeuntes.

properantes] sc. *Romani*, praecipiti fuga castra relinquentes.

quum se — invitarent] In re epulari *invitare aliquem cibo* dicitur *hospes*, qui convivis dapes praebet epulisque eos accipit, quod Germanice est *bewirthen*. At quum *convivantes* dicuntur *se invitare*, sensus est *indulgere edendo bibendoque* (sich gütlich thun); *se invitare cibo vinoque* Germanice est sich gütlich thun in Speisen und Wein, *plusculum se invitare* des Guten zu viel thun.

Fr. 28.] Serv. ad Virg. Aen. II, 201. VI, 22. De *Crasso* Fragmentum intelligendum est, haud multo post susceptum imperium partem ignavorum militum decimante; cf. Plutarch. in Crass. c. 10. Appian. B. C. I, 118.

Fr. 29.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 715. Agitur de fugitivis, qui a Crasso pressi in silvam Silam concesserunt, quae Bruttios peragrans ad fretum Siculum deficit; cf. Strabo VI. p. 400. A. Almel. — De Spartaci recessu cf. Plut. in Crass. c. 10. Appian. B. C. I, 118. Flor. III, 20, 12.

Fr. 30.] Arusian. p. 261. Lind. Spartaco in extrema Italiae compulso, fugitivi, quo in Siciliam transirent, rates doliis subiectis ad traiectum parabant; cf. Flor. III, 20, 13. Appian. B. C. I, 118.

Fr. 31.] Priscian. IX, 7, 37. p. 455. Kr. Fragmentum ad eandem rem pertinet ut praecedens. — *Ministeria* intelligenda sunt de nautarum opera in regendis navigiis posita.

Fr. 32.] Arusian. p. 254. Lind. — De structura verborum *Italiâ propinqua* v. ad Iug. 18, 11.

firmavit] sc. ad arcendum fugitivorum transitum in Siciliam.

Quae sequuntur Fr. 33—40 omnia pertinent ad descriptionem Italiae inferioris ac freti Siculi, quam Sallustius eo consilio rerum gestarum

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

36. Italiae Siciliam coniunctam fuisse constat; sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est, aut per angustiam scissum. Ut autem tam curvum sit, facit natura mollioris Italiae, in quam asperitas et altitudo Siciliae aestum relidit.

37. Sallustius Scyllam saxum esse dicit, simile formae celebratae procul visentibus.

38. Charybdis mare vorticosum, quod forte illata naufragia sorbens gurgitibus occultis milia sexaginta Tauromenitana ad litora trahit, ubi se laniata navigia fundo emergunt.

39. Triplici fluctu.

40. Pelorum promontorium Siciliae est, secundum Sallustium dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto.

41. Dissidere inter se coepere, neque in medium consultare.

narrationi interposuit, quod illorum locorum natura maxime factum est, ut cum Spartaco debellaretur.

Fr. 33.] Serv. ad Virg. Aen. III, 522. — *Mollia*, opposita asperis, montanis, saxosis, sunt, quae humum fertilem frugibusque gignendis aptam habent; cf. Fr. IV, 36.

Fr. 34.] Serv. ad Virg. Aen. III, 400. — *Coacta in angustias*, i. e. oblongam formam habens.

scinditur] i. e. dirimitur; cf. Mela II, 4, 7. *Frons Italiae in duo se cornua scindit.*

Bruttium] Ei etiam nomen *Leucopetrae*; cf. Strabo V. p. 324. c. VI. p. 397. B. Cic. Philipp. I, 3, 7.

Sallentinum] Idem saepius dicitur *Iapygia;* cf. Strabo V. p. 322. C. p. 324. A.

Fr. 35.] Arusian. p. 254. Lind. — *Faucibus ipsis*, i. e. *ubi fauces sunt angustissimae.* — De duplici ablativo v. ad Fr. III, 81, 26.

Fr. 36.] Serv. ad Virg. Aen. III, 414. Isidor. XIII, 18, 3. p. 426. Lind. XIV, 6, 34. p. 453.

asperitas — Siciliae] i. e. litus Siciliae asperum altumque.

Fr. 37.] Serv. ad Virg. Aen. III, 420. Isidor. XIII, 18, 4. p. 426. Lind.

simile formae celebratae] i. e. simile ei formae, quae famâ hominum celebrata (= notissima) est. Quippe fama ferebat Scyllam monstrum esse humana forma, canibus latrantibus succincta.

Fr. 38.] Serv. ad Virg. Aen. I, 117. III, 425. Arusian. p. 229. Lind. Isidor. XIII, 18, 5.

naufragia] i. e. partes navigiorum naufragio disiectorum.

Tauromenitana ad litora] cf. Strabo VI. p. 471. A. Almel. Seneca Ep. 79.

Fr. 39.] Serv. ad Virg. Aen. I, 120. De Charybdis vertice haec dicta ter in die fluctus movente; cf. Isidor. XIII, 18, 5.

Fr. 40.] Serv. ad Virg. Aen. III, 411. Isidor. XIV, 7, 4. — Fabulam de Peloro ab Hannibale occiso habet etiam Mela II, 7, 15. Valer. Max. IX, 8, ext. 1. Strabo I. p. 19. C. III. p. 259. B. Almel.

Fr. 41.] Arus. p. 238. Lind. Agitur de dissensionibus fugitivorum, Spartaco, postquam ex agro Bruttio se recipere conatus est, non amplius parentium; cf. Plutarch. in Crass. c. 11.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

42. Sapor iuxta fontis dulcissumos.

43. Quum interim, lumine etiamtum incerto, duae Galliae mulieres conventum vitantes ad menstrua solvunda montem ascendunt.

44. Igitur legiones pridie in monte positas lacessivit.

45. Avidior modo properandi factus.

46. Haud impigre neque inultus occiditur.

CAP. III.

Bellum Macedonicum ac Thracium. M. Luculli expeditio in Thraciam.

47. Mysii, [*quos Sallustius a Lucullo dicit esse superatos.*]

48. Vizo.

CAP. IV.

Piratarum latrocinia.

49. In quis notissumus quisque aut malo dependens ver-

Fr. 42.] Arusian. p. 262. Lind. Verba pertinent ad descriptionem lacus in Lucania, cuius aqua modo dulcis modo salsa esset, ad quem fugitivi a Spartaco digressi castra habebant; cf. Plutarch. in Crass. c. 11.

Fr. 43.] Non. VIII, 76. p. 492, 30. Merc. Agitur de insidiis, quas Crassus in montem, ubi fugitivi consederant, mittebat, a duabus Galliis mulieribus detectis; cf. Plutarch. in Crass. c. 11.

lumine — incerto] v. ad Iug. 21, 2.

Galliae] Insolens adiectivi forma *Gallius* pro *Gallus* ad analogiam vocum *Syrius, Mysius, Arcadius, Macedonius*, aliarum facta est.

ad menstrua solvunda] i. e. ad obeunda sacra *quovis mense fieri solita.* Apud Plutarchum l. l. dicuntur *γυναῖκες προθυόμεναι τοῖς πολεμίοις.*

Fr. 44.] Priscian. X, 8, 45. p. 504. *Legiones* videntur eaedem esse, quas Crassus in insidiis (Fr. 43.) locaverat. — De pugna illo loco facta cf. Frontin. de Strategem. II, 4, 7. — *Lacessivit* de fugitivorum duce sive Casto sive Gannico intelligendum est.

Fr. 45.] Arusian. p. 210. Lind. Vix dubitari potest, quin Crassus intelligendus sit, qui, audito Pompeium adventare ad Spartacum oppremendum, summa ope bellum conficere properavit; cf. Plutarch. Compar. Nic. et Crassi c. 3. Id. in Crass. c. 11. in Pomp. c. 21. Appian. B. C. I, 120.

Fr. 46.] Donat. ad Ter. Andr. I, 2, 34. De Spartaci morte haec probabiliter capienda sunt.

haud impigre] i. e. haud sine contentione, haud facili negotio. — De praedicato adverbio simul et adiectivo definito v. ad Iug. 5, 4.

Fr. 47.] Serv. ad Virg. Aen. VII, 604. Locus spectat ad M. Luculli expeditionem contra Thraces; cf. Oros. VI, 3. Eutrop. VI, 10. Liv. Epit. XCVII. Appian. Illyr. c. 30. — *Mysii* vel *Mysi*, de quibus v. Strabo VI. p. 453. A. XII. p. 816. C. p. 849. B. Almel., iidem sunt, qui vulgo *Moesi* dicuntur.

Fr. 48.] Probus II, 1, 23. p. 110. Lindem. (p. 1440. P.). *Vizo* urbs Thraciae eadem videtur, quae ab aliis *Bizone* vocatur; cf. Mela II, 2, 5. Plin. N. H. IV, 18. Strab. VII. p. 491. B. Eius mentio facta in Luculli expeditione Thracia.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

berabatur, aut immutilato corpore improbo patibulo eminens affigebatur.

50. Demissis partem quasi tertiam antennis.

Cap. V.

Res urbanae. Cn. Lentuli censoris lex. — Urbs terrae motu concussa. — Metellus ex Hispania reversus. — Crassi et Pompeii consulatus. — Pompeius plebis favorem quaerit. — Idem potestatem tribuniciam restituit. — Palicanus aliique tribuni turbulenti. — Crassi et Pompeii simultas. — Verres a Cicerone accusatus.

---

51. At Cn. Lentulus patriciae gentis, collega eius, cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigunda promulgavit.

52. Atque hiavit humus multa, vasta et profunda.

Fr. 49.] Non. IV, 355. p. 227, 22. Merc. Verba intelligenda sunt de insolentia et crudelitate piratarum; cf. Plutarch. in Pomp. c. 24.

in quis] sc. captis civibus Romanis.

immutilato] sc. alii mutilati atque lacerati suspendebantur, alii integro et non mutilato corpore.

improbo patibulo] i. e. patibulo *improbis destinato*, sive *quod supplicio improborum adhiberetur*.

eminens] i. e. sublimis, ita ut ex alto conspiceretur.

Fr. 50.] Arusian. p. 253. Lind. De fraude vel pugna aliqua piratarum haec dicta videntur; cf. Oros. VI, 3.

Fr. 51.] Gell. XVIII, 4, 4. Ad expositionem rerum urbanarum haec pertinent.

collega eius] Intelligendus est *L. Gellius*, Cn. Lentuli primum a. 72. in consulatu, deinde a. 70. in censura collega, de quo munere hic dici videtur.

cui] Refertur relativum non ad *eius*, sed ad *Lentulus*; v. ad Cat. 48, 1.

Clodiano] Vocabuli forma ostendit, eum ex Claudia gente adoptione in Lentulorum familiam *transiisse*; cf. Fr. II, 47.

stolidior an vanior] Huius severae notae caussa fuisse videtur haec, quod Lentulus inter paucos potentes fuit (cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 23, 68. p. Cluent. 42, 118.) et asperam censuram egit, quattuor et sexaginta senatu motis; cf. Liv. Epit. XCVIII. Cic. p. Cluent. 42, 118. 119.

emptoribus bonorum] sc. proscriptorum.

legem de pecunia — promulgavit] Pecunia bonorum publicatorum quum in aerarium redigeretur, a Sulla autem, reipublicae atque aerarii domino, compluribus remissa esset, Lentulus, quo succurreret aerario tum exhausto, legem illam promulgavit, quae, quum magnam invidiam haberet, perlata non est.

Fr. 52.] Non. IV, 228. p. 318, 27. Merc. Verba de ingenti terrae motu intelligenda videntur, quo Roma a. 71. vel 70. a. Chr. n. concussa est teste Phlegonte apud Photium cod. 97. p. 84, a. Bekk.

multa, vasta et profunda] Accusativis quum vi adverbii modus hiandi designetur, sensus est: *ita ut hiatus*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

53. Exercitum dimisit, ut primum Alpis digressus est.

54. Pompeius devictis Hispanis tropaea in Pyrenaeis iugis constituit.

55. Collegam minorem et sui cultorem exspectans.

56. Si nihil ante adventum suum inter plebem et patres convenisset, coram se daturum operam.

57. Multisque suspicionibus volentia plebi facturus habebatur.

58. M. Lollius Palicanus, humili loco Picens, loquax magis quam facundus.

59. Multitudini ostendens, quam colere plurumum, ut mox capitis ministram haberet, decreverat.

60. Qui quidem mos ut tabes in urbem coierit.

61. L. Hostilius Dasianus inquies animi.

62. Sestertium tricies pepigit a Gaio Pisone.

multis locis valde lati ac profundi exsisterent.

Fr. 53.] Arusian. p. 223. Lind. — *Dimisit*, sc. *Metellus*, ex Hispania rediens.

Fr. 54.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 6. Eam rem testatur etiam Plinius H. N. VII, 27. III, 4. Iul. Exsuper. c. 8. Strabo III, p. 242. A. IV. p. 269. C. Almel. Dio Cass. XLI, 24.

Fr. 55.] Arus. p. 220. Lind. Verba videntur de *Crasso* intelligenda, qui, quum bello servili feliciter finito ad consulatum aspiraret, non exspectaverat fore, ut Pompeius hunc honorem peteret, sed *minus potentem* (minorem) *et suam gratiam quaerentem* (sui cultorem) *collegam exspectaverat.*

Fr. 56.] Priscian. XIV, 6, 48. p. 608. Kr. Verba sunt Pompeii operam suam in restituenda potestate tribunicia pollicentis. Qui quum iam aliquot annis ante consulatum suum ex optimatium castris se recipere incepisset (cf. Fr. III, 81. 21—23.), anno 71. a. Chr. n. non amplius dissimulavit plebis partes se sequi constituisse tribuniciaque potestate restituenda popularem fieri; cf. Plutarch. in Pomp. c. 21. Ex Sallustii autem verbis patet partium popularium propugnatores cum Pompeio in ipso eius itinere ad urbem legatis missis consilia agitavisse.

Fr. 57.] Non. II, 900. p. 186, 19. Merc. Fragmentum Sallustii continet iudicium de eadem re, ut praecedens; cf. Appian. B. C. I, 121.

multisque suspicionibus] i. e. propter multas res, quae suspicionem praebebant; v. ad Iug. 23, 1.

volentia] i. e. *grata acceptaque*; cf. Tacit. Ann. XV, 36, 4. Hist. III, 52, 3.

habebatur] cf. Cat. 53, 1.

Fr. 58.] Quintil. II, 2, 2. Gell. I, 15, 13. — *Lollii Palicani* primariae partes fuerunt in restituenda potestate tribunicia; cf. Ascon. ad Cic. in Verr. I, 15, 45. p. 148. Pseudo-Ascon. ad Cic. Divin. in Caecil. 3, 8. p. 103. Orell.

Fr. 59.] Arusian. p. 248. Lind. De *Pompeio* haec dicta sunt; cf. Cic. in Verr. I, 15, 45. *Cn. Pompeius, quum primum contionem ad urbem consul designatus habuit, ubi id, quod*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

63. Crassus obtrectans potius collegae, quam boni aut mali publici gravis auctor.

64. Suspectusque fuit, incertum vero, an per neglegentiam, societatem praedarum cum latronibus composuisse.

CAP. VI.

Fragmenta incertiora et incertae aut nullius explicationis.

65. Omnes, quibus senecto corpore animus militaris erat.

66. Clausi lateribus altis pedem.

67. Infrequentem stationem nostram incuriosamque tam ab armis.

68. Qui proxumi loca hostium erant.

69. Stolide castra suggressus.

70. Curio Volcanaliorum die ibidem moratus.

71. Religione Volcanaliorum impeditus.

maxime exspectari videbatur, ostendit, se tribuniciam potestatem restituturum, factus est in eo strepitus et grata contionis admuratio.

cupitis] Ea spectasse putanda sunt ad summam nullisque finibus circumscriptam in republica potentiam, quam postea adeptus est.

Fr. 60.] Festus v. *tabes*, p. 273. ed. Lind. Agi videtur de pravo turbarum more a tribunis plebis perpetuo excitatarum.

in urbem coierit] i. e. in urbem intrarit in eaque invaluerit.

Fr. 61.] Arusian. p. 242. Lind. Hostilius, ceterum ignotus, inter eos fuisse videtur, qui civitatem turbarent.

Fr. 62.] Arusian. p. 251.

Fr. 63.] Arusian. p. 250. Continetur verbis iudicium de Crassi consulatu simultatibus cum Pompeio acto; cf. Plutarch. in Crass. c. 12. in Pomp. c. 22.

Fr. 64.] Non. IV, 62. p. 260, 31. Merc. Vix dubitari potest, quin haec de *Verre* dicta sint, cuius accusationem Sallustius non praetermisisse videtur. Ceteris eius criminibus Sallustius adiungit *suspicionem de facta praedarum societate cum latronibus*; cf. Cic. in Verr. I, 4, 9. 5, 12. IV, 52, 116. V, 24—26. c, 32—35.

incertum vero, an etc.] cf. Fr. IV, 51. Iug. 113, 1. Tac. Annal. III, 44, 3.

Fr. 65.] Priscian. IX, 9, 49. p. 464. Kr. — *Senecto corpore* ablativi sunt absoluti. — Haud dubie significantur *evocati*.

Fr. 66.] Arusian. p. 215. Lind.

Fr. 67.] Arusian. p. 242. — *Statio incuriosa ab armis* significat *milites in statione positos neque arma in promptu habentes*.

Fr. 68.] Arus. p. 252. — De structura cf. Cat. 11, 1. Iug. 49, 1. §. 6.

Fr. 69.] Arusian. p. 262.

Fr. 70.] Non. VIII, 49. p. 489, 26. Merc. Charis. I, 17, 18. p. 34. Lind. (p. 46. P.) Pompei. Comment. in Art. Don. p. 163. Lind.

Fr. 71.] Pompei. Comment. in Art. Don. p. 222. Lind.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

72. Quis in praesens modo satis cautum fuerat.

73. Magnam exorsus orationem.

74. Impotens et nimius animi est.

75. Anxius animi atque incertus.

76. Consili aeger.

77. Ne inrumiendi po..... sublicibus cavata ..... essent.

Fr. 72.] Arusian. p. 242. Lind.
Fr. 73.] Arusian. p. 229.
Fr. 74.] Arusian. p. 249.
Fr. 75.] Arusian. p. 216.
Fr. 76.] Arusian. p. 212.

Fr. 77.] Festus p. 239. Lind. De *ponte sublicio* dixisse Sallustium in Historiarum libro IV. eo loco, ubi haec verba lecta fuerunt, intelligitur ex Festo l. l.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI
HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER V.

ARGUMENTUM.

CAP. I.

Bellum Mithridaticum. Mithridates Pontum recipit; — senex validissimus in pugna vulneratur. — Seditio legionum ad Nisibim. — Clodius seditionis concitator. — Lucullus militibus haud gratus; — Quintium permovere studet, ne sibi adversetur. — Marc. Rex Lucullo auxilium negat. — Legiones Valerianae ab exercitu discedunt. Fr. 1—14. [Anni 68. 67. a. Chr. n.]

CAP. II.

Res urbanae. Lex Gabinia. — Pompeii dissimulantia et gloriatio. — Gabinius Pompeium commendat. — Catulus legem dissuadet. Fr. 15—20. [Annus 67. a. Chr. n.]

HISTORIARUM FRAGMENTA.

LIBER V.

CAP. I.

Bellum Mithridaticum. Mithridates Pontum recipit; — senex validissimus in pugna vulneratur. — Seditio legionum ad Nisibim. — Clodius seditionis concitator. — Lucullus militibus haud gratus; — Quintium permovere studet, ne sibi adversetur. — Marc. Rex Lucullo auxilium negat. — Legiones Valerianae ab exercitu discedunt.

1. Adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.

2. Luxo pede.

Fr. 1.] Serv. ad Virg. Georg. IV, 211. Dici videtur de Mithridate in Pontum regresso, regnumque magno subditorum studio rursus occupante; cf. Appian. B. Mithrid. c. 88. Eutrop. VI, 9. Dio Cass. XXXV, 9.

Fr. 2.] Probus p. 133. Lind. (p. 1476. P.). Mithridates in pugna

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

3. Prohibet nocere venenum, quod tibi datur.

4. Peractis septuaginta annis armatus equum insilire.

5. Et in proeliis actu promptus.

6. Turbinum motus vagus est et disiectus et [*uti Sallustii verbis utar*] vorticosus.

7. Regem avorsabatur.

8. Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum aut tribunorum, et pars sua, commeatibus, mercatis . . .

9. Qui uxori eius frater erat.

10. [*Σαλούστιος μὲν οὖν φησι*] *χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ δύο χειμῶνας ἐξῆς ἐν χάρακι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας.*

11. Lucullus pecuniam Quintio dedit, ne illi succederetur.

cum M. Fabio Adriano graviter pedem vulneratur; cf. Appian. Mithrid. c. 88. Dio Cass. XXXV, 9.

Fr. 3.] Grammaticus inc. de generibus nominum p. 58. ed. Otto. Capienda videntur verba de curatione vulneris Mithridatis per venenum; cf. Appian. B. Mithr. c. 88.

Fr. 4.] Arusian. p. 213. Lind. Laudatur in Mithridate sene vigor atque fortitudo; cf. Dio Cass. XXXV, 9.

Fr. 5.] Donat. ad Ter. Eun. IV, 7, 14. Fragm. hoc cognati sensus est cum superiore.

Fr. 6.] Seneca Quaest. Nat. VII, 8. De vi turbinum dixit Sallustius, quum exposuit de pugna Mithridatis et Triarii ad Comana commissa; cf. Appian. B. Mithr. c. 88.

Fr. 7.] Arusian. p. 216. Lind. *Rex* videtur Mithridates.

Quae sequuntur Fragmenta 8—14, spectant omnia tum ad seditionem exercitus Luculliani, tum ad inimicorum Luculli machinationes.

Fr. 8.] Non. II, 533. p. 138, 9. Merc. Agitur de Valerianis, imperio et disciplina militari exsolutis, et in urbe Nisibi per otium luxuriantibus; cf. Liv. Epit. XCVIII. Dio Cass. XXXV, 14.

sequebantur] v. ad Hist. Fr. III, 88.

mĕrcatis] Nonio auctore l. l. dictum est pro *mercatibus*.

Fr. 9.] Arusian. p. 231. Intelligitur *P. Clodius*, homo malignus et praecipuus militum ad seditionem instigator; cf. Plutarch. in Lucull. c. 34. Dio Cass. XXXV, 14.

Fr. 10.] Plutarch. in Lucullo c. 33. — Cf. Dio Cass. XXXV, 16.

Fr. 11.] Schol. Gronov. ad Cic. p. l. Man. 10, 28. p. 441. Orell. Quum Romae Luculli adversarii in iisque L. Quintius (cf. Plut. in Lucull. c. 33.) perpetuo clamarent, alii bellum Mithridaticum demandandum esse, Lucullus pretio Quintium permovere studuisse videtur, ut a postulando successore sibi mittendo absisteret.

illi] Accuratius dicendum erat *sibi;* sed secundaria enunciatio, proprie ex Luculli mente suspensa, ab ipso auctore posita est; cf. Iug. 96, 2.

Fr. 12.] Priscian. XVIII, 4, 41. p. 123. Kr. Agitur de Lucullo auxilium a Q. Marcio Rege petente; cf. Dio Cass. XXXV, 15. Appian. B. Mithrid. c. 90.

Fr. 13.] Arusian. p. 244. Lind.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

12. At Lucullus, audito Q. Marcium Regem proconsulem per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere.

13. Sed ubi ille militum voluntatem causatus.

14. Legiones Valerianae comperto lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datum, sese missos esse.

CAP. II.

Res urbanae. Lex Gabinia. — Pompeii dissimulantia et gloriatio. — Gabinius Pompeium commendat. — Catulus legem dissuadet.

---

15. Cupientissumus legis.

16. Quibus de caussis Sullam dictatorem uni sibi descendere equo, assurgere sella, caput aperire solitum.

17. Saepe celebritatem nominis intellego timentem.

— *Ille* est *Q. Marcius Rex*, vano praetextu milites se sequi nolle Lucullo petitum auxilium negans; cf. Dio Cass. XXXV, 17.

Fr. 14.] Priscian. XVIII, 4, 41. p. 123. Kr.

lege Gabinia] Eius legis, ab A. Gabinio a. 67. a. Chr. n. latae, quamquam summa erat de uno imperatore contra praedones constituendo, tamen, quantum ex Sallustii loco coniicitur, complura capita fuisse videntur, quae ad Asiae res ordinandas pertinerent.

consuli] Is fuit M'. Acilius Glabrio; cf. Dio Cass. XXXV, 2. Plutarch. in Pomp. c. 30.

sese missos esse] De missione Valerianorum cf. Dio Cass. XXXV, 15.

Fr. 15.] Diomedes I. p. 291. Putsch. — Verba intelligenda sunt de Pompeio, qui, quamvis *cupientissimus* esset *legis Gabiniae*, tamen eam cupidinem dissimulare studuit; cf. Dio Cass. XXXVI, 7.

Fr. 16.] Non. IV, 5. p. 236, 18. Merc. IV, 430. p. 397, 14. Serv. ad Virg. Aen. I, 111. III, 206. Arusian. p. 214. Lind. Verba sunt ex oratione Pompeii simulatae modestiae et simul arrogantiae plenissima, qua imperium sibi destinatum recusavit; cf. Dio Cass. XXXVI, 8.

quibus de caussis] Spectant haec ad meritorum suorum in rempublicam commemorationem, quam Pompeius praemiserat; cf. Hist. Fr. III, 1, 1.

uni sibi] In dativo inest *honoris habendi* ratio et consilium.

descendere equo etc.] Haec omnia recepto usu pertinebant ad *honorificentiam;* cf. Serv. ad Virg. Aen. XI, 500. Seneca Ep. 64. Valer. Max. II, 2, 4. VIII, 5, 6. Dio Cass. XLV, 16.

solitum] cf. Plutarch. in Pomp. c. 8. in Crass. c. 6. Appian. B. C. I, 80. Valer. Max. V, 2, 9.

Fr. 17.] Priscian. XVIII, 4, 42. p. 123. Kr. Et huius et sequentis Fragmenti verba desumpta videntur ex Gabinii oratione, qua Pompeium populo commendans in senatum atque optimates, rogationi suae atque Pompeio valde obnitentes, vehementer invectus est.

celebritatem nominis] sc. Pompeii.

timentem] sc. nobilitatem, quae vox subiectum est.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

18. Video indigentiam dona quaesitum gratiae properantem.

19. Sane bonus ea tempestate contra pericula et ambitionem.

20. Nam si in Pompeio quid humani evenisset.

Fr. 18.] Priscian. XVIII, 4, 42. p. 123. Kr.

indigentiam] Abstractum positum esse pro concreto liquet (v. ad Fr. III, 81, 20.); *indigentia* igitur dicitur pro *indigentibus* sive *carentibus*, sc. *vera virtute*, quales describit Marius in oratione nobilitati infestissima, Iug. 85.

dona gratiae] Intelliguntur *honores et imperia*, populi gratiae debita, quae plerumque *beneficia* dicuntur; cf. Iug. 31, 16. 85, 3.

quaesitum — properantem] v. ad Hist. Fr. III, 81, 16.

Fr. 19.] Serv. ad Virg. Aen. I, 195. — Dici videtur de Catulo rogationem Gabiniam dissuadente; cf. Fr. 20.

bonus ea tempestate] Quum Catulus esset ex factione paucorum potentium, Sallustio valde invisa, his verbis significatur illum alias bono publico adversantem tum sane pro republica stetisse.

pericula] sc. quae *reipublicae* pararentur, novo atque inaudito imperio, quod ipsa dictatura multo maius esset, uni deferendo.

ambitionem] sc. *Pompeii*, qui, quamvis modestissimum se simularet, tamen nullis artibus parcebat, ut primus in civitate fieret, omnemque potentiam ad se raperet.

Fr. 20.] Arusian. p. 228. Lind. Verba sunt Catuli legem Gabiniam dissuadentis; cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 20, 59. *Q. Catulus quum ex vobis quaereret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit magnum suae virtutis fructum* etc. Vell. II, 32, 1. Valer. Max. VIII, 15, 9. Plutarch. in Pomp. c. 25.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. SALLUSTI CRISPI

HISTORIARUM FRAGMENTA

INCERTA.

1. Quum Sertorius neque erumpere tam levi copia navibus.

2. At Sertorius vacuus hieme augere copias.

3. Cales civitas est Campaniae; nam in Flaminia quae est Cale dicitur. Est et in Gallaecia hoc nomine, [*quam Sallustius a Perperna captam commemorat.*]

4. Speciem captae urbis efficere discedentes.

5. Ut res magis quam verba gererentur, liberos parentesque in muris locaverant.

6. Radicem montis excessit.

7. Paululum requietis militibus.

8. Consedit in valle virgulta nemorosaque.

9. Ex parte cohortium praecipere instructa, et stationes locatae pro castris.

10. In secunda festinas cohortes composuerat.

11. Sed ubi tempore anni mare classibus patefactum est.

Fr. 1.] Serv. ad Virg. Aen. II, 564.

Fr. 2.] Porphyr. ad Horat. Epp. II, 2, 77. — *Vacuus* significat: *cui otium esset ab hostibus.*

Fr. 3.] Serv. ad Virg. Aen. VII, 728.

Fr. 4.] Serv. ad Virg. Aen. VIII, 557.

Fr. 5.] Schol. ad Statii Theb. X, 573. Agitur de oppidanis obsessis, qui, ut cives suos, excursione facta ante portas cum hostibus pugnam conserentes, ad virtutem accenderent, liberos parentesque in muris locaverant. Sensus est: *ut re ipsa* (i. e. propinquorum aspectu) *magis quam verbis incitamento ad virtutem uterentur.*

Fr. 6.] Schol. ad Stat. Theb. III, 116.

Fr. 7.] Serv. ad Virg. Ecl. VIII, 4. — *Requietis* significat *requiete refectis;* cf. Liv. XLIV, 38, 8.

Fr. 8.] Serv. ad Virg. Aen. III, 516.

Fr. 9.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 661.

Fr. 10.] Serv. ad Virg. Aen. IX, 488.

Fr. 11.] Serv. ad Virg. Aen. I, 146.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

12. Repente incautos agros invasit.
13. Virtuti satis credebant.
14. Tergis vinciebant.
15. Neu quis miles neve pro milite.
16. Graviore bello, qui prohibituri venerant socii, frigere.
17. Exercitum maiorum more vortere.
18. Hostes oppressi aut dilapsi forent.
19. Apud latera certos collocaverat.
20. Profectus quidam Ligus ad requisita naturae.
21. More equestris proeli sumptis tergis atque redditis.
22. Regressi ad faciliores ictus loco cedebant.
23. Impediebant iussa nautarum.
24. Quae pacta in conventione non praestitissent.
25. In nuda iniecta corpora.
26. Non repugnantibus modo, sed ne deditis quidem. a. b. c. m.
27. Ita sperat illam pugnam pro omine belli futuram.

Fr. 12.] Serv. ad Virg. Georg. III, 469.

Fr. 13.] Serv. ad Virg. Ecl. II, 17.

Fr. 14.] Serv. ad Virg. Aen. IX, 412. — *Tergis*, i. e. *tergoribus* sive *loris*.

Fr. 15.] Serv. ad Virg. Aen. II, 157. Spectant verba ad edictum quoddam ducis alicuius, militibus suis aliqua re interdicentis.

pro milite] Haec verba vim habent attributi, quod substantivo *miles* respondeat; sensus enim est: *neu quis miles, neve qui pro milite esset.* — Significantur autem *evocati*, i. e. stipendiis emeritis missi ac rursus ad arma excitati, ubi liberiore quam iusti milites disciplina habebantur.

Fr. 16.] Donat. ad Ter. Hecyr. V, 1, 31. — *Graviore bello* ablatt. absoluti sunt.

frigere] i. e. remissiores fuere, languere.

Fr. 17.] Serv. ad Virg. Aen. V, 408.

Fr. 18.] Isidor. XVIII, 2, 7.

Fr. 19.] Serv. ad Virg. Aen. I, 576.

Fr. 20.] Pompeius Comment. in Donat. de barbar. et metaplasm. p. 440. Lind. Quintil. VIII, 6, 59. — *Ad requisita naturae*, i. e. *ad alvum exonerandam.*

Fr. 21.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 619. Insolenter Sallustius dixit *terga sumere atque reddere* pro *insequi et rursus fugere*, utrumque repetens a vulgatis locutionibus *terga dare* vel *praebere*. Quemadmodum enim, qui fugit, ipse terga *dat* sc. *feriendа persequenti*, ita, qui persequitur, fugientis terga sibi data *sumit*, atque ubi ipse ex persequendo in fugam se convertit, terga *reddit*. De hoc genere pugnae cf. Iug. 59, 3.

Fr. 22.] Serv. ad Virg. Aen. IX, 749.

Fr. 23.] Serv. ad Virg. Aen. III, 128.

Fr. 24.] Donat. ad Ter. Eun. III, 2, 13.

Fr. 25.] Diomed. II. p. 442. Putsch. — *Nuda corpora* sunt *scutis non tecta, inermia;* cf. Iug. 107, 2. Subiectum enumeriati fuit *tela*.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

28. Ubi multa nefanda casu super ausi atque passi.

29. Quo cupidius in ore ducis sese quisque bonum et strenuum ostentantes.

30. Atque eos a tergo incurrerunt.

31. Togam paludamento mutavit.

32. Pressi undique multitudine.

33. Exercitum argento fecit.

34. Lusitaniae gravem civitatem.

35. In Hispaniam vorsus.

36. Ille Conisturgim apud legiones venit.

37. Iam repente visus saevire Tagus.

38. Aenum et Maroneam et viam militarem.

39. [*Sallustius vanos Mauros et*] ferocis Dalmatas [*pulsat*].

40. Ostia.

41. [*Lenaeus Sallustium, quod*] Pompeium oris improbi, animo inverecundo [*scripsisset, acerbissima satira laceravit*].

Fr. 26.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 28. — *Repugnantibus* et *deditis* dativi sunt, ex *pepercerunt* vel *parsum est* pendentibus. — *Non modo* dictum pro *non modo non*.

Fr. 27.] Serv. ad Virg. Aen. I, 456. X, 311.

Fr. 28.] Priscian. XIV, 4, 40. — *Casu super*, i. e. *praeter ea, quae casu accidebant*.

Fr. 29.] Serv. ad Virg. Aen. X, 370. Isidor. IX, 3, 22. p. 298. Lind.

Fr. 30.] Rufinian. de schem. lex. §. 33. p. 254. Ruhnk.

Fr. 31.] Isidor. XIX, 24, 9. p. 604. Lind. Schol. ad Iuven. VI, 400. Serv. ad Virg. Georg. I, 8. Sensus est: *a pace ad bellum migravit*.

Fr. 32.] Donat. ad Ter. Adelph. III, 2, 5.

Fr. 33.] Seneca Ep. 114. Ad usum *facere* verbi pro *comparare* dicti cf. Hist. Fr. I, 49, 26. II, 36. Cic. in Verr. V, 30, 77. id. Philipp. V, 16, 44.

Fr. 34.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 458. — *Gravem*, i. e. *validam, opibus valentem*.

Fr. 35.] Priscian. de XII. vers. Aen. c. 13. p. 357. Kr.

Fr. 36.] Pompei. Comment. in Art. Don. p. 395. Lind. — Verba *apud legiones* non pendent ex *venit*, sed adverbii modo referuntur ad *Conisturgim*, hoc fere sensu: *ubi* vel *in cuius vicinia legiones erant*.

Fr. 37.] Serv. ad Virg. Aen. X, 103.

Fr. 38.] Serv. ad Virg. Aen. III, 17. *Aenus* (*Αἶνος*) et *Maronea* (*Μαρώνεια*) notissimae urbes sunt Thraciae. *Via militaris* est, quae dicitur *via Egnatia*, initium capiens a Dyrrachio et per Epirum, Macedoniam et Thraciam extensa usque ad Byzantium.

Fr. 39.] Tertullian. de anima p. 313.

Fr. 40.] Charis. I, 18, 11. p. 55. Lind. (p. 76. P.). Eo auctore Sallustius dixit *Ostia, Ostiorum*.

Fr. 41.] Sueton. de illustr. gramm. c. 15. *Improbum os* Pompeio tribuit Sallustius, propter summam eius simulantiam et falsitatem, qua per

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

42. Inter arma civilia aequi boni famas petit.

43. Ex insolentia avidus malefaciundi.

44. Communem habitum transgressus.

45. Atque ipse cultus rei.

46. Nam Sullae dominationem queri non audebat.

47. Neque est offensus dominatione Sullae.

48. Multos tamen ab adulescentia bonos insultavit.

49. Pactione amisso Publio legato.

50. Equo atque armis insignibus.

51. Pyrrhus interemptus fuit in aede Dianae a quadam muliere [*Trogo*, *Sallustio et Lucceio auctoribus*].

52. Staphylus primus docuit vinum aqua misceri. [*C. Plinius et Sallustius auctores sunt.*]

53. Hi sunt, qui secundum pocula et alias res aureas diis sacrata instrumenta convivio mereantur.

54. Nam talia incepta, ni in consultorem vortissent, reipublicae pestem factura.

totam vitam utebatur, ita ut semper aliud ore prae se ferret, aliud mente reconditum agitaret. *Invereundus animus* cernebatur in insatiabili potentiae cupiditate et arrogantia, qua erat in omnes, qui ipsi displicerent.

Fr. 42.] Seneca Ep. 114. — *Aequi boni*, v. ad Cat. 9, 1. — *Famas*, cf. Hist. Fr. I, 73.

Fr. 43.] Serv. ad Virg. Aen. IX, 343. Intelligendus videtur Clodius, homo nequissimus; cf. Cic. de Harusp. resp. c. 26. Vell. II, 45, 1.

Fr. 44.] Priscian. XIV, 3, 28. p. 596. Kr. Si *habitus* figuram corporis significat, verba capi possunt de *Mithridate*, coll. Hist. Fr. II, 56.

Fr. 45.] Acro ad Horat. Sat. II, 2, 66. — *Rei* genitivus est *reus* vocis.

Fr. 46.] Arusian. p. 257. Lind. Donat. ad Ter. Phorm. II, 3, 24.

Fr. 47.] Donat. ad Ter. Phorm. II, 3, 24. Hoc et praecedens Fragm., parvo intervallo inter se distantia, de Pompeio videntur intelligenda, qui, quamvis immodica potentiae cupiditate exagitatus parem neminem ferre vellet, tamen olim Sullae dominationem neque queri ausus erat, neque ea fuerat offensus.

Fr. 48.] Donat. ad Ter. Enn. II, 2, 54. Serv. ad Virg. Aen. IX, 634. X, 643. Hoc quoque Fragm. de Pompeio videtur accipiendum.

Fr. 49.] Donat. ad Ter. Phorm. I, 2, 91. *Publius legatus* est *Clodius*, qui Luculli legatus erat. — *Amisso* Donato auctore significat *dimisso*; proprie enim *amittere* pariter ut *ablegare* est *a se mittere*, *a* praepositione remotionem ab aliquo loco vel re vel persona designante.

Fr. 50.] Serv. ad Virg. Aen. X, 539.

Fr. 51.] Caecil. Apul. de orthogr. §. 16. Osann.

Fr. 52.] Caecil. Apul. de orthogr. §. 12. Osann.

Fr. 53.] Serv. ad Virg. Aen. VIII, 278. — *Secundum* significat *praeter*. — *Diis sacrata instrumenta* sunt *pa-*

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

55. Quae caussa fuerat novandis rebus.

56. Ad mutandum modo in melius servitium.

57. Genua patrum advolvuntur.

58. Ergo senati decreto serviundumne sit.

59. More humanae cupidinis ignara visundi.

60. Atque ea cogentes non coactos, scelestos magis quam miseros distringi.

61. Dum inferior omni via grassaretur.

62. Ut tanta repente mutatio non sine deo videretur.

63. Fecit, ut nunciis confestim lugubribus.

64. Eo redeunte domum salutaretur apud aedem Bellonae.

65. Orion oritur [*ut Sallustius dixit*] iuxta solis aestivi pulsum.

66. Rebus supra vota fluentibus.

67. Maxumis ducibus, fortibus strenuisque ministris.

68. Imbecilla est fortitudo, dum pendet.

69. Nubes foedavere lumen.

70. Soleas festinare.

terae; cf. Varro de L. L. IV, 26. Verba appositio esse videntur ad *res aureas*.

Fr. 54.] Donat. ad Virg. Aen. I, 37. IV, 316. Hunc locum ante oculos habuisse videtur Tacitus Ann. XI, 37, 1. *Ni caedem (Messalinae) Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem.* Cf. ib. VI, 10, 2. Sall. Hist. Fr. I, 56, 1.

Fr. 55.] Serv. ad Virg. Aen. IV, 290.

Fr. 56.] Serv. ad Virg. Aen. I, 281. Verba spectare videntur ad consilium aliquod vel senatus vel nobilitatis, quo plebi speciose aliquid concederetur, ita ut non tolleretur eius servitium, sed modo in melius mutaretur.

Fr. 57.] Serv. ad Virg. Aen. I, 307.

Fr. 58.] Donat. ad Ter. Andr. II, 2, 28.

Fr. 59.] Gell. IX, 12, 22. Non. II, 465. p. 129, 20. Merc. — *Ignara* passive dictum; v. ad Iug. 18, 6.

Fr. 60.] Donat. ad Ter. Hecyr. IV, 1, 21.

Fr. 61.] Macrob. de differ. et societ. gr. latinique verbi p. 693. Gronov.

Fr. 62.] Donat. ad Ter. Eun. III, 2, 36. Serv. ad Virg. Aen. II, 632. — *Deus* latiore sensu est *numen divinum*, sive *vis summi numinis*.

Fr. 63.] Charis. II, 14, 36. p. 116. Lind. (p. 176. P.).

Fr. 64.] Intprr. Virg. a Maio editi p. 43. ad Aen. V, 80.

Fr. 65.] Serv. ad Virg. Aen. V, 626.

Fr. 66.] Serv. ad Virg. Aen. II, 169. Dictionem *supra vota fluere* expressit Tacitus Hist. III, 48, 3. Cf. eund. Ann. XV, 5, 2. Cic. Off. I, 26, 90.

Fr. 67.] Diomed. II. p. 442. Putsch.

Fr. 68.] Schol. ad Stat. Theb. V, 384.

Fr. 69.] Serv. ad Virg. Aen. II, 286. *Foedare lumen* est *solem obscurare*.

Fr. 70.] Serv. ad Virg. Aen. XII, 425. *Soleas festinare* significat *soleas celeriter induere*. Ponebantur autem

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

71. Ad Iovis mandem nostra.

72. Nihil socordia claudebat.

73. Non poeniturum.

74. Volgus amat fieri.

75. [*Primo mense veris dicitur novum ver, secundo adultum, tertio praeceps; sicut etiam Sallustius dicit ubique*] nova aestas, adulta, praeceps.

76. Sanctus alia.

77. Cornua occanuerunt.

78. Ne qua contumelia.

79. Fenoribus coopertus.

80. Senecta iam aetate.

81. Luces.

82. Vices.

83. Aliaque propter.

84. Cuncta potiundi.

85. Visuros.

86. Duci probare.

soleae in conviviis; unde *poscere soleas* significat *de convivio surgere;* cf. Hor. Sat. II, 8, 77.

Fr. 71.] Donat. ad Ter. Adelph. IV, 2, 43.

Fr. 72.] Donat. ad Ter. Eun. I, 2, 84. De *claudere* verbo cf. Hist. Fr. III, 81, 25.

Fr. 73.] Quintil. IX, 3, 12. v. ad Iug. 104, 5.

Fr. 74.] Quintil. IX, 3, 17. v. ad Iug. 34, 1.

Fr. 75.] Serv. ad Virg. Georg. I, 43.

Fr. 76.] Serv. ad Virg. Aen. III, 594. cf. Fr. 1, 100.

Fr. 77.] Serv. ad Virg. Georg. II, 384. cf. Fr. I, 76.

Fr. 78.] Donat. ad Ter. Eun. IV, 7, 1.

Fr. 79.] Quintil. II, 17, 7. IV, 17, 6.

Fr. 80.] Serv. ad Virg. Aen. XI, 165.

Fr. 81.] Serg. ad Donati art. sec. p. 1845. Putsch.

Fr. 82.] Serv. ad Virg. Aen. II, 433.

Fr. 83.] Arusian. p. 255. Lind.

Fr. 84.] Arusian. p. 251. Lind.

Fr. 85.] Quintil. IX, 3, 12.

Fr. 86.] Quintil. IX, 3, 12.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

INDEX

NOMINUM PROPRIORUM.

A.

Aborigines, cum Troianis coniuncti. C. 6, 1.
Achaei, ferox gens. Fr. III, 48.
Achilles, primus Graecorum. Fr. III, 32.
Actaeon, a canibus laceratus. Fr. II, 7.
Adherbal, Micipsae filius. I. 5, 7. 9, 4. 10, 8.
— bello petitur a Iugurtha. I. 13.
— Romam profectus orationem in senatu habet. I. 14.
— Romae parum efficit. I. 15.
— regno diviso acrius a Iugurtha invaditur. I. 20.
— Cirtam compulsus obsidetur. I. 21.
— Cirtae pressus legatos cum litteris Romam mittit. I. 23. 24.
— Cirta dedita ab Iugurtha interficitur. I. 26, 3.
Aeetas, ab Iasone violatus. Fr. IV, 22.
Aegyptus, Asiae pars. I. 19, 3.
Aemilius Scaurus, eius ingenium et mores. I. 15, 4.
— Adherbali subveniundum censet. I. 15, 5.
— legatus a senatu mittitur ad Iugurtham. I. 25, 4.
— Calpurnii legatus fit. I. 28, 4.
— a Iugurtha corrumpitur. I. 29.
— eius scelus Memmius patefacere studet. I. 32, 1.
— in quaesitoribus fuit ex lege Mamilia. I. 40, 4.
Aemilii, Fr. I, 49, 3.
Aeneas, in Italiam delatus. C. 6, 1.
Aenus, urbs Thraciae. Fr. Inc. 38.
Aethiopes, sub ardoribus habitantes. I. 19, 6.
Afri, eorum natura. I. 17, 6.
Africae descriptio. I. 17. 18. 19.
— incolae primi. I. 17, 7. 18.
Africae populi vani. Fr. I, 69.
Africum mare. Fr. II, 2.
Sp. Albinus, cos. a. 110., Massivam spe regni implet. I. 35, 1.
— properanter bellum aggressus nulla re gesta Romam redit. I. 36.
— post Auli fratris pacem ignominiosam in Africam abit. I. 39, 4.
Alexander M., ei comparatus est Pompeius. Fr. III, 6.
Allobroges per Umbrenum ad coniurationem asciscuntur. C. 40, 1.
— coniurationem indicant. C. 41.
— ius iurandum signatum a coniuratis postulant. C. 44, 1.
— praemia iis decernuntur. C. 50, 1.
Alpes, Fr. III, 1, 4. IV, 53.
Amazones in campis Themiscyriis. Fr. III, 46.
Amisus, a Lucullo obsessa. Fr. IV, 1. 2.
Anni Forum. Fr. III, 77, 14.
C. Annius Leptim praefectus missus. I. 77, 4.
L. Annius, trib. pl. a. 110., magistratum continuare studet. I. 37, 2.
Q. Annius ex coniuratis. C. 17, 3.
Antiochus, Romanorum hostis Fr. I, 49, 4. IV, 20, 6.
— ei Asia a Rom. erepta. Fr IV, 20, 11.
Antipodes, iusti. Fr. I, 69.
Antonius, ex Sertorii percussoribus. Fr. III, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. Antonius, a Catilinae consiliis non alienus. C. 21, 3.
— consul fit cum Cicerone. C. 24, 1.
— imperium accipit contra Catil. C. 36, 3.
— proelio adesse nequit. C. 59, 4.
M. Antonius, orae maritimae praefectus. Fr. III, 59. 65.
Apio, Cyrenas Romanis testamento reliquit. Fr. II, 47.
Apollo, pater Aristaei. Fr. II, 7.
Apollinis ludi. Fr. II, 90.
Appius Claudius Caecus, eius dictum aliquod. Fr. II, 46.
Appius Claudius, interrex a. 77. Fr. I, 56, 22.
— comitia consularia habet. Fr. I, 60.
— bellum in Macedonia gerit. Fr. I, 88.
— pecunias imperat. Fr. II, 41.
Apulia a Catilina excitata. C. 27, 1. 42, 2.
— ibi a Catilinariis servile bellum movetur. C. 30, 2.
Archelaus, Mithridatis dux. Fr. IV, 20, 12.
Ariobarzanes, Cappadociae rex. Fr. IV, 11.
— Lucullum adiuvit. Fr. IV, 20, 15.
Aristaeus, Cretam ac Sardiniam occupavit. Fr. II, 7.
Aristonicus, Eumenis Pergameni filius. Fr. IV, 20, 8.
Armenia. Fr. IV, 11. 12. IV, 20, 21.
Armenii, in Africam transvecti. I. 18, 4.
Arpinum, C. Marii patria. I. 63, 3.
Arretinus ager a Catilina sollicitatus. C. 36, 1.
Arsaces, Parthorum rex; ad eum epistola Mithridatis. Fr. IV, 20.
Artabazes, conditor regni Mithridatis. Fr. II, 53.
Asia, tertia orbis terrarum pars. I. 17, 3.
Aspar, Iugurthae speculator apud Bocchum. I. 108, 1.
Athenae, scriptoribus illustratae. C. 8.
Athenienses, imperii cupidi. C. 2, 2.
Athenienses, claris scriptoribus abundabant. C. 8.
— a Lacedaemoniis victi. C. 51, 28.
Albin. Aulus, pro praet. ab Albino cos. in Numidia relictus. I. 36, 4.
— hieme expeditione facta a Iugurtha armis exutus et sub iugum missus. I. 37. 38.
— magna ex eo invidia laborat. I. 39, 1.
— foedus ab eo factum senatus improbat. I. 39, 3.
Aurelia Orestilla, Catilinae uxor altera. C. 15.
— eius liberalitas a Catil. laudatur. C. 35, 3.
P. Autronius, ex coniuratis. C. 17, 3.
— iam prius coniuraverat. C. 18, 1.
— Crassum de coniuratione suspectum reddere voluisse putabatur. C. 48, 7.
Avellani coloni. Fr. III, 76.
Aventinus mons, bis occupatus. I. 31, 17. Fr. I, 11.
Azilis, regio et flumen Africae. Fr. I, 70.

B.

Bacchanalia. Fr. III, 96.
C. Baebius, trib. pl., impudentia Iugurtham tegit. I. 34.
Balleia, mons in Lusitania. Fr. I, 72.
L. Bellienus, praetor Uticae. I. 104, 1.
Bellonae templum. Fr. Inc. 64.
L. Bestia, ex coniuratis. C. 17, 3. 43, 1.
L. Bestia Calpurnius cos. a. 111. Numidiam accipit. I. 27, 4.
— eius ingenium. I. 28, 5.
— a Iugurtha corruptus rem negligenter gerit. I. 29.
Bithyni, bello impliciti. Fr. IV, 21.
Bithynia, a Mithridate invasa. Fr. II, 57.
— prima Asiae civitas. Fr. III, 43.
— a Romanis occupata. Fr. IV, 20, 9.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Bocchus Mauretaniae rex. I. 19, 7.
— a Iugurtha socius assumptus. I. 80, 3.
— a Romanis spretus erat. I. 80, 4.
— eius filia Iugurthae uxor. I. 80, 6.
— a Metello ad transigendum movetur. I. 80.
— Mario se non alienum praebet. I. 88, 5.
— Iugurthae rursus coniungitur. I. 97.
— cum Iugurtha Marium bis invadit. I. 97. 98. 99—101.
— legatos Cirtam ad Marium mittit. I. 102, 2.
— bellum suum excusare studet. I. 102, 12.
— legatos ad Marium et deinde Romam mittit. I. 103. 104.
— Sullam ad se invitat transigendi caussa. I. 105 sqq.
— fluctuat usque ad postremum inter Romanos et Iugurtham. I. 109. 113.
— eius oratio ad Sullam. I. 110.
Bomilcar Numida, caedis Massivae administer. I. 35, 4.
— accusatus clam aufugit. I. 35, 9.
— cum Rutilio pugnat ad Muthul flumen. I. 52.
— a Metello ad tradendum Iugurtham impellitur. I. 61, 4—5.
— Iugurtham ad deditionem permovet. I. 62.
— insidias Iugurthae meditatur. I. 70.
— proditus a Iugurtha interficitur. I. 72, 1.
Bruti, Fr. I, 40, 3.
D. Iun. Brutus, in eius domo coniurati Allobroges conveniunt. C. 40, 5.
— cos. a. 77. Fr. III, 81, 10.
Bruttium promontorium. Fr. IV, 34.
Bruttius ager, motibus agitatus. C. 42, 1.
Burbuleius nomen Curioni per ludibrium impositum. Fr. II, 45.

C.

Cabira, ibi Mithridates exercitum collegit. Fr. IV, 20, 15.
Caeparius, ex coniuratis. C. 46, 3. 47, 4.
— supplicio afficitur. C. 55, 6.
Q. Caepio, male contra Gallos pugnat. I. 114, 1.
— homo ignotus. Fr. I, 96.
C. Iul. Caesar, Statilium in liberam custodiam accipit. C. 47, 4.
— inimicitias c. Catulo et Pisone exercuit. C. 49.
— gravi aere alieno laborabat. C. 49, 3.
— ab equitibus gladiis petitur. C. 49, 4.
— eius oratio de poena coniuratorum. C. 51.
— eius ingenium et mores. C. 54.
L. Caesar, cos. a. 64. C. 17, 1.
Calaguritani, obsessi corporibus humanis vescuntur. Fr. III, 8.
Cale, Gallaeciae civitas. Fr. Inc. 3.
Camisos, Armeniae castellum. Fr. IV, 10.
Capitolium, incensum. C. 47, 2.
Cappadocia. Fr. IV, 11.
Capsa, Numidiae urbs a Mario capitur. I. 89—91.
Capuae a Catilinariis servile bellum movetur. C. 30, 2.
Capys, Campaniam tenuit. Fr. II, 11.
Cn. Papirius Carbo, Italiam deseruit. Fr. I, 35.
— turpiter ignavus. Fr. I, 45.
Cares, piratica famosi. Fr. I, 85.
Carthago deleta Romanis funesta fuit. C. 10, 1. I. 41; 2. Fr. I, 11. 12.
— Phoenicum colonia. I. 19, 2.
Carthaginienses. Eorum ager Masinissae datus. I. 14, 8.
— hostes fuerunt Numidarum. I. 14, 10.
— eorum fines provincia Romana facti. I. 19, 7.
— cum Cyrenensibus de finibus certabant. I. 79.
Carthaginiense bellum. I. 14, 5. Fr. I, 10.
C. Cassius Longinus, ex coniuratis. C. 17, 3. 44, 2.
L. Cassius praetor, insigni fama, ad Iugurtham Romam ducendum missus. I. 32.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Catabathmos, fines Asiae et Africae facit. I. 17, 4. 19, 3.
L. Serg. Catilina, eius ingenium. C. 5.
— legatus fuit. Fr. I, 91.
— eius socii. C. 14. 16. 21. 37.
— eius coniuratio prior. C. 18. 19.
— repetundarum reus. C. 18, 3.
— orationem habet ad socios. C. 20. 22.
— eius consilia prodita. C. 23.
— consulatum petit in a. 62. C. 26.
— insidias Ciceroni parat. C. 27, 2.
— conventum habet apud Laecam. C. 27, 3.
— lege Plautia interrogatur. C. 31, 4.
— in senatu, a Cicerone petitus, magnam ferociam ostendit. C. 31, 7—9.
— urbem relinquit. C. 32, 1.
— ex itinere litteras Romam mittit. C. 34, 2.
— eius litterae ad Q. Catulum. C. 35.
— a senatu hostis iudicatur. C. 36, 2.
— per montes Galliam petit. C. 56.
— servitia repudiat. C. 56, 5.
— a Metello Celere itinere in Galliam prohibetur. C. 57, 2.
— ad pugnandum coactus orationem habet ad milites. C. 58.
— desperata pugna occumbit. C. 59. 60.
M. Porc. Cato Censorius, scriptor disertissimus. Fr. I, 2.
— iniquius de bonis iudicavit. Fr. I, 3.
M. Porc. Cato Minor, eius oratio de poena coniuratorum. C. 52.
— eius ingenium et mores. C. 54.
Q. Catulus, litteras a Catilina accipit. C. 35.
— Caesarem falso inter coniuratos nominari vult. C. 49, 1.
— cos. a. 78. Fr. I, 1.
— probra iacit in Lepidum. Fr. I, 50.
— Sullae instituta tuetur. Fr. III, 81, 10.
— Pompeio repugnat. Fr. V, 19. 20.
Celtiber perfuga, Sertorius dictus. Fr. III, 2.
Celtiberi, se regibus devovent. Fr. II, 20.
C. Cethegus, ex coniuratis. C. 17, 3. 32, 2. 40, 1. 43, 3. 46, 3.
— convictus in liberam custodiam datur. C. 47, 4.
— familiam concitare studet. C. 50, 2.
— supplicio afficitur. C. 56, 6.
P. Cethegus, homo potens et factiosus. Fr. I, 56, 20.
Chalcedon, ibi M. Cotta fusus. Fr. IV, 20, 13.
Charybdis, vortex. Fr. IV, 38.
M. Tull. Cicero, invidia laborat ex oppressis Catilinariis. C. 22, 3. 43, 2.
— consul fit. C. 23, 5. 24, 1.
— per Fulviam et Q. Curium consilia coniuratorum comperit. C. 26, 4.
— Antonium collegam sibi conciliat. C. 26, 4.
— ei insidiae parantur a Catil. C. 27, 2. 28, 1—3.
— de coniuratione ad senatum refert. C. 29.
— orationem in Cat. primam habet. C. 31, 6.
— praesidium urbis accipit. C. 36, 3.
— per praetores Allobroges deprehendit. C. 45, 1.
— coniuratos in senatum ducit. C. 46.
— a Crasso incusatus Tarquinium contra se immisisse. C. 48, 9.
— Q. Catuli et C. Pisonis artibus, ut Caesar falso nominaretur in coniuratis, resistit. C. 49, 1.
— de coniuratis supplicium sumi iubet. C. 55.
Cilicia. Fr. II, 50, 7. V, 12.
Cimbrica praeda. Fr. I, 49, 17.
Cimbricum bellum. C. 59, 3.
Corn. Cinna, libris Sibyllinis regno urbis Romae destinatus. C. 47, 2.
— eius perfidia. Fr. I, 24.
— contra senatum saeviit. Fr. I, 56, 19.
Cirta, quo Adherbal pulsus fugerat, a Iugurtha obsidetur. I. 21.
— Iugurthae deditur. I. 26, 1.
— in eius vicinia Marius Iugurtham fugit. I. 88, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cirta, bis deinde apud Cirtam pugnatum. I. 97—99. 101.
Concordiae templum, in eo de coniuratis consultabatur. C. 46, 6.
Conisturgis, Hispaniae civitas. Fr. Inc. 36.
Cordueni, Armeniae gens. Fr. IV, 19.
Corneliis tribus regnum Romae libris Sibyllinis portendebatur. C. 47, 2.
C. Cornelius, ex coniuratis. C. 17, 4.
— Ciceronem interficiendum suscipit. C. 28, 1.
Cornelius, scriba, Sullanus. Fr. I, 49, 17.
Q. Cornificius, Cethegum in liberam custodiam accipit. C. 47, 4.
Corsa, Ligus mulier. Fr. II, 13.
Corycus, Ciliciae oppidum. Fr. I, 87.
Cosa, Etruriae urbs. Fr. I, 59.
Cossinius, a Spartaco oppressus. Fr. III, 75.
C. Aurel. Cotta, cos. a. 75. Fr. II, 50.
— eius oratio ad populum. Fr. II, 50.
— iura quaedam plebi restituit. Fr. III, 81, 8.
L. Cotta, cos. a. 65. C. 18, 5.
M. Cotta, gladio ab Oppio petitur. Fr. III, 39.
— apud Chalcedonem a Mithridate fusus. Fr. IV, 20, 13.
M. Licin. Crassus, de societate coniurationis suspectus. C. 17, 7.
— Pompeium perosus. C. 17, 7. 19, 2. Fr. IV, 63.
— Gabinium in liberam custodiam accipit. C. 47, 4.
— a Tarquinio inter coniuratos nominatur. C. 48 sqq.
— imperium contra fugitivos accipit. Fr. IV, 26. 28. 45.
— consul fit. Fr. IV, 55.
Creta, ab Aristaeo occupata. Fr. II, 7.
— eius situs et natura. Fr. III, 60. 61. 62.
Cretenses, religionem invenerunt. Fr. III, 63.
— a Mithridate de Romanis admoniti. Fr. IV, 20, 11.
Criumetopon, promontorium. Fr. III, 45.
Crixus, fugitivorum dux. Fr. III, 77, 11.
Cumas Daedalus venit. Fr. II, 6.
Curetes, Iovis altores. Fr. III, 64.
C. Scrib. Curio, consulatus petitione absistit. Fr. I, 60.
— procos. in Macedonia. Fr. II, 41. III, 54.
— libertatis propugnatoribus infestus. F. III, 81, 10.
— religione impeditus. Fr. IV, 70.
Q. Curius, ex coniuratis. C. 17, 3.
— coniurationem Fulviae prodit. C. 23.
Curubis, Africae oppidum. Fr. I, 46.
Cyrene nympha, mater Aristaei. Fr. II, 8.
Cyrene, Theraeon colonia. I. 19, 3.
— provincia Rom. facta. Fr. II, 47.
Cyrenenses, cum Carthaginiensibus de finibus certabant. I. 79.
Cyrus, primus nationes subegit. C. 2, 2.
Cyzicus, a Mithridate obsessa. Fr. III, 15—26. IV, 20, 14.

D.

Dabar, ex gente Masinissae. I. 108, 1.
— a Bocco ad Sullam missus. I. 108, 2.
Daedalus, Minoem fugit. Fr. II, 5.
— Sardiniam venit. Fr. II, 6.
Dalmatae. Fr. Inc. 39.
Damasippus, a Sulla occisus. C. 51, 32.
— homo turbulentus. Fr. I, 56, 7.
Danubius. Fr. III, 55.
Dardani, Asiae gens. Fr. III, 33.
Dardania, antiquum Troiae nomen. Fr. III, 33.
Dardania, Macedoniae confinis. Fr. II, 41.
Diana, in eius templo Pyrrhus interemptus. Fr. Inc. 51.
T. Didius, procos. in Hispania a. 97. 96. Fr. I, 62.
Dipone, urbs Hispaniae. Fr. I, 81.
Domitius, proc. in Hispania. Fr. I, 78.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Durda flumen Tauro defluens. Fr. II, 38.
Durrachium. Fr. I, 92.

E.

Eburina iuga. Fr. III, 77, 14.
Etruria, a Sulla valde afflicta. C. 28, 4.
— grave bellum cum Romanis gessit. Fr. I, 11.
— ad seditionem prona. Fr. I, 53. 54. I, 56, 6.
Etrusci, bellum irritant. Fr. I, 20.
Eumenes, inique a Romanis tractatus. Fr. IV, 20, 8.
Euphrates. Fr. IV, 11. 12.
Europae a nonnullis Africa annumerata. I. 17, 3.

F.

Q. Fabius Maximus, quid de imaginibus censuerit. I. 4, 5.
L. Fabius Hispaniensis, ex Sertorii percussoribus. Fr. III, 3.
Q. Fabius Sanga, patronus Allobrogum. C. 41, 4.
Faesulis Manlius agitabat. C. 24, 2. 27, 1.
Fannius, veritatis studiosus. Fr. I, 4.
C. Figulus, cos. a. 64. C. 17, 1.
Fimbriana seditio. Fr. II, 58.
C. Flaminius, ex Sullae veteranis. C. 36, 1.
Fortunatae insulae. Fr. I, 67. 68.
Fufidius, Sullae satelles. Fr. I, 49, 21.
— in Hispania contra Sertorium pugnat. Fr. I, 75.
Fulvia, Q. Curii amica, coniurationem clam aperit. C. 23, 4.
Fulvius Flaccus, ab Opimio interfectus. I. 16, 2. 31, 7. 42, 1.
M. Fulvius Nobilior, ex coniuratis. C. 17.
A. Fulvius, ad Catilinam profectus, a patre necatur. C. 39, 5.
P. Furius, ex coniuratis. C. 50, 4.

G.

P. Gabinius Capito, ex coniuratis. C. 17, 4. 40, 6. 43, 2. 47, 2.
— supplicio afficitur. C. 55, 6.
Gades. Fr. I, 67.
Gadir, sive Gades, olim Tartessus. Fr. II, 32.
Gaetuli, primi Africae incolae. I. 18, 1.
— super Numidiam habitantes. I. 19, 5.
— sub Iugurtha erant. I. 19, 7.
— feri incultique. I. 80, 1.
Galli, gloria belli ante Romanos fuere. C. 53, 3.
— cum iis pro salute pugnandum fuit. I. 114, 1.
— in Spartaci exercitu. Fr. III, 77, 11. IV, 43.
Gallia, motibus agitata. C. 42, 1.
— Serv. Sulpicio, M. Marcello coss. perdomita. Fr. I, 10.
— frumenti inopia vexata. Fr. III, 1, 9.
Gallica gens, bellicosa. C. 40, 1.
Gauda, Manastabalis filius, Iugurthae frater. I. 65, 1.
— Marium Romae commendat. I. 65, 4.
Germani, renonibus utebantur. Fr. III, 57.
— in Spartaci exercitu. Fr. III, 77, 11.
Geryon, in Sardinia fuit. Fr. II, 9.
Gracchi, libertatis defensores. I. 42, 1.
C. Gracchus, interfectus. I. 16, 2. 31, 7.
Ti. Gracchus, interfectus. I. 31, 7.
— ab eo seditiones ortae. Fr. I, 15.
Graeci, facundia Romanis praestabant. C. 53, 3.
Graeciae mos verberum. C. 51, 39.
— servitium a Mithridate demptum. Fr. IV, 20, 11.
Gulussa, Masinissae filius. I. 5, 7.
— eius filius Massiva. I. 35.

H.

Hadrumetum, Phoenicum colonia. I. 19, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Hamilcar, Lepti rebus novis studens. I. 77, 1.
Hannibal, opes Italiae attrivit. I. 5, 4. Fr. I, 49, 4.
— eius iter per Alpes. Fr. III, 1, 4.
— eius gubernator Pelorus. Fr. IV, 40.
Helenus, Macedoniam tenuit. Fr. II, 11.
Heraclea in Ponto, ibi Mithridates naufragium fecit. Fr. IV, 20, 14.
Hercules, ex Afrorum fama in Hispania interiit. I. 18, 2.
C. Herennius, trib. pl. Sullae obnitens. Fr. II, 61.
— a Pompeio caesus. Fr. III, 1, 6.
Hiempsal, Micipsae filius. I. 5, 7. 10, 8.
— Iugurtham graviter offendit. I. 11.
— ab Iug. interficitur. I. 12.
— rex, libros punicos scripsit. I. 17, 7.
— a Pompeio in regnum restituitur. Fr. I, 47.
Hippo Phoenicum colonia. I. 19, 1.
Hirtuleius, in pugna apud Italicam vulneratus. Fr. II, 23.
Hispani moribus bellicosis. Fr. II, 18. 19.
— de iis victis Pompeius tropaea erigit. Fr. IV, 54.
Hispania citerior. Fr. I, 74. III, 1, 9.
Hispania ulterior, a Metello obtenta. Fr. II, 29. 30.
Hispaniae, armis sollicitatae. Fr. I, 56, 8.
Hispaniense bellum. Fr. II, 36.
Hister. Fr. III, 56.
Homerus, Fortunatas insulas celebrat. Fr. I, 68.
L. Hostilius Dasianus, homo ignotus. Fr. IV, 61.

I.

Iapidia. Fr. II, 42.
Iason, Aeetam violavit. Fr. IV, 22.
Ichnusa, Sardiniae nomen. Fr. II, 3.
Ilerda, in Hispania. Fr. I, 79.
Indigetes, Hispaniae gens. Fr. III, 1, 5.
Isauri, Asiae gens. Fr. III, 31.
Italia, eius forma. Fr. IV, 33. 34. 35. 36.
— vasta bellis civilibus. I. 5, 2. Fr. I, 21.
— animis discedit. Fr. I, 18.
— a piratis infestata. Fr. II, 50, 7.
— metu belli Gallici contremuerat. I. 114, 1.
Italiae cervices. Fr. III, 1, 4.
Italica gens, olim Romanis curae fuit. Fr. I, 16.
Italici, Cirtam defendunt et postremo dedunt. I. 26.
— Vagae interfecti. I. 67, 3.
Iugurtha, Mastanabalis filius. I. 5, 7.
— eius natura et ingenium. I. 6, 1. 46, 8.
— Micipsae metum iniicit. I. 6, 2, 3.
— Numantiam mittitur. I. 7. 8. 20, 1. 101, 6.
— gloria auctus a Micipsa adoptatur. I. 9, 4.
— Micipsa mortuo cum fratribus discordat. I. 11.
— Hiempsalem interficit. I. 12. 14, 11. 24, 6.
— Adherbalem bello petit. I. 13.
— Romae largitionibus multos fautores sibi parat. I. 13, 6 sq.
— in divisione Numidiae opulentiorem partem accipit. I. 16, 5.
— Adherbalis regnum invadit. I. 20.
— legatos Roma missos oratione fallit. I. 22.
— Cirtam acriter oppugnat. I. 23.
— legatione iterum a senatu missa non deterretur. I. 24.
— Cirta dedita Adherbalem interficit. I. 26, 3.
— bello decreto, I. 27, 5., legatos Romam mittit, qui non admittuntur. I. 28.
— Calpurnium et Scaurum corrumpit. I. 29.
— magna Romae indignatione orta per Cassium Romam arcessitur. I. 32.
— Romae impudentia Bacbii tr. pl. tegitur. I. 33.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Iugurtha Massivam per Bomilcarem interficiendum curat. I. 35, 5.
— Aulum temere secutum circumvenit et sub iugum mittit. I. 38.
— Metello bellum administrante veram deditionem facere vult. I. 46, 1. 47, 3.
— Metello diffidens rursus bellum sumit. I. 48, 2.
— ad flumen Muthul acriter cum Metello confligit. I. 49—54.
— post acceptam cladem incertum bellum gerit. I. 55, 8.
— Marium ad Siccam aggreditur. I. 55, 3.
— Bomilcare auctore ad deditionem paratus est. I. 62, 1—7.
— mente mutata rursus bellum incipit. I. 62, 8—10.
— Vagenses ad interficiendum praesidium Rom. sollicitat. I. 66.
— insidiis sibi factis inquietus agit. I. 72, 2. 74, 1. 76, 1.
— a Metello fugatur. I. 74, 3.
— Bocchum socium assumit. I. 80.
— Bocchum, antea alienatum, rursus ad auxilium ferendum impellit. I. 97.
— cum Boccho Marium in hiberna proficiscentem bis invadit. I. 97. 98. 99. 101.
— latine loquens Romanos in pugna fallere studet. I. 101, 6.
— bello defessus pacem quaerit per Bocchum. I. 111, 4. 112.
— a Boccho Sullae traditur. I. 113.
Iugurthinum bellum ortum. I. 27, 5.
— confectum I. 114, 2.
Iulia, C. Marii uxor. Fr. I, 32.
C. Iulius, a Catilina in Apuliam missus. C. 27, 1.
D. Iunius Silanus, cos. des. de supplicio coniuratorum decernit. C. 50, 4.
M. Iunius Silanus cos. a. 109. I. 43, 1.

L.

Lacedaemonii, imperii cupidi. C. 2, 2.
Lacedaemonii, Athenis triginta viros imposuere. C. 51, 28.
Lacetania, Hispaniae civitas. Fr. III, 1, 4.
D. Laelius, in Hispania occisus. Fr. II, 22.
Lares, Numidiae oppidum. I. 90, 2.
Latinum nomen, a nobilitate interdum agitatum. I. 40, 2. 42, 1.
Latium, cum sociis deficit. Fr. I, 19.
— civitate prohibitum. Fr. I, 49, 12.
Lauronensis pugna. Fr. II, 21.
Cn. Lentulus Clodianus, cos. a. 72., cum Spartaco pugnat. Fr. III, 80.
— legem inconsultam fert. Fr. IV, 51.
P. Lentulus Marcellinus, quaestor Cyrenarum. Fr. II, 47.
P. Lentulo Spintheri Lentulus in custodiam liberam traditur. C. 47, 4.
P. Lentulus Sura, ex principibus coniuratorum. C. 17, 3. 32, 1. 43, 1. 46, 5.
— Allobroges asciscit. C. 40, 1.
— convincitur. C. 46. 47.
— in liberam custodiam datur. C. 47, 4.
— eius clientes eum eripere student. C. 50, 1.
— supplicio afficitur. C. 56, 5.
Lepidanum bellum. Fr. III, 81.
M'. Aem. Lepidus cos. a. 66. C. 18.
M. Aemilius Lepidus, cos. a. 78. Fr. I, 1. 49, 27.
— eius oratio contra Sullam. Fr. I, 49.
— contentio eius cum Catulo. Fr. I, 50.
— iubetur ante finitum consulatum in provinciam abire. Fr. I, 52.
— eum consilii poenitet. Fr. I, 58.
— Italia pellitur. Fr. I, 61.
Leptasta, Mauretaniae rex. Fr. II, 31.
Leptis, Phoenicum colonia. I. 19, 1. 78, 1.
Leptitani, praesidium a Metello petunt. I. 77, 1.
— Romanis se addixerant. I. 77, 2.
— Sidonica instituta retinuerunt. I. 78, 4.
Lete, oppidum Macedoniae. Fr. I, 88.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Lex Gabinia. Fr. V, 14.
— Gracchi frumentaria. Fr. I, 49, 11.
— Licinia et Mucia. Fr. I, 17.
— Mamilia. I. 40, 1. 65, 5.
— Plautia, de vi. C. 31, 4. Fr. III, 84.
— Poetelia Papiria, de libero corpore. C. 33, 1.
— Porcia. C. 51, 22. Fr. III, 81, 26.
— Sempronia. I. 27, 3. 73, 7.
— Valeria. C. 33, 2. 51, 22.
— Varia. Fr. II, 50, 4.
Libyes primi Africae incolae. I. 18, 1.
Licinius Macer, trib. pl. a. 73., oratione plebem instigat. Fr. III, 81.
L. Licinius Lucullus, Cyzicum petit. Fr. III, 15.
— fame tentatur per Mithridatem. Fr. III, 38.
— L. Quintio infestus. Fr. III, 81, 11.
— Mithridatis thesauris potitur. Fr. IV, 6.
— L. Quintium demulcere studet. Fr. V, 11.
— auxilium petit a Q. Marcio Rege. Fr. V, 12. 13.
Ligus, Mario viam monstrat castelli capiundi. I. 93.
Ligures in exercitu Romano. I. 38, 6. 93, 2. 100, 2. Fr. Inc. 20.
— Leptim praesidio missi. I. 77, 4.
Lucanus ager. Fr. III, 79.
M. Lucullus, Mysios vicit. Fr. IV, 47.
P. Lucullus, trib. pl. a. 110. magistratum continuare studet. I. 37, 2.
Lusitania. Fr. I, 72. Inc. 34.
Lutatii. Fr. I, 49, 3.
Lycaonia. Fr. V, 12.
Lycia. Fr. II, 40.

M.

Macedonia, bello aspera. Fr. II, 41.
— plena hostium. Fr. II, 50, 7.
Macedonicum bellum Persi regis. Fr. I, 8.
Maecenas, ex Sertorii percussoribus. Fr. III, 3.
Mamercus Aem. Lepidus, cos. fit a. 77. Fr. I, 60. III, 81, 10.
C. Mamilius Limetanus, trib. pl. legem promulgat de quaestione habenda in Iugurthae amicos. I. 40.
C. Manlius, Faesulis agitat. C. 24, 2.
— in Etruria plebem sollicitat. C. 28, 4.
— ad Q. Marc. Regem legatos mittit. C. 33.
— a senatu hostis iudicatur. C. 36, 2.
T. Manlius Torquatus, filium necari iussit. C. 52, 30.
A. Manlius, Marii legatus. I. 86, 1. 90, 2. 100, 2.
— legatus ad Bocchum it. I. 102, 3.
Manlius Mancinus, trib. pl., rogationem tulit de bello Iugurthino Mario mandando. I. 73, 7.
Cn. Manlius male contra Gallos pugnat. I. 114, 1.
Q. Marcius, Rex Faesulas mittitur ad seditiosos coërcendos. C. 30, 3.
— ad Manlii postulata respondet. C. 34, 1.
— auxilium rogatum Lucullo negat. Fr. V, 12. 13.
M. Marcellus, cos. a. 51. Fr. I, 10.
M. Marius, a Sulla necatus. Fr. I, 38.
C. Marius, Metelli legatus. I. 46, 7. 55, 5.
— ad Siccam cum Iugurtha pugnat. I. 56, 3—6.
— ad Zamam frustra pugnat. I. 57—60.
— ei magna portenduntur. I. 63, 1.
— consulatus cupidine exagitatur. I. 63, 1—2.
— eius ingenium et mores. I. 63, 3—7. 100, 5.
— missione frustra petita Metello inimicus fit. I. 64.
— omnibus modis gratiam Romae quaerit. I. 64, 5—6. 65.
— consul fit in a. 107. et Numidiam provinciam accipit. I. 73, 7.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. Marius summo studio bellum parat. I. 84.
— eius oratio in contione. I. 85.
— milites scribit ex capite censis. I. 86, 2.
— Iugurtham apud Cirtam fundit. I. 88, 3.
— Capsam capit. I. 89. 90. 91.
— ob res secundas fama celebratus castellum munitissimum capere parat et casu adiutus capit. I. 92. 93. 94.
— in hiberna proficiscens ab Iugurtha bis invaditur. I. 97. 98. 99. 101.
— pudore magis quam poena milites coercuit. I. 100, 5.
— absens cos. fit. I. 114, 3.
— triumphat. I. 114, 3.
— Minturnis misericordiam colonorum implorat. Fr. I, 23.
— Tiberim claudit. Fr. I, 25.
— crudeliter in urbe saevit. Fr. I, 28.
C. Marius, C. F., invita matre consul factus. Fr. I, 32.
— Praeneste tenuit. Fr. I, 33.
— eo victo gravius exarsit bellum. Fr. I, 34.
Maronea, Thraciae urbs. Fr. Inc. 38.
Marsicum bellum. Fr. I, 62.
Masinissa, Numidiae rex. I. 5, 4. 14, 6.
Massiva, Gulussae filius. I. 35, 1.
— Iugurtha auctore Romae interficitur. I. 35, 6.
Massugrada, Numida. I. 108, 1.
Mastabahal, filius Masinissae. I. 5, 7.
— pater Iugurthae et Gaudae. I. 5, 7. 65, 1.
Mauretania, Numidiae confinis. I. 16, 5.
Mauri, ex Medis dicti. I. 18, 10.
— proxumi Hispania. I. 19, 4.
— sub Boccho erant. I. 19, 7. 80.
— vanum genus. Fr. I, 69.
Medi, in Africam transvecti. I. 18, 4.
— cum Libybus coniuncti. I. 18, 9.
C. Memmius, trib. pl. Iugurthae fautores graviter exagitat. I. 27.
C. Memmius, de Calpurnii ignavia et avaritia contiones habet. I. 30.
— eius oratio post reditum Bestiae. I. 31.
— Iugurtham in contione scelerum arguit. I. 33.
Mesopotamia. Fr. IV, 12. IV, 20, 21.
Mesopotameni, effrenatae lubidinis. Fr. IV, 13.
Q. Metellus Creticus, in Apuliam mittitur ad seditiosos coercendos. C. 30, 3.
— in eum impetus fit plebis. Fr. II, 49.
Q. Metellus Celer, in agrum Picenum missus. C. 30, 5. 42, 2.
Q. Caecilius Metellus Numidicus, cos. a. 109. I. 43, 1.
— cum cura bellum parat. I. 43, 3—5.
— exercitum Auli sapienter emendat. I. 44. 45.
— Iugurtham suis artibus tentat. I. 46.
— primo congressu ad flumen Muthul Iugurtham superat. I. 48—53.
— vastando bellum gerit. I. 54. 55.
— de eo Romae fama praeclara. I. 55.
— Zamam frustra oppugnat. I. 55—60.
— in hibernis Bomilcarem ad tradendum Iugurtham impellit. I. 61, 4.
— ei imperium prorogatur. I. 62, 10.
— Mario consulatus cupido adversatur. I. 64.
— Gaudam offendit. I. 65, 2.
— Vagam capit ac diripit. I. 68. 69.
— Bomilcare interfecto rursus bellum parat. I. 73, 1.
— Marium domum dimittit. I. 73, 2.
— Thalam expugnat. I. 75. 76.
— ad Cirtam Iugurtham et Bocchum exspectat. I. 82, 1.
— Marium consulem factum graviter fert. I. 82, 2—3.
— bellum ex eo lente gerit. I. 83.
— lacte Romae excipitur. I. 88, 1.
Q. Caecilius Metellus Pius, Roma a Mario pressa, longe aberat. Fr. I, 26.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Q. Caecilius Metellus Pius, iubetur bellum sociale finire. Fr. I, 27.
— in Hispania militans. Fr. I, 76. 77.
— in pugna apud Italicam vulneratus. Fr. II, 23.
— in pugna apud Saguntum vulneratus. Fr. II, 25.
— eius luxuria in Hispania ulteriore. Fr. II, 29.
— pecunia ad belli usum ei intercepta. Fr. II, 36.
Metrophanes, Mithridatis ad Sertorium legatus. Fr. III, 8.
Micipsa, Masinissae filius. I. 5, 5.
— Iugurtham metuens primo perdere studet. I. 6, 2—3.
— eundem postea beneficiis aggreditur. I. 9.
— eius oratio ad filios. I. 10.
— eius mors. I. 11, 1.
— extremis annis animo parum valuit. I. 11, 5. 65, 1.
— eius filii. I. 14, 14.
Midas, rex Dardanorum. Fr. III, 33.
Minos, Cares vicit. Fr. I, 85.
— eum Daedalus fugit. Fr. II, 6.
Q. Minucius Rufus, cos. a. 110. I. 35, 1.
Mithridates, bellum quaerens. Fr. I, 22. I, 56, 8. II, 50, 7.
— ab Artabaze genus ducit. Fr. II, 53.
— cum caede suorum regnum adit. Fr. II, 54. 55.
— ingenti corpore. Fr. II, 56.
— bellum tertium parat. Fr. III, 8—12.
— Cyzicum obsidet. Fr. III, 15—26.
— eius epistola ad Arsacem. Fr. IV, 20.
— vulneratus. Fr. V, 2. 3.
— senex validus. Fr. V, 4. 5.
Mulucha flumen, Mauros ab Numidis dividit. I. 19, 7. 110, 8.
Mulvius pons, in eo Allobroges deprehensi. C. 45, 1.
C. Muraena, Galliae praesidebat. C. 42, 3.
Mutinae, Brutus a Pompeio obsessus. Fr. I, 57.
Muthul, Numidiae flumen. I. 48, 3.
— ad id acris pugna Metelli cum Iugurtha. I. 49. 50. 51. 52. 53.
Mysii, a Lucullo victi. Fr. IV, 47.

N.

Nabdalsa Numida, cum Bomilcare Iugurthae insidias parat. I, 70.
— proditus Iugurthae se purgat. I. 71, 5.
Narbone, concilium Gallorum a Pompeio habitum. Fr. II, 16.
Nares Lucanae. Fr. III, 77, 14.
Tib. Nero, sententiam fert de poena coniuratorum. C. 50, 4.
Nicomedes, Bithyniae rex. Fr. IV, 20, 9.
Nilus, fluminum maximus. Fr. III, 56.
Numantia, a Scipione obsessa. I. 7, 4.
— ibi Iugurtha militat cum laude. I. 7. 8. 9.
Numidae, ex Nomadis dicti. I. 18, 8.
— eorum aedificia, mapalia dicta. I. 18, 8.
— eorum fines. I. 18, 11. 12. 19, 4.
— genus infidum. I. 46, 3. 56, 3. 66, 2.
— regem in fuga deserunt. I. 54, 4.
— fugaces in proeliis. I. 74, 3.
— connubio cum Leptitanis mixti. I. 78, 4.
— matrimonium leve ducunt. I. 80, 6.
— irritamenta gulae non quaerebant. I. 89, 7.
— pecori magis quam arvo student. I. 90, 1.
— Hiempsalem expulerunt. Fr. I, 47.
Numidia, inter Adherbalem et Iugurtham dividitur. I. 16, 5.
— eā deducitur exercitus Romanus post ignominiosum Auli foedus. I. 39, 4.
Numidica scuta, leviora. I. 94, 1.
Nusa, Nicomedis uxor. Fr. IV, 20, 9.

O.

Oceani accolae. Fr. I, 73.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Cn. Octavius Rufus, quaestor. I. 104, 3.
Cn. Octavius, cos. a. 76. captus pedibus. Fr. III, 82.
L. Octavius, cos. a. 75. Fr. II, 49.
Octavius, ignotus homo. Fr. I, 96.
Olympus, piratarum caput. Fr. I, 86.
L. Opimius, legationis in Africam princeps. I. 16, 2.
P. Oppius, Cottam gladio petiit. Fr. III, 39.
Orestes, homo ignotus. Fr. II, 84.
Orion, aestate oritur. Fr. Inc. 65.
Ostia, ad Tiberim. Fr. Inc. 40.
Otii campi, in Creta. Fr. III, 62.

P.

M. Lollius Palicanus, trib. pl. cum Pompeio facit in restituenda potestate tribunicia. Fr. IV, 58.
Pamphylia. Fr. II, 39.
Paphlagones. Fr. III, 45.
Paphlagonia. Fr. III, 44.
Parium, ibi Mithridates naufragium fecit. Fr. IV, 20, 14.
L. Paulus, Catilinam interrogat lege Plautia. C. 31, 4.
Pelorum, promontorium. Fr. IV, 40.
Perperna. Fr. I, 44.
— ex Sertorii percussoribus. Fr. III, 3.
— caede patrata capitur. Fr. III, 5.
— Cale in Gallaecia capit. Fr. Inc. 3.
Persae, in Africam transvecti. I. 18, 4.
— cum Gaetulis mixti. I. 18, 7.
— eorum cultu Antipodes agunt. Fr. I, 69.
Perses, Macedoniae rex. C. 51, 5.
— eius bellum c. Rom. Fr. I, 8. IV, 20, 7.
— insomniis occisus. Fr. IV, 20, 7.
Persidis regnum, Arsacis fuit. Fr. IV, 20, 19.
M. Petreius, Antonii contra Catilinam legatus. C. 59, 4. 60.
Phaselis, Lyciae oppidum. Fr. I, 78.
Philaeni Carthaginienses, pro patria se devoverunt. I. 79, 9.
Philaenon aras, fines Carthaginiensium Aegyptum versus. I. 19, 3. 79, 10.
L. Philippus, auctoritate in senatu pollens. Fr. I, 55.
Philippus, Macedo, Romanorum hostis. Fr. I, 49, 4. IV, 20, 5.
Phoenices, colonias in Africa condunt. I. 19, 1.
Phrygia maior, dicta fuit Bithynia. Fr. III, 43.
Picentina iuga. Fr. III, 77, 14.
Picenus ager, a Catilina excitatus. C. 27, 1. 42, 1.
Pisidae. Fr. III, 31.
Pisidia. Fr. II, 40.
Cn. Piso, Catilinae socius. C. 18, 4.
— in Hispania occisus. C. 19.
C. Piso, Caesari infestus. C. 49, 1.
C. Piso, homo ignotus. Fr. IV, 62.
Pistoriensis ager, Catilinae copiis occupatus. C. 57, 1.
Poeni. Fr. II, 91.
Q. Pompeius Rufus, Capuam missus. C. 30, 5.
Cn. Pompeius, in extremis terris bellum gerens. C. 16, 5.
— Crasso invisus. C. 17, 7. 19, 2.
— apud Hispanos gratiosus. C. 19, 2.
— potestatem tribun. restituit. C. 38, 1. Fr. IV, 56. 57. 58. 59.
— ad bellum maritimum et Mithridaticum mittitur. C. 39, 1.
— Hiempsalem in regnum restituit. Fr. I, 47.
— militaribus exercitiis deditus. Fr. II, 17.
— stipendium a senatu poscit. Fr. II, 50, 6.
— eius epistola ad senatum. Fr. III, 1.
— alio itinere atque Hannibal per Alpes ivit. Fr. III, 1, 4.
— Alexandro Magno comparatus. Fr. III, 6.
— plebis partibus se adiungit. Fr. III, 81, 21.
— tropaea in Pyrenaeis erigit. Fr. IV, 54.
— legis Gabiniae cupidissimus. Fr. V, 15. 16.
— oris improbi. Fr. Inc. 41.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

C. Pomptinus, praetor iussu Ciceronis Allobroges deprehendit. C. 45, 1.
Ponticum mare, dulce. Fr. III, 51.
Pontus, mare. Fr. III, 53.
Pontus, regnum Mithridatis. Fr. III, 9. V, 14.
M. Porcius Laeca, ex coniuratis. C. 17, 3.
— apud eum conventus coniuratorum habetur. C. 27, 3.
Praeneste, a C. Mario tenebatur. Fr. I, 33.
Ptolemaeus, a Mithridate de Romanis admonitus. Fr. IV, 20, 10.
Publipor, ex fugitivis. Fr. III, 79.
Punica bella. C. 51, 6. I. 5, 4.
Punica fides. I. 108, 3.
Pyrenaeus, a Pompeio receptus. Fr. III, 1, 4.
— ibi tropaea a Pompeio facta. Fr. IV, 54.
Pyrrhus, Romanorum hostis. Fr. I, 49, 4.
— interemptus. Fr. Inc. 51.

Q.

L. Quintius, a L. Lucullo vexatus. Fr. III, 81, 11.
— ab eodem pretio conciliatus. Fr. V, 11.

R.

Rhegium, inde legiones in Siciliam traiiciebantur. I. 28, 6.
Rhodii, Romanis invidi et advorsi. C. 51, 5.
Romae initia. C. 6.
Romanorum primis temporibus virtus. C. 6. 7. 9.
Romani, a litteris et scribendo abhorrebant. C. 8, 5.
— avaritia et ambitione corrupti. C. 10. 11. 12. 13. Fr. I, 11. 13. 14.
— nobilitatis superbia vexati. Fr. I, 11.
— seditionibus et turbis agitati. Fr. I, 12. 15.
Romulus scaevus, Sulla dictus. Fr. I, 49, 5.
P. Rutilius, Metelli legatus. I. 50, 1.
— cum Bomilcare pugnat. I. 52.
— Metelli exercitum Mario tradit. I. 86, 5.

S.

L. Saenius, senator. C. 30, 1.
Saguntini, ex punica clade non refecti. Fr. II, 27.
Saguntum, pugna ibi facta. Fr. II, 25. 26. 27. 28.
Salentinum promontorium. Fr. IV, 34.
Sallustius, in republ. multa adversa habuit. C. 3, 3. I. 4, 4.
— historiam scribere aggreditur. C. 4, 2. Fr. I, 6.
— veritatis studiosissimus. C. 4, 3. 22, 4. Fr. I, 7.
Samnitium arma Romani imitabantur. C. 51, 38.
Samothraces dii. Fr. IV, 20, 7.
Sardinia, eius forma. Fr. II, 2.
— eius conditores. Fr. II, 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.
Sardus, Herculis filius. Fr. II, 4.
Saturninus, seditiosus. Fr. I, 56, 7.
Scaurus, v. Aemilius Scaurus.
P. Scipio, quid de imaginibus censuerit. I. 4, 6.
Scipio Africanus Maior, Masinissam in amicitiam recepit. I. 5, 4.
— — Minor Numantiam obsidet. I. 7, 4.
— Iugurtham diligit et Micipsae commendat. I. 8. 9.
P. Scipio Nasica, cos. a. 111. I. 27, 4.
L. Scipionis cos. exercitus apud Teanum cum Sullano colloquitur. Fr. I, 29.
— exercitus ad Sullam deficit. Fr. I, 30.
Scirtus, ignotus Sullanus. Fr. I, 49, 21.
Scylla, saxum. Fr. IV, 37.
Scythae Nomades. Fr. III, 47.
Scythici arcus speciem efficit mare ponticum. Fr. III, 49.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Seleucia, Arsacis urbs capitalis. Fr. IV, 20, 19.
Sempronia, mulier nobilis ac perditissima, coniurationis particeps. C. 25.
— uxor D. Bruti. C. 40, 5.
Septimius Camers, a Catilina in agrum Picenum missus. C. 27, 1.
Q. Sertorius, noluit Scipionis milites cum Sullanis colloqui. Fr. I, 30.
— Sullae acriter resistendum censet. Fr. I, 31.
— insigni fortitudine conspicuus. Fr. I, 62.
— plausu in theatro excipitur. Fr. I, 63.
— Hispanis gratus. Fr. I, 64.
— Hispaniam laudat. Fr. I, 65.
— navali pugna vincitur. Fr. I, 66.
— ad Fortunatas insulas fugere voluit. Fr. I, 67.
— apud Mauros est. Fr. I, 69. 70. 71.
— ex fuga a suis in murum attollitur. Fr. I, 80.
— forum raptorum in Dianio habebat. Fr. I, 83.
— Pompeium vincit apud Lauronem. Fr. II, 21.
— invidia apud suos laborat. Fr. II, 37. III, 2.
— cedendo per montes bellum gerit. Fr. II, 50, 6.
— in convivio interfectus. Fr. III, 3.
— auget copias. Fr. Inc. 2.
P. Servilius Vatia, contra piratas missus. Fr. I, 84.
Servius Sulpicius, cos. a. 51. Fr. I, 10.
Sextius, Calpurnii quaestor, Vagam missus. I. 29, 4.
Sibyllini libri. C. 47, 2.
Sicca, Numidiae urbs, quae a Iugurtha defecerat. I. 56, 3.
Sicilia, Italiae olim coniuncta. Fr. IV, 37.
L. Sicinius, trib. pl., pro restituenda potestate trib. pugnat. Fr. III, 81, 8.
Sidonii, Leptim condiderunt. I, 78, 1.
Sila, silva in Bruttiis. Fr. IV, 20.
L. Sisenna, parum libero ore locutus. I. 95, 2.
P. Sittius Nucerinus, in Mauretania exercitum habens. C. 21, 3.
Spartacus, fugitivorum dux. Fr. III, 77, 12.
Staphylus, primus vinum aqua miscuit. Fr. Inc. 52.
L. Statilius, ex coniuratis. C. 17, 4. 43, 2. 46, 2.
— supplicio afficitur. C. 55, 6.
Stobi, Macedoniae urbs. Fr. II, 43.
Sucro, Hispaniae urbs, pugna inter Sertorium et Pompeium clara. Fr. III, 1, 6.
P. et Serv. Sullae, ex coniuratis. C. 17, 3.
P. Sulla, coniurat contra remp. C. 18, 1.
L. Sulla, luxuriae in exercitu auctor. C. 11, 4 sqq.
— ei libris Sibyllinis regnum Romae portendebatur. C. 47, 2.
— Damasippum occidit. C. 51, 32.
— C. Marii quaestor. I. 95, 1.
— eius ingenium et mores. I. 95, 2—4. 96.
— in pugna altera apud Cirtam rem restituit. I. 101, 8.
— legatus ad Bocchum it. I. 102, 5.
— legatos Bocchi ad Marium missos liberaliter accipit. I. 103, 4—7.
— iterum legatus ad Bocchum it. I. 105.
— in itinere ad Bocchum intrepidum animum ostendit. I. 106. 107.
— cum Boccho de tradendo Iugurtha agit. I. 108—112.
— Iugurtham vinctum abducit. I. 113.
— res urbanas suspectas habet. Fr. I, 22.
— ad portam Collinam dimicat. Fr. I, 36.
— eius flagitia. Fr. I, 37.
— M. Marium crudeliter necat. Fr. I, 38.
— proscriptionem instituit. Fr. I, 39.
— satellites sibi parat. Fr. I, 40.
— libidinibus deditus. Fr. I, 43.
— in eius funere rixa orta inter consules. Fr. I, 50.
— ei Herennius trib. pl. obnititur. Fr. II, 61.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

L. Sulla plebem oppressit. Fr. III, 81, 1.
— Pompeii fautor. Fr. V, 16.
— eius dominatio. Fr. Inc. 46. 47.
— emptoribus publicatorum bonorum pecuniam remisit. Fr. IV, 51.
Sullani milites, senatores facti. C. 37, 6.
— belli civilis cupidi. C. 16, 4.
P. Sulpicius, trib. pl. seditiosus. Fr. I, 56, 7.
Suthul, Numidiae oppidum, ubi Iugurthae thesauri erant, ab Aulo obsidetur. I. 37, 4.
Syphax, eius regnum Masinissae datum. I. 14, 8.
Syrtes duae. I. 19, 3. 78.

T.

Tagus, repente saeviens. Fr. Inc. 37.
Tana, Numidiae flumen. I. 90, 2.
Tanais, flumen. Fr. III, 46.
Tarentum. Fr. I, 84.
Tarquinius Superbus, metum Romanis iniiciens. Fr. I, 11.
L. Tarquinius, suspectus index de coniuratione. C. 48, 3 sqq.
Tarquitius, ex Sertorii percussoribus. Fr. III, 3. 4.
Tarrhi, Sardiniae urbs. Fr. II, 12.
Tartanius, Bithyniae fluvius. Fr. IV, 21.
Tartessus, postea Gadir sive Gades dicta. Fr. II, 32.
Tarula, ignotus Sullanus. Fr. I, 49, 21.
Tauri, ferox gens. Fr. III, 48.
Tauromenitana litora. Fr. IV, 38.
Taurus mons. Fr. II, 38. IV, 20, 6.
Teium, in Paphlagonia. Fr. III, 44.
Termestini, Hispaniae civitas. Fr. II, 35.
Thala, Numidiae urbs, a Metello capitur. I. 75. 76. 89, 6.
Themiscyrii campi. Fr. III, 46.
Theraei, Cyrenen condidere. I. 19, 3.
Thirmida, Numidiae urbs. I. 12, 3.
C. Thoranius, quaestor Varinii. Fr. III, 77, 2.
Thraces, in exercitu Romano. I. 38, 6.
Tigranes, Armeniae rex. Fr. IV, 20, 3.
— sero Mithridati se adiunxit. Fr. IV, 20, 13.
— a Romanis victus. Fr. IV, 20, 15.
Tigris. Fr. IV, 12.
Titurius, Metelli legatus. Fr. II, 34.
L. Manl. Torquatus, cos. a. 65. C. 18, 5.
Troiani, Romae conditores. C. 6.
Troiano tempore terrae invadebantur. Fr. II, 10.
Tullianum, locus in carcere publico. C. 55, 3.
L. Volcat. Tullus, cos. a. 66. C. 18.
Turia, ibi pugna commissa. Fr. III, 1, 6.
T. Turpilius Silanus, Vagae praefectus. I. 66, 3.
— ignaviae caussa capitis damnatur. I. 69, 4.
Tyrii, Tartessum Gadir vocarunt. Fr. II, 32.

U.

P. Umbrenus, Lentulo auctore Allobroges asciscit. C. 40, 1.
C. Urbinus, Metelli quaestor. Fr. II, 29, 1.
Utica, caput provinciae. I. 101, 1.

V.

Vaga, Numidiae urbs. I. 29, 4.
— eo Metellus praesidium imponit. I. 47, 2.
— eius cives praesidium interficiunt. I. 66. 67.
— perfidiae poenas dat. I. 68. 69.
Valentia, ibi pugna facta. Fr. II, 24. III, 1, 6.
Valeriani, in Lucullі exercitu. Fr. III, 41.
— missionem accipiunt. Fr. V, 14.
L. Valerius Flaccus, praetor iussu Ciceronis Allobroges deprehendit. C. 45, 4.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

L. Vargunteius, ex coniuratis. C. 17, 3.
— Ciceronem interficiendum suscipit. C. 28, 1.
P. Varinius Glaber, praetor contra Spartacum missus. Fr. III, 77, 2.
Varro, homo ignotus. Fr. II, 88.
C. Verres, Siciliam firmat contra fugitivos. Fr. IV, 32.
— a Cicerone accusatus. Fr. IV, 64.
Versius, ex Sertorii percussoribus. Fr. III, 3.
Vettius Picens, Sullanus. Fr. I, 49, 17.
Vizo, Thraciae urbs. Fr. IV, 48.
Volcanalia. Fr. IV, 70. 71.
T. Volturcius, Allobrogibus comes datus. C. 44, 3. 45, 4. 47, 1.
— ei praemia decernuntur. C. 50, 1.
Volux, Bocchi filius. I. 101, 5.
— Sullae obviam missus. I. 106, 2.
— Sullae de proditione iniuria suspectus. I. 106, 6. 107.
Vulcius, Cottam ab Oppio defendit. Fr. III, 39.

Z.

Zama, Numidiae urbs, a Metello frustra oppugnata. I. 56—60.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

INDEX

RERUM ET VERBORUM IN NOTIS EXPLICATORUM.

A.

Ab originem designat. I. 31, 2. Fr. I, 10.
— i. q. a parte alicuius rei. I. 48, 3.
abdicare magistratum. C. 47, 3.
abesse ab alq. re, i. q. se subtrahere rei. C. 6, 4.
ablativus solus differt ab in c. abl. C. 3, 1.
— significat propter. C. 6, 6.
— qualitatis. C. 35, 3. I. 97, 3.
— modi. I. 53, 7. 64, 4.
— modi aut quantitatis commutatus cum accusat. I. 92, 8.
— loci in vocibus totus, cunctus. I. 79, 2.
ablativi duo diversae potestatis cum eodem verbo coniuncti. I. 7, 7. Fr. III, 81, 26.
— absoluti, adiectivi et substantivi. C. 11, 4. 36, 5.
— — cum participio consociati. I. 98, 4.
— — ubi in secundario enuntiato idem subiect. est atque in primario. C. 48, 7.
absolute posita verba. C. 3, 1. 7, 3.
absolvere de aliqua re. C. 4, 3.
abstractum pro concreto. C. 14, 1. 20, 2. Fr. III, 64. III, 81, 20. V, 18.
accedere aliquem. I. 18, 9.
accidere, i. q. irruere. I. 88, 6.
accusativus liberiore modo verbis iunctus. C. 13, 1.
— adverbialis. I. 19, 7.
— c. inf. ex supplendo dicendi verbo pendet. C. 32, 2. 34, 1. 40, 2.
accusativus subiecti omissus. C. 31, 7.
acer. I. 20, 2.
actio, quid. C. 43, 1. I. 35, 9.
actuaria navigia. Fr. II, 64.
actor rerum oppositus scriptori. C. 3, 3.
ad, i. q. secundum. Fr. III, 81, 13.
ad urbem esse. C. 30, 4.
adeo vim sententiae intendit. I. 110, 4.
adeptus, passive. C. 7, 3.
adesse, i. q. instare. C. 52, 18. Fr. IV, 20, 18.
adiectiva in -bundus. I. 38, 1.
— loci et temporis neutro posita c. genit. C. 30, 2. 26, 5. I. 25, 6. 38, 1.
— et adverb. simul in praedicato. I. 5, 4. Fr. IV, 46.
adiectivi neutrum substantive positum. I. 10, 2.
— — c. genit. coniunctum. I. 48, 3.
adiectivum loco genitivi attributivi. I. 113, 1.
— ad praedicatum pertinens. C. 1, 4. 3, 4. 26, 5. 33, 3. Fr. IV, 20, 18.
— attributo conveniens ad subiectum refertur. I. 63, 7. 78, 2.
admittere, de re mala. I. 53, 7.
administer et administrare, in bello. I. 76, 3.
adolescens oppositus seni. C. 49, 2.
adolescentia et iuventus. C. 5, 2.
adolescere, i. q. adhaerescere. Fr. IV, 24.
adulta aetas. C. 15, 2.
adverbium loci ad rem vel per-

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

sonam relatum. C. 3, 3. I. 46, 7. 66, 2. 75, 4. Fr. I, 56, 6.
adverbium enuntiationis instar positum. C. 14, 3. I. 25, 11. Fr. I, 49, 6. 26.
— verbi esse praedicatum. C. 20, 2. I. 14, 11.
adverbii loco circumlocutio posita. I. 78, 2.
advorsus c. genit. I. 43, 1.
advorsum aliquem, adverbialiter. I. 105, 4.
aequabilis. I. 43, 1.
aequo animo, i. q. gleichgültig. C. 3, 2.
aequum bonum diversum a iure. I. 9, 1.
aestiva. I. 44, 3.
aestuare, de animi commotione. I. 93, 2.
aestumare. C. 8, 2.
aevum. I. 1, 1.
afflictare se. C. 31, 3.
agere, i. q. esse, vivere. I. 55, 2. 89, 7.
— aliquid, I. 2, 3.
agitare, i. q. vivere. Fr. I, 49, 11.
— i. q. verfahren. I. 41, 7.
— i. q. commovere. I. 66, 1.
agrestes, i. q. plebs rustica. Fr. III, 81, 27.
ali aliqua re. C. 37, 3.
alienari, i. e. potestatis alienae fieri. I. 48, 1.
alienum. I. 1, 5.
alienus c. genit. C. 40, 5.
aliquando, i. q. tandem aliquando. I. 62, 1.
aliquantus. C. 8, 2.
aliter, i. q. alioquin. C. 29, 3. Fr. I, 100.
altitudo ingenii, Verschlossenheit. I. 95, 3.
altius procedere. I. 4, 9.
amare, i. q. solere. I. 34, 1.
ambitio militaris. I. 45, 1.
ambitio rectorum provinciarum. Fr. III, 1, 5.
ambitiosus, i. e. ad favorem comparandum aptus. I. 64, 5.
ambitus leges. I. 18, 2.
ambulare c. accusat. C. 13, 1.
amici regis, die Umgebung des Königs. I. 74, 1.
amittere, propria verbi vis. I. 31, 17.
— i. q. ablegare. Fr. Inc. 49.
an, in disiunctione positum. Fr. II, 15.
— ad omissum interrogandi membrum relatum. C. 51, 10.
anacoluthum. C. 15, 2. I. 66, 2. 85, 2. 112, 3.
angustiae Italiae, quid. Fr. IV, 34.
anima, i. q. animus. C. 2, 8.
animi, plur., i. q. superbia. Fr. I, 49, 24.
animus quo differat ab ingenio. C. 5, 1.
ex animi mei sententia, formula. I. 85, 26.
animum advertere, absolute. Fr. III, 81, 13.
anniti, absolute. Fr. IV, 20, 14.
antiquitas, i. q. cura. Fr. I, 16.
anxius, i. q. commotus. I. 65, 3.
apparere, personaliter dictum. I. 49, 2.
appellare aliquem, i. e. oratione adire. C. 17, 1.
appositio ad enuntiatum. Fr. I, 49, 12. III, 81, 26.
— ad subiectum, quod verbo continetur. Fr. III, 81, 6. 14.
— distributiva. C. 2, 1.
— rationem praedicati cum subiecto illustrans. I. 35, 7.
— per enuntiatum ex ut pendens facta. I. 25, 10.
apta arma, i. q. aptata. Fr. III, 25.
apud aliquem, pro in aliquo. C. 51, 14. I. 106, 6.
arae et foci. C. 51, 14.
arbitratus, Vollmacht. I. 105, 1.
ardere, i. q. in seditione esse. Fr. I, 74. III, 81, 12.
arduum, quid. C. 3, 2.
argutae oppositiones. Fr. I, 56, 7.
arietis in oppugnando vis. I. 76, 6.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

arte, i. q. anguste. I. 45, 2. 52, 6. 85, 34. Fr. III, 81, 13.
artes, bonae, malae. C. 2, 4. I. 82, 2. 85, 1. 96, 4.
arx, i. q. propugnaculum. I. 56, 1.
asperitas loci. I. 75, 10.
assidere urbem. Fr. IV, 1.
asyndeton orationi gravitatem conciliat. C. 51, 1. I. 31, 25. 77, 1.
— in contrariis iuxta positis. C. 11, 2.
at in transitu ad contraria. C. 12, 5.
at enim. C. 51, 25.
atque in respondendo. I. 31, 17.
— i. q. et quidem. I. 92, 4. 101, 2.
— i. q. atque adeo, I. 98, 2.
— i. q. et tamen. Fr. IV, 20, 2.
— pro sed. I. 107, 3.
atque ego. C. 4, 3. 51, 35.
attinere alqm. I. 108, 3.
attractio, ubi neutrum pronom. demonstr. subiectum est. C. 7, 6.
— pronominis demonstr. aut relat., genitivo ponendi, ad sequens substant. C. 8, 5. 30, 3. 43, 2. 51, 16. I. 36, 1.
— casus ex secundaria enunciatione. C. 11, 2. I. 79, 8. 93, 7.
— in comparatione. C. 25, 3. I. 74, 3. Fr. I, 56, 12.
— in enunciato caussali. C. 49, 4.
attributa plura ἀσυνδέτως vocabulo addita. C. 7, 4.
attributum per subst. c. praepos. factum. I. 28, 1. 10, 1.
— partem modo substantivi definiens. I. 61, 2.
auctor legis, i. q. commendator. Fr. III, 81, 23.
auctoritas patrum, quid. Fr. III, 81, 15.
audere, absolute dictum. Fr. I, 49, 20.
augere intransitive i. q. crescere. Fr. I, 56, 6.
augeri, de honoribus dictum. I. 86, 3.
aulaea, luxuriae instrumenta. Fr. II, 29, 2.
aut in enunciato interrogativo. I. 14, 17.
— post negationem in bimembri oratione. I. 18, 2.
auxiliares copiae in cohortes modo compositae. I. 46, 7.
avorsus, i. q. infestus. I. 102, 3.

B.

beluae diversae a pecoribus. C. 1, 1.
bene facere c. dat. C. 3, 1.
beneficia populi, i. q. honores. I. 31, 16. 85, 3. Fr. V, 18.
bis genitus, i. e. ex exilio revocatus. Fr. II, 50, 3.
bona, i. q. virtutes. I. 73, 4.
boni, i. q. optimates. C. 19, 2. 33, 2.
bonum, i. q. aequum bonum. C. 9, 1.
— publicum. C. 38, 3.
— atque honestum. I. 82, 2.
breviloquentia. C. 51, 14. I. 73, 5. 80, 6. 83, 1. Fr. I, 56, 3. II, 24.

C.

cadere, i. q. exitum habere. I. 31, 21.
calendae Ianuariae, initium consulatus. C. 18, 5.
calvere, i. q. decipere. Fr. III, 95.
canere, de signis, intransitive. I. 99, 1.
canina facundia. Fr. II, 46.
capere pecuniam. I. 32, 1.
— urbem. I. 37, 4.
— aliquem, i. q. opprimere. I. 85, 6. Fr. I, 49, 1.
— i. q. cum vi potiri. C. 5, 6.
capessere rempubl. C. 52, 5.
carere re, i. q. liberum esse. C. 13, 5.
carptim. C. 4, 2.
carus acceptusque. I. 70, 2.
castra conferre. Fr. III, 17.
castra parva aut magna quo consilio facta. Fr. II, 65.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

castris, i. q. in castris. Fr. III, 1, 5.
casus, vox media. C. 35, 4. I. 25, 9.
casus, quem verbum poscit, supplendus. C. 51, 38.
casus alius ex sequentibus ad priora supplendus. C. 51, 38.
caussalis sententia per tantus illata. I. 45, 1.
cedere prospere. C. 52, 29.
celebrare, i. q. clarum reddere. I. 85, 36.
celebratus, i. q. frequens. I. 47, 1.
certamen consilii, quid. Fr. III, 77, 11.
cervices — in cervicibus agere alicuius. Fr. III, 1, 4.
—, tollere alqm. in cervices. Fr. III, 81, 21.
ceteri. C. 43, 3.
ceterum, i. q. sed. C. 51, 26. I. 76, 1. Fr. IV, 20, 16.
ceterus, pro adv. ceterum. I. 92, 5.
chiasmus. C. 2, 5. 14, 2. I. 3, 2. Fr. I, 49, 15.
circumspicere aliqd., i. e. specularі. Fr. I, 56, 8.
circumvenire aliquem. I. 53, 3. Fr. I, 49, 1. III, 81, 9.
civilis oppositus superbo. I. 85, 35.
clarus. I. 1, 3. 8, 1.
classes quinque militia tenebantur. I. 86, 1.
claudere, i. q. claudicare. Fr. III, 81, 25.
clausus, i. q. pressus. I. 38, 8.
clemens, i. q. modicus. I. 22, 1.
clientes in Hispania. C. 19, 5.
cocus, servus magni pretii. I. 85, 39.
codicariae naves. Fr. IV, 11.
coepit transitivo sensu c. obiecto iunctum. I. 33, 4. Fr. IV, 20, 13.
coercitus, i. e. quod coerceri potest. I. 91, 7.
cogere, absolute, i. q. vim exercere. Fr. I, 56, 14.
cogitare aliqd., i. e. mente appetere. Fr. III, 77, 12.
cognoscere et agnoscere. C. 47, 3.
cohortes. Auxilia in cohortes modo disponebantur. I. 46, 7.
colere et observare. I. 10, 8.
collocatio enunciationum. I. 52, 6.
comitatus. C. 45, 1.
comitia consularia, quando habita. I. 36, 4.
— impedita. I. 44, 3.
comparatio attributi negativi et aientis. Fr. III, 51.
— ex nexu intelligenda. Fr. II, 49. II, 50, 9.
compertum, i. q. certo cognitum. C. 14, 7.
competere animo, lingua, i. q. valere. Fr. I, 95.
complures. C. 17, 5.
componere aliquos, i. q. illicere, permovere. Fr. I, 51.
composite dicere. C. 51, 9. 52, 13.
concedere in dominationem. Fr. I, 12. III, 81, 6.
— in gentem. I. 18, 2.
concinnitatis caussa consueta constructio relicta. I. 28, 7. 31, 11. 64, 1. 69, 1.
concordia et pax, formula Sullae politica. Fr. I, 49, 24.
condicionibus agere. I. 112, 1.
condonare aliquid. C. 52, 8. I. 79, 9.
coniunctivus verbi esse omissus. I. 88, 6. 113, 1.
—in comparatione duarum actionum. I. 106, 3.
— praes. et perfecti concessiva potestate. I. 110, 3.
— vi optativi. Fr. I, 49, 19.
conscientia, conscius, praegnanti sensu de mala conscientia. C. 14, 3.
conscius c. dat. personae. C. 22, 2.
— de aliqua re. C. 35, 2.
consilium est c. infin. C. 4, 1.
— cum ut constr. I. 85, 8.
constare, personaliter dictum. I. 49, 2.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

consternari, active, i. q. consternationem facere. Fr. I, 104.
constituere, absolute. I. 66, 2.
constructio periodi mutata. Fr. III, 81, 15.
— eiusdem vocabuli variata. C. 25, 2. 33, 1.
construere mare. C. 13, 1.
consul pro consules. C. 29, 3.
consules non fiebant absentes. I. 114, 3.
consulere, in senatu, quid. C. 48, 6.
— i. q. decernere. Fr. I, 11.
— c. adverb. I. 95, 3.
— alicui rei. C. 51, 7. I. 33, 3.
consultare alicui. C. 6, 6.
consumere rem. I. 25, 11.
continere populum. Fr. II, 47.
continuare domos. C. 20, 11.
contra ea. I. 57, 5. 85, 2.
contra aetatem. Fr. III, 1, 1.
— spem. I. 88, 1.
— rempubl. facere, i. e. parricidam esse. C. 50, 3.
contrahi res molestae dicuntur. Fr. I, 49, 19. II, 50, 8.
contrariis negatis totum negatur. C. 11, 3.
contubernium, contubernalis. I. 64, 4.
convenit res, et conventa res. I. 112, 2.
coopertus aliqua re. C. 23, 1.
copia est c. infinit. C. 4, 1.
— i. q. facultas. C. 8, 5.
— ex copia rerum. I. 39, 5. 76, 3.
copulativa particula pro adversativa. I. 107, 3. Fr. I, 49, 26.
correlativae particulae variatae. Fr. III, 77, 16.
corrumpere rem familiarem. I. 64, 6. 79, 7.
creber. I. 45, 2.
crocus, eius usus. Fr. II, 29, 2.
cultores, i. q. incolae. Fr. III, 77, 14.
cultus et victus. C. 37, 6. 48, 2. I. 75, 1. 78, 4. 95, 2.
cum significat adiunctionem alicuius rei. I. 86, 3. 100, 2.
cum societatem et auxilium denotat. Fr. III, 81, 18.
cum animo habere. I. 11, 8.
cunctari, i. q. cunctanter deliberare. C. 52, 25.
curare, in re militari. C. 59, 3. I. 100, 2.
curiata comitia. Fr. III, 81, 15.
custodia, i. q. carcer. Fr. IV, 6.

D.

dare c. partic. perf. pass., i. q. efficere. I. 59, 3.
dativus ex subst. c. verbo coniuncto pendet. C. 32, 1. 40, 2.
— ethicus. C. 52, 11.
— pendens ex cognitus et similibus. I. 16, 3.
— honori significando inservit. Fr. V, 16.
— V. declin. in -e terminatus. I. 16, 3.
de additur materiae, unde aliquid factum. Fr. III, 58.
decere personaliter dictum. I. 49, 2.
decedere c. ablat. I. 20, 1.
decernere, i. q. iudicare. C. 4, 1.
decimatio militum. Fr. IV, 28.
declinare aliqd. in aliq. rem. Fr. II, 37.
decus regium, quid. I. 33, 1.
deducere aliquem, ad honorem pertinebat. Fr. II, 49.
defendere aliquid ab aliquo. Fr. I, 49, 4.
deformare aliquem. I. 14, 7.
degeneratio nobilitatis et plebis. I. 41, 5.
dehortari ab aliquo. I. 31, 1.
deinde, i. q. in posterum. I. 31, 22.
delicta, in civitate, quid. I. 3, 2.
demissus, quid. C. 51, 12.
denique comprehendit cetera. C. 20, 13.
— i. q. demum. I. 105, 3.
deprecari. I. 104, 4.
descendere equo alicui. Fr. V, 16.
deserere aliquam rem. I. 85, 8.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

desiderare aliquid, i. q. non amplius videre. Fr. III, 77, 7.
designatus consul primus sententiam rogabatur. C. 50, 4.
desinere aliq. rem, i. q. omittere. Fr. I, 27.
detractare aliquid. I. 53, 8.
deus, i. q. summum numen. Fr. Inc. 62.
devorare aliquid spe. I. 20, 7.
devotiones Romanorum pro patria factae. Fr. II, 50, 10.
— Hispanorum pro regibus. Fr. II, 18.
dicere, i. q. constituere, imperare. Fr. II, 41.
— absolute, faciendo oppositum. C. 3, 1.
dies, in dies. I. 44, 5.
diffluere. I. 1, 4.
dignus, absolute. C. 51, 8. I. 62, 8.
discedere animis. Fr. I, 18.
disceptare. I. 21, 4.
divorsus, i. q. contrarius. C. 2, 1. 5, 8.
divorsi, i. q. singuli. C. 20, 5.
— i. q. dispersi. I. 12, 5.
doctus, c. accus. et c. ablat. C. 25, 2.
dolere pro aliqua re. I. 39, 1.
dolet aliquid alicui. I. 84, 1.
dolus diversus ab astutia. C. 26, 2.
dubiae res. C. 10, 2.
dubius, i. q. fluctuans. I. 51, 5.
ductare, i. q. praecesse. C. 11, 5.
dum c. indicat. I. 53, 3.
— i. q. dummodo. I. 68, 3.

E.

Eâ, adverbii vi. I. 38, 6.
efficere aliquem ex aliquo. I. 14, 11.
effusa urbs. Fr. III, 72.
effusus, effuse, in re militari, quid. I. 98, 5.
egredi, i. q. in altum eniti. I. 60, 6.
— flumen, i. e. egr. fines flumine factos. I. 110, 8.
elegans, rücksichtsvoll. Fr. I, 64.
ementiri. C. 49, 4.
emittere legiones. I. 77, 4.
en, qua vi dictum. I. 9, 2.
eo, i. e. eo loco. I. 60, 1.
epexegesis. I. 14, 13. 61, 1. 81, 4. 85, 9. 91, 2. 101, 1. Fr. IV, 20, 12.
equidem, i. e. profecto. C. 51, 15.
equitatus, plurali. I. 46, 7.
erat, omissum. I. 67, 1.
esse c. adverbio constr. C. 20, 2. I. 14, 11.
— in temporibus compositis omissum post quum. I. 71, 1.
— verbi coniunctivus omissus. I. 88, 6. 113, 1. Fr. IV, 20, 2.
et praegnanti sensu i. q. et quidem. I. 31, 18. 85, 3. 105, 4. Fr. I, 56, 1.
— adiungit caussalem sententiam. I. 43, 5.
— — adversativam sentent. I. 107, 3.
— facit transitum ad eventum rei I. 93, 4.
— inter multus et alterum adiect. C. 20, 3.
et non pro et non potius. C. 52, 15.
etiamtum, i. q. tum adhuc. C. 2, 1.
evadere, i. q. eventum habere. I. 14, 9.
evocati. Fr. IV, 65. V, 15.
ex, i. q. post. C. 4, 1.
— c. subst., vi adverbii. C. 8, 1.
— in caussa designanda differt a solo ablat. C. 10, 5. 12, 2.
— sententia. I. 43, 5.
— fuga, i. q. in fuga. I. 54, 4.
— commodo. I. 82, 1.
exaequare facta dictis. C. 3, 2.
exercere victoriam. C. 38, 4.
— inimicitias. C. 49, 2.
— aliquem, i. q. vexare. Fr. I, 11.
exornare, absolute. I. 90, 1.
expedire se. I. 105, 4.
expediti milites. I. 46, 7.
experimenta, Thatsachen. I. 46, 3.
exscindere, i. q. funditus perdere. Fr. IV, 20, 17.
exstingui, i. q. splendore privari. I. 95, 2.
exstruere mare. C. 13, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

exspectare aliquid, praegnanti sensu. I. 47, 4. 85, 20.
extenuare aciem. I. 49, 1.
extrema munia, de testamento militari dicta. Fr. III, 88.

F.

facere, absolute. C. 3, 1.
— i. q. parare. Fr. II, 36. Inc. 33.
— aliquid aliquo vel alicui. C. 52, 25.
facilis aliqua re. I. 95, 3.
facinus, quid. C. 14, 1.
factio, nobilium est. I. 41, 6. Fr. III, 81, 3.
factiosus. C. 54, 5. I. 8, 1. 31, 1.
facundia. I. 63, 3.
fallere, absolute. I. 56, 2.
fames, vomendo excitata. C. 13, 3.
— i. q. mors fame effecta. Fr. III, 1, 1.
famae, plurali. Fr. I, 73.
fatigare aliquem. C. 11, 8. I. 73, 2.
fateri aliquid, i. q. concedere. I. 85, 24.
faucibus urgere. C. 52, 35.
felicitas et fortuna. I. 95, 4.
feriae latinae. Fr. I, 48.
ferocia, de crudelitate dictum. Fr. I, 22.
ferox. C. 5, 7. 11, 5.
ferre se, i. q. iactare. Fr. III, 81, 22.
festinare, in timore. C. 31, 2. Fr. III, 26. IV, 26.
— aliquid. I. 64, 6. Fr. Inc. 70.
fides, Credit. I. 73, 6.
— publica. C. 47, 1.
fine c. genit., i. q. tenus. Fr. III, 93.
finem vitae facere, i. q. mori. Fr. II, 50, 9.
firmus, i. q. intrepidus. I. 28, 5. 51, 5.
flagitium. C. 14, 1.
flectere, i. q. mutare. I. 9, 3.
fluere supra vota. Fr. Inc. 66.
foci et arae. C. 52, 2.
foedera populi iniussu non poterant fieri. I. 39, 3.
fore c. part. perf. pass. diversum ab infin. fut. pass. I. 88, 4.
formae, i. q. homines. Fr. I, 73.
formido, i. q. res formidolosa. I. 73, 1.
fors, quid. I. 1, 1.
fortuna, quid. C. 2, 5.
— diversa a felicitate. I. 95, 4.
— plurali dictum. I. 13, 3.
fraus, i. q. homines fraudulenti. C. 20, 2.
sine fraude. C. 36, 2.
frequens. I. 45, 2.
frequentare aliquem. I. 73, 6.
frigere, i. q. languere. Fr. Inc. 16.
frigus arte factum. C. 13, 3.
frui aliquo, cum invidia dictum. Fr. III, 81, 6.
frumentaria lex. Fr. III, 81, 19.
frumentum militibus datum. I. 44, 5.
frustra, vi enunciati positum. I. 25, 11.
— esse. C. 20, 2.
frustratus, passive. I. 58, 3.
fuga, i. q. animi abiectio. I. 40, 4.
fugam facere, duplici sensu dictum. I. 53, 3.
furta belli. Fr. I, 93.
futurum in apodosi post enuntiatum condicionale coniunct. praes. I. 42, 4.

G.

Gallius insolentior adiectivi forma. Fr. IV, 43.
gaudium. C. 61, 9. I. 2, 4.
genitivus V. declin. in —e terminatus. I. 21, 2.
— pronom. nostri et nostrum diversus. C. 1, 3. Fr. I, 56, 15.
— substantivi c. partic. fut. pass. C. 6, 7. Fr. I, 49, 8.
— possessiv. ex facere aptus. I. 79, 8. 104, 5.
genitivi duo diversae rectionis iuxta positi. I. 65, 3.
genus neutrum praedicati ad plura feminina relati. C. 20, 2.
genus hominum. I. 2, 1.
gerere per zeugma de personis dictum. I. 54, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

gerundium ex indefinito subiecto pendens. I. 62, 8.
gignentia, i. q. plantae. I. 79, 6.
glans, i. e. globuli plumbei. I. 57, 4.
globus, proprie et translate. I. 85, 10.
gloria falsa. I. 41, 2.
— activo sensu, i. q. honoris significatio. Fr. II, 29, 1.
gradus militaris. Fr. III, 77, 10.
Graecorum levitas, Romanis invisa. I. 63, 5.
Graecarum vocum originationes latinis vocabulis explicatae. I. 78, 2.
grassari, i. q. agere. I. 64, 5.
gratia. C. 49, 1.
gratiae facere aliquid. I. 104, 5.
gratiae dona, i. q. honores. Fr. V, 18.
gratiam facere alicuius rei. C. 52, 8. Fr. III, 84.
gratificari aliquid. I. 3, 4.
gravis, i. q. validus. Fr. Inc. 34.
— i. q. turpis, noxius. Fr. II, 29, 5.
— i. e. auctoritate valens. Fr. II, 58.
gravitas, i. q. perniciositas. Fr. III, 77, 2.
— i. q. vires et potentia. Fr. III, 81, 13.
gregarii milites, i. q. legionarii. I. 38, 6.

H.

habere, i. q. in sententia esse. I. 114, 1.
— durandi vim sententiae infert. I. 79, 3.
— adverbiali dictione definitum. C. 5, 9. I. 44, 1.
— aliquid, i. q. coniunctum esse c. aliq. re. C. 11, 3. 51, 20.
— aliquem, i. q. in potestate habere. I. 2, 3.
— aetatem, i. q. agere. C. 4, 1.
— aliquid caussam. C. 2, 2.
haberi, c. vi possidendi dictum. C. 1, 4. I. 4, 8.
habitus. I. 28, 4.
heres secundus. I. 65, 1.
hibernacula, i. q. hiberna. I. 103, 1.
hic, adv., i. q. rebus ita comparatis. C. 52, 11.
— de praesenti tempore. I. 4, 7.
— i. q. proximus, de tempore. I. 31, 2.
hoc est, in correctione. I. 31, 20. 85, 35.
homo non in laudem dicitur. C. 48, 5.
honore honestare. C. 35, 3.
honorificentiae varia genera. Fr. V, 16.
honos, i. q. dignitas. I. 3, 1.
hortari c. infinitivo. C. 5, 9.
hostis, i. q. perduellis. C. 36, 2.
— extra bellum. I. 10, 5.
humi pabulum. I. 18, 1.

I.

iam primum. C. 7, 4.
ibi, i. q. tum. I. 113, 2.
id adeo, i. e. et id quidem. I. 110, 4.
idem substant. in eodem enunciato et pro subiecto et pro obiecto positum. I. 14, 16.
idoneus, absolute. C. 51, 27. I. 73, 2.
ignarus, i. q. incognitus. I. 18, 6. Fr. Inc. 59.
ignavia, quid. I. 95, 2.
— i. q. ignavi. C. 20, 2.
igitur, in accessu ad rem ipsam. I. 19, 7. 95, 3. Fr. III, 43.
— primo loco collocatum. C. 2, 1.
ille in orat. obliqua. C. 47, 2. I. 8, 2.
— c. idem iunctum. I. 25, 2.
— pro reflexivo. I. 96, 2. Fr. V, 11.
ille alter. I. 16, 5.
immittere aliquem, i. q. subornare. C. 48, 8.
impedire ab aliqua re. I. 30, 2.
impense. I. 47, 3.
imperator, latiore sensu. C. 2, 3.
— et dux. I. 1, 3.
imperata facere, formula. I. 62, 3.
imperfectum conatum significat. I. 27, 1.
— infinitivis historicis subiunctum. I. 30, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

imperfectum et praesens simul ex praes. histor. et perfecto pendent. C. 32, 2.
imperfecti coniunctivus in protasi enunciati condicionalis, pro plusquampf. I. 59, 3. 82, 3.
imperia, i. e. provinciarum administrationes. C. 19, 5.
— sc. militaria. I. 63, 5. 3, 1.
imperiti, i. q. rerum praesentium ignari. I. 49, 2.
imponere, absolute. C. 51, 28.
— de re gravi. I. 85, 28.
importunitas. I. 31, 22.
importunus, unbequem. I. 92, 7.
in c. accus. effectum et finem significat. I. 111, 1. Fr. I, 14.
— c. ablat., i. q. intra. I. 28, 2. 75, 2.
— — i. q. respectu alicuius rei. C. 11, 4.
— — adiectivi neutr. pro simplici adiect. C. 13, 3.
— — vocabulis temporis additum. C. 48, 5.
— — vim enunciati caussalis aut temporalis habet. C. 2, 10.
— — vim enunciati concessivi habet. I. 55, 1.
in maius celebrare. I. 73, 5. Fr. III, 64.
in potestatem habere, esse. I. 112, 2.
in primis c. superlativo iunctum. I. 7, 5.
in rem esse. C. 20, 1.
in sententiam addere. C. 51, 21.
incertum, i. q. fluctuans. Fr. III, 24.
incertum — an. Fr. IV, 64.
incessere, absolute. C. 7, 3.
incultus. I. 2, 4.
indicativus in enunciato relativo. C. 51, 4.
— de re repetita. I. 44, 4.
— in orat. obliqua. C. 14, 7. I. 38, 8.
— post sunt qui. C. 19, 4. 39, 5.
— in apodosi enuntiati condicionalis. I. 85, 48.
— suapte natura in se habet, quod germanice effertur voce wirklich. I. 105, 5.
indicium profiteri. I. 35, 6. 73, 1.
inermus. I. 113, 6.
infectus. C. 15, 4. I. 46, 5. 89, 5.
infinitivus ex substantivo et verbo aptus. C. 4, 1.
— ex verbis consilii aptus. C. 5, 9. 52, 24. I. 17, 1.
— ex paratus pendens. I. 46, 5.
— futuri activi prisce neutro fiebat. I. 100, 5.
ingenium et animus. C. 5, 1.
— i. q. natura. Fr. I, 67. II, 50, 9.
ingredi rem. I. 42, 2. Fr. II, 54.
initium incipere. I. 73, 1.
iniuria, i. q. iniuriam facientes. C. 20, 2. Fr. III, 81, 20.
innocentia, avaritiae opposita. C. 12, 1. I. 46, 1.
— i. q. vitae integritas. I. 85, 4.
innoxius, passive. C. 39, 2.
inquies. Fr. I, 9.
inquilinus. C. 31, 7.
insidia, singulari numero. Fr. II, 21.
insignia imperii. C. 36, 1.
intactus, i. q. integer. I. 67, 3.
integer suffragiis. Fr. I, 60.
integra gratia. I. 110, 4.
integrum habere aliquid. I. 108, 2.
intempesta nox. C. 27, 3.
intendere, intransitive. I. 74, 1.
— aliquo. I. 104, 1.
— arma. I. 105, 4.
intentus absolute, et c. abl. C. 2, 9.
— vocis vis. I. 40, 3. 91, 4.
intestabilis. I. 67, 3. Fr. I, 49, 1.
introitur aliquem locum. Fr. IV, 4.
invadere aliquem. I. 85, 5.
— animo alqd. I. 20, 7.
invidia passivo sensu. C. 6, 3.
invitare se cibo. Fr. IV, 27.
ioca atque seria. I. 96, 2.
ipse pronomini personali additum. C. 20, 6.
— eius peculiaris vis. C. 52, 2.
— i. q. persönlich. I. 52, 1.
— i. q. per se. I. 66, 4.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ire c. supino. I. 68, 1. Fr. I, 49, 20.
is post praegressum subiect. vel obiect. additum. C. 37, 4.
iste secundam personam demonstrat. C. 40, 3. 52, 5. Fr. I, 56, 15.
ita, respicit ad antecedentia. C. 7, 6.
item, i. q. pariter. C. 27, 2. 51, 7. I. 100, 4.
iter, i. q. directio. I. 49, 1.
iubere consulem, i. q. creare. I. 85, 11.
iubet populus, quae probat. I. 40, 3.
iudicia penes senatum. Fr. I, 49, 13.
iudicium animi, Grundsätze. I. 4, 4.
iugum, sub iugum mittere. I. 38, 9.
iure, i. e. ut necesse est. I. 14, 10.
ius diversum ab aequo bono. C. 9, 1.
ius et iniuria. I. 33, 2.
iuxta, i. q. pariter. C. 2, 8. 37, 8. I. 85, 33.

L.

laborare, in re militari. I. 44, 3.
lacerare aliquem, i. q. perstringere. Fr. III, 81, 21.
laetari c. accus. C. 51, 29.
lar familiaris. C. 20, 11.
largiri i. q. corrumpere. I. 8, 2.
late, de agmine. I. 68, 4. Fr. I, 93.
Latini verberibus afficiebantur. I. 69, 4.
latro iusto duci oppositus. Fr. I, 56, 7.
latrocinium iusto proelio oppositum. I. 97, 5.
laxus, de loco dictum. Fr. III, 77, 14.
lectus, i. q. eximius. C. 50, 2. Fr. III, 77, 14.
legati in provinciis. C. 42, 3.
legiones etiam exteris nationibus tributae. C. 53, 3.
leges de fenore. C. 33, 1.
lex Aurelia. Fr. II, 51.
— Gracchi frumentaria. Fr. I, 49, 11.
— Licinia et Mucia. Fr. I, 17.
— Mamilia. I. 40, 1. 65, 5.
— Plautia de vi. C. 31, 4. Fr. III, 84.
— Poetelia Papiria de libero corpore. C. 33, 1.
— Porcia. C. 51, 22. Fr. III, 81, 26.
— Sempronia. I. 27, 3. 73, 7.
— Terentia et Cassia. Fr. III, 81, 19.
— Valeria. C. 51, 22.
— — de aere alieno. C. 33, 2.
— Varia. Fr. II, 50, 4.
— praegnanti sensu. I. 31, 7.
— pro privilegio. Fr. II, 61.
leves odores. Fr. IV, 19.
liber ac solutus. C. 6, 1.
libera custodia. C. 47, 3.
liberior dicendi ratio. I. 4, 6. 53, 7. 64, 2.
libertus et libertinus. C. 50, 1.
lictor proxumus. I. 12, 3.
litotes. C. 3, 1. 20, 16. I. 8, 1. 84, 4.
— minuendi vi. Fr. IV, 20, 4.
litteras et litteris doctus, diversum. C. 25, 2.
lixa. I. 44, 5.
locus, praegnanti sensu. I. 38, 3.
— i. q. occasio. I. 85, 5.
— de oppido dictum, cuius nomen praecessit. Fr. III, 77, 17.
loco cedere, militibus ignominiosum. C. 9, 4.
loco alicuius, i. q. pro aliquo. I. 14, 1.
ad id locorum. I. 63, 6.
longa spes, i. q. sera, remota. Fr. I, 26.
lubido, quid. I. 40, 3.
— i. q. luxuria. I. 63, 2.
— opposita usui. C. 51, 2.
lubidinem habere. C. 7, 5.
luculenta oratio. C. 31, 6.
ludus, quid. I. 66, 2.
lumen, i. q. sol. I. 21, 2.
luna vocabulum omittitur ad numeralia. Fr. III, 14.
luxus, Raffinement. C. 13, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

M.

machinari, passive. C. 48, 7. Fr. II, 29, 3.
magis omissum ante quam. C. 9, 5.
magistratus minores. C. 30, 7.
magistratus, quid proprie. I. 63, 5.
magnifice dicere, quid. C. 51, 9.
magnificus, i. q. superbiens. I. 55, 1.
magnum, i. q. magnificum. Fr. III, 81, 16.
magnum esse, de mari dictum. I. 78, 2.
malitia, i. q. malae artes. I. 22, 2.
malum, i. q. poena. I. 100, 5.
— i. e. quod malum affert. C. 4, 2.
— publicum. C. 37, 7. Fr. I, 56, 13.
manifestus. C. 41, 5. 52, 36.
manus, i. q. manuum merces. I. 73, 6.
— armare, quid. I. 107, 1.
in manus venire, i. q. congredi. I. 89, 2.
manu certare. Fr. II, 50, 6.
in manu esse. I. 14, 4.
manu, manibus, i. q. cominus. I. 57, 4.
maria, de variis partibus maris interni dictum. Fr. III, 56.
maritimum bellum, i. q. piraticum. C. 39, 1.
mediocris. I. 6, 3.
medium esse. I. 41, 5.
media factio. Fr. III, 81, 8.
mehercule. C. 52, 35.
memoria rerum gestarum. I. 4, 1.
menstrua, i. q. sacra quovis mense facienda. Fr. IV, 43.
menstruum, sc. frumentum. I. 44, 5.
merito. I. 4, 4.
-met enclitica possessivis addita. C. 23, 2.
metus et timor. I. 7, 5.
metus, i. e. res quae metum facit. I. 89, 1.
mile c. genit. constr. I. 68, 3.
militaris homo. C. 45, 2.
militiae romanae vocabula ad exteras gentes translata. C. 53, 3. I. 80, 2.
militiae rom. labores. I. 45, 2.
militiae pro in militia. I. 84, 1.
militum conscribendorum ratio. I. 86, 1.
ministeria nautarum. Fr. IV, 31.
miscere, i. q. coniungere. Fr. IV, 20, 2.
moderari, intransitive. I. 73, 4.
modestus. I. 92, 2.
modo comparativo additum. I. 47, 3.
— i. q. solum. I. 75, 7.
— restringit praedicatum. Fr. III, 81, 15.
modus, diversum a modestia. C. 11, 4.
mollia terrae, opposita asperis et saxosis. Fr. IV, 33.
mos est c. infinitivo. C. 4, 1.
motus, quid. C. 42, 1.
multitudo, i. q. plebis globus. C. 50, 1.
multum i. q. saepe. I. 1, 5.
multus alteri adiectivo per et iunctum. C. 20, 3.
— praedicatum definit. I. 84, 1. 96, 3.
munditiae. I. 85, 40.
munia, in re militari der Dienst. Fr. III, 77, 4.
munificentia animi. I. 7, 7.
mussare, expl. Fr. I, 56, 3.
mutare, intransitive. I. 38, 10.
mutare alqd. aliqua re, i. e. vendere alqd. pro re. Fr. I, 56, 9. III, 81, 26.

N.

nam refertur ad supplendam sententiam. C. 52, 34. I. 24, 9. 82, 2. 88, 5. Fr. IV, 20, 10.
natio differt a populo. C. 10, 1.
natura munitae urbes. C. 7, 7.
naturalis ordo in enumerando inversus. C. 36, 4. I. 21, 2.
navigare mare. C. 13, 1.
ne, confirmandi particula. I. 14, 21.
necare. I. 26, 3.
necessitas, et necessitudo. C. 17, 1.
— extrema, i. q. mors. Fr. I, 49, 15.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

negligentia dicendi. I. 98, 4.
negotia, discreta a periculis. C. 2, 2.
— privata. C. 48, 5.
— i. q. munera publica. I. 4, 4.
negotiari, negotiatores. C. 40, 2.
negotiosus. C. 8, 5.
neque pro neque tamen. I. 31, 27. 105, 1. Fr. I, 61.
— pro neque enim. I. 112, 3.
neutrum plural. etiam homines significat. I. 13, 6. 14, 16. Fr. I, 69.
— — relatum ad *res* c. adiect. I. 41, 1.
nisi post negantem sententiam c. ellipsi positum. I. 24, 5. 95, 3. Fr. III, 81, 6.
nisi forte, ironice. C. 20, 17. I. 3, 3.
nobiles, qui fuerint. I. 95, 3.
nomen adoptione mutatum. Fr. IV, 51.
— Latinum. I. 39, 2.
— oppositum rei ipsi. Fr. III, 1, 4.
— i. q. aes alienum. C. 35, 3.
— habere c. accusat. appositionis. Fr. III, 55.
hoc nomine, i. e. hoc respectu. C. 35, 4.
sub nomine, i. e. praetextu. Fr. I, 12. III, 81, 6.
non magis — quam. C. 9, 1.
nondum etiam. I. 31, 20.
non modo — sed. C. 18, 7.
non modo i. q. non modo non. Fr. Inc. 26.
nostri genit., diversus a nostrum. C. 1, 3.
nostrum mare, i. q. mediterraneum. I. 17, 4.
novare, absolute. C. 39, 3.
novum, quid. I. 75, 7.
— i. q. insolitum. C. 35, 2. 51, 8.
novus, i. q. homo novus. I. 8, 1.
nudus, i. q. non armatus. I. 107, 2. Fr. Inc. 25.
nullum esse i. q. non exstare. Fr. I, 49, 9.
nunc in oppositione. I. 14, 17. Fr. III, 81, 2.
nunc quando in orat. obliq. pro tum dicatur. I. 109, 3.
nunc — interdum pro modo — modo. Fr. III, 77, 14.
nummi argentei et aenei. C. 33, 2.
nusquam, i. q. nulla in re. Fr. I, 56, 6.

O.

ob rem. C. 20, 1.
obiectum liberius verbo additum. C. 2, 7.
obiecti in eadem enunciatione varia forma. C. 5, 9.
obnoxius delicto, lubidini. C. 52, 21.
— absolute. I. 31, 3. Fr. IV, 20, 4.
obsequela. Fr. II, 58.
observare et colere. I. 10, 8.
— i. e. oculis tueri. I. 51, 1.
obsidium, antique i. q. auxilium. Fr. I, 91.
obtinere. I. 17, 7.
obtruncare, i. q. capita abscidere. I. 97, 5.
obviam esse. I. 26, 3.
occursare, i. q. obniti. I. 85, 3.
omnis in definiendo attributo germanice est lauter. C. 59, 3.
onerare promissis. I. 12, 3.
onustus, i. q. repletus. I. 87, 1.
opera, in re militari. I. 96, 3.
— i. q. diligentia. Fr. I, 79.
operae pretium est. I. 81, 3.
opportunitas. I. 6, 3.
opportunus iniuriae. I. 20, 2.
— activo sensu, i. q. ad impetum paratus. Fr. IV, 20, 2.
opposita non singulis verbis facta. C. 1, 4. 3, 3.
optumum factu. C. 32, 1.
opus, de obsidione dictum. I. 76, 3.
oratio mutata. I. 4, 6.
orator, i. q. legatus. I. 108.
orbis, i. q. rota. Fr. III, 23.
orcini senatores. I. 4, 4.
origines, i. q. metropolis. I. 19, 1.
ornatus, i. q. vestitus. I. 94, 1.
os, in ore alicuius esse. Fr. II, 50, 4.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ostentare, in Aussicht stellen. I. 68, 3.
ostentatio, i. q. repraesentatio. Fr. II, 29, 2.
ostentui esse. I. 24, 10. 46, 6.
otium, quo differat a quiete. Fr. I, 49, 9.

P.

pace, bello, differt ab in pace, in bello. C. 3, 1.
parare c. infin. C. 46, 3.
paratus c. infin. I. 46, 5.
parcere modestiae. C. 14, 6.
parere rei. C. 51, 2.
pariter cum, de tempore. I. 68, 2.
parricida. C. 14, 3. Fr. II, 50, 3.
pars — alii. C. 2, 1.
pars, i. q. exiguum. Fr. II, 50, 7.
partes, sc. populares. I. 49, 2.
participium praes. non pro part. perf. I. 10, 2.
partic. fut. pass. vim habet adiectivi in -bilis. C. 10, 2.
partic. perf. pass. pro adiect. in -bilis. I. 2, 3.
partim — alii. I. 38, 3.
partim in secundo membro solum positum. C. 50, 1.
partire provincias. I. 43, 1.
passim. I. 18, 3.
passivo inest notio sinendi. I. 11, 4.
passuum genit. omissus. I. 48, 3.
patere de terris ac maribus dictum. C. 10, 1.
patria et parentes. I. 3, 2.
patroni provincialium. C. 41, 4.
patrum auctoritas, quid. Fr. III, 81, 16.
pauci potentes. C. 20, 7.
paulo et paulum procedere. I. 92, 8.
paupertas, quid. C. 12, 1.
pecora quomodo differant a beluis. C. 1, 1.
pecuarius. Fr. III, 77, 14.
pedibus in alic. sententt. transire. C. 50, 4.
pensi habere. C. 5, 6.
per caussae et temporis notione positum. I. 99, 1.
— in obtestando. I. 10, 3. 14, 25.
— de loco dictum. I. 30, 1.
— de tempore. I. 63, 1.
per se, i. q. sponte. I. 96, 2.
— — pro ipse. C. 39, 6.
percellere, perculsus. C. 6, 4.
percitus corpore, i. e. nimis agitans corpus. Fr. II, 45.
peregrinari, translate. C. 2, 8.
perfecti 3. pers. plur. in -erunt. C. 51, 4.
perfectum c. imperf. iunctum. C. 51, 37. I. 70, 5.
— in re praesenti spectat ad consilium eius rei ante captum. C. 53, 6. I. 95, 2. 108, 2. Fr. I, 49, 26.
— praegnanti sensu. C. 20, 7.
perfecto res ad praesens iudicium revocatur. C. 11, 3. I. 102, 7.
perfugarum poenae. I. 62, 7.
pergere iter. I. 79, 5.
pericula ab insidiis discreta. I. 28, 5.
perinde comparationi inserviens. Fr. III, 56.
persequi iniuriam. C. 9, 5.
pertingere, i. q. pertinere. I. 48, 3.
pervertere volnus. Fr. III, 77, 16.
pessumdari ad alqd. I. 1, 4.
pestis, i. q. homo scelestus. Fr. IV, 20, 17.
petere, absolute, sc. consulatum. I. 63, 6.
placide respondere. I. 83, 2.
— tractare alqm. C. 39, 2.
plenus dies oppositus primae luci. Fr. III, 77, 20.
— gradus. I. 98, 4.
pleonasmus. C. 18, 6. I. 73, 1. 79, 9.
pluma, collective. Fr. IV, 18.
pluralis abstractorum. C. 14, 5.
— praedicati, ubi subiecta per cum coniunguntur. C. 43, 1.
— 1. pers. cum singulari coniunctus. I. 17, 7.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

plusquamperfecti tectior relatio. C. 24, I. 37, 1. 50, 4. I. 39, 3.
pollens, potens. I. 1, 3.
polliceri et promittere. I. 47, 4.
pollutus, i. q. infamis. I. 15, 5.
ponere bellum. I. 112, 1.
— iudicii potestatem habet. I. 17, 3.
— aliquem custodem. I. 24, 7.
populares, i. q. socii. C. 22, 1.
populi, i. q. liberae civitates. C. 6, 4.
populus diversus a natione. C. 10, 1.
— de plebe dictus. C. 38, 3.
— et senatus diversum a senatu populoque rom. I. 41, 2.
porro. C. 46, 1.
porta generaliter pro portis. I. 100, 4.
portare de rebus bellicis. I. 36, 1.
— auxilium. C. 6, 5.
— i. q. conferre. C. 30, 2.
portendere. I. 3, 2. 92, 2.
portentum. C. 30, 2.
possidere i. q. occupatum tenere. C. 52, 22. I. 16, 5.
post, i. q. ex quo. I. 5, 4.
postquam c. imperfecto coniunct. I. 13, 5.
postremo, complectendi potestate dictum. C. 14, 3.
postremus, i. q. vilissimus. Fr. I, 56, 2. IV, 20, 12.
potestates, i. q. munera civilia. I. 63, 5.
potiri c. abl. et genit. I. 74, 3.
potius omissum ante quam. C. 9, 5. 48, 5.
— substantive. I. 26, 2.
praecipitem abire. C. 25, 4.
— esse. C. 37, 4.
praeda i. q. praedatio. I. 55, 5.
praedae, plurali. I. 20, 8.
praedae esse. I. 69, 1.
praedicare. C. 48, 8.
praedicere. I. 75, 5.
praefecti sociorum duces erant. I. 46, 7.
— equitibus praecerant. C. 59, 6.
praefectus urbis. Fr. I, 48.
praegnanti sensu posita vocabula. C. 6, 4. 51, 17. 52, 5. I. 2, 3. 10, 2. 25, 9. 31, 7. 38, 5. 70, 5.
praepositio, ubi iteranda. C. 40, 1.
— c. subst. enunciati instar. Fr. I, 49, 1.
praesens pro futuro. Fr. III, 1, 10.
praesentia defendentes, Germ. die Conservativen. Fr. I, 12.
praesidere aliquem. Fr. II, 34.
praesidio esse, die Aufsicht führen. I. 93, 8.
praestare aliq. rem. Fr. I, 56, 2.
praeter, adverbium. C. 36, 2.
— eius potestas. C. 47, 2.
— c. subst. vim enunciati habet. Fr. III, 81, 4.
praeter solita. Fr. III, 89.
pressus gradus. Fr. III, 77, 10.
pretium coniunctum c. gratia. C. 49, 1.
— id, quo alqd. paratur. I. 110, 3.
primum, in primo, sc. agmine. I. 68, 4.
primus pilus. I. 38, 6.
princeps de tempore dictum. C. 24, 2. Fr. III, 64.
priusquam c. indic. et coniunctivo. C. 4, 5.
privatim. C. 11, 6. 49, 3. I. 8, 2.
privatum consilium. C. 29, 1.
privilegium. Fr. II, 61.
privus, i. q. expers. Fr. I, 109.
pro mutationem significat. I. 1, 5.
— qua vi dicatur in praedicato. C. 8, 3.
— c. subst. vices habet accus. attributivi. I. 31, 13.
— i. q. in anteriore rei parte. I. 67, 1.
— qua ratione valeat i. q. in. I. 29, 6.
pro bono, i. q. bene. I. 22, 4.
pro praetore. C. 19, 1.
pro tempore. I. 11, 1.
probrum. C. 23, 1.
procax. C. 25, 5.
procedere i. q. prospere evenire. I. 85, 5.
procul errare. I. 85, 38.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

procuratio. I. 14, 1.
prodigium. C. 30, 2.
producere alq. in concionem. I. 33, 4.
profundus i. q. inexplebilis. I. 81, 1. Fr. IV, 20, 5.
progredi i. e. audacia uti. Fr. I, 56, 6.
prohibere alqm. aliqua re i. q. defendere. I. 107, 1.
proiicere aliquem. I. 14, 21. Fr. III, 1, 1.
proinde quasi. I. 4, 8.
promiscuum habere. C. 12, 2.
promptus, in promptu habere. C. 7, 1.
pronom. person. in structura acc. c. inf. ubi personam efferat. C. 1, 1.
— — in constr. acc. c. inf. omissum. C. 31, 7.
— reflexivum cum indicativo. I. 61, 1.
— demonstr., ubi subiectum neutro designatur, attractione ad sequens subst. relatum. C. 7, 6.
— demonstrativo epexegesis subiicitur. I. 81, 4.
— demonstrativum ubi genitivo ad praecedens subst. refertur, attractione sequenti nomini adhaeret. C. 8, 5.
— — subiecto ad vim augendam additur. C. 37, 4.
— — alio casu ac praecedens relat. supplendum. C. 13, 2. I. 54, 1.
— — prius positum, quam substantivum, ad quod refertur. I. 65, 2.
— — pro reflexivo positum. C. 51, 11.
— relativum et demonstr. ad primarium subst. refertur. C. 48, 1.
— — substantivum, ad quod pertinet, repetit. C. 51, 39.
— — ad partem praecedentis subst. pertinens. I. 61, 2.
— relativi neutrum refertur generali sensu ad praecedens substant. sine generis et numeri respectu. Fr. III, 81, 16.
— relativum alio casu repetendum. I. 101, 5.
pronom. relat. neutro sing. ad praegressum pluralem relatum. I. 102, 10.
— interrogativum non cum relativo confundendum. C. 20, 5.
— possessivi vis. I. 15, 1.
— possessivum obiective positum. C. 51, 11.
— — oppositum alieno. I. 54, 8.
— — praedicatum constituit. I. 85, 34.
pronum, i. q. facile. I. 80, 4.
properare c. accus. c. inf. constr. C. 7, 6.
— aliquam rem. I. 37, 4.
propius esse c. accusat. C. 11, 1.
propinquus, proxumus c. ablat. I. 18, 11.
propraetores ex legatis facti. I. 36, 4.
prosapia, die Sippschaft. I. 85, 10.
prorsus i. e. omnino. C. 15, 5.
proscriptorum liberi honoribus prohibiti. C. 37, 9. Fr. I, 49, 6.
prospectare. I. 60, 3.
provenire, proventus. C. 8, 3.
providere, absolute. I. 90, 1. 99, 2.
provincia Africa. I. 13, 4. 96, 1.
provinciarum partitio. C. 26, 4.
prudentes i. q. rerum gnari. I. 49, 2.
publicatio bonorum pecuniâ a Sulla nonnullis remissâ. Fr. IV, 51.
publice. C. 11, 6. I. 8, 2.
pudicitia et pudor. C. 12, 2.
pudor incitamentum virtutis. I. 100, 5.

q.

qua. Fr. III, 56.
quadratum agmen. I. 100, 1.
quaerere, i. q. postulare. I. 98, 3.
— i. q. parare. I. 3, 3. Fr. I, 49, 22.
— i. q. quaestionem habere. I. 40, 1.
quaesere, i. q. quaerere. Fr. IV, 20, 1.
quaestiones, i. q. iudicia capitalia. I. 31, 7.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

quaestor pro praetore. C. 19, 1.
quamquam correctioni inservit. I. 85, 15.
quamvis adiectivis coniunctum. C. 23, 6.
quando, i. q. quoniam. I. 102, 9.
quantum minuendi vi dictum. Fr. I, 49, 20.
quasi comparationibus additum. I. 41, 10.
— i. q. fere. I. 48, 3. Fr. I, 80.
quc diversum ab et. I. 9, 2. 70, 2. 81, 2.
quc — quc. C. 9, 3.
qui et quis quomodo differant. C. 44, 5.
quies quo differat ab otio. Fr. I, 49, 9.
quippe qui c. indic. C. 48, 2.
quisquam. C. 52, 11.
— in prohibendi sententia. I. 45, 1.
quisque ablativis absolutis interpositum. I. 18, 3.
quod si, nisi, ubi, quum. C. 2, 3.
quod ubi coniunctivum regat. C. 14, 7.
quo et qua re refertur ad praegressum neutrum plurale. Fr. III, 81, 16.
quoniam. I. 32, 5.
— eius usus in digressionibus. C. 5, 9.
quoque, ambigua forma. C. 23, 4.
quum temporale ad ablat. temporis relatum. I. 91, 1.
— — in apodosi c. infinit. hist. I. 98, 2.
— — sensu idem ac quod. I. 102, 5.
— temporali subiicitur tamen. C. 20, 12.
— i. q. quamquam. C. 36, 4. Fr. III, 77, 2.
— c. indic. in re repetita. I. 44, 4.
quum praesertim. C. 51, 19. Fr. I, 49, 1.

R.

rapere. C. 11, 4.
rari, i. q. pauci. Fr. III, 81, 7.
recta oratio, ubi suspensa esse debebat. Fr. III, 37.
reddere consulatum, i. e. rite deponere. Fr. I, 56, 15.
redemptor, Lieferant. Fr. III, 5.
referre, i. q. repetere, renovare. Fr. I, 41.
regem appellari, honor maximus. I. 65, 1.
regina, i. e. regis uxor legitima. Fr. IV, 20, 9.
regis notio. C. 2, 1.
regium, i. q. superbum. I. 64, 5.
regnum, i. q. regia potestas. C. 5, 6.
reguli. I. 12, 1.
relativa sententia rationem quandam indicat. I. 31, 22.
religio. I. 75, 9.
reliqui facere. C. 11, 6.
remissus, i. q. negligens. I. 58, 1.
renones. Fr. III, 57. 58.
repetere res. Fr. III, 81, 17.
repetitae eaedem sententiae. I. 32, 4.
reputare. I. 1, 2.
requisita naturae. Fr. Inc. 20.
res, i. q. civitas. C. 6, 3.
— et spes composita. C. 20, 13.
— et fides comp. I. 73, 6. Fr. III, 1, 9.
— cum adiect. sensu idem atque neutrum. I. 41, 1.
respondere, de vatis. C. 47, 2.
respublica, per se, quid. I. 41, 5.
rem publicam gerere. I. 100, 5.
reticere. I. 85, 26.
respondet omissum. I. 102, 12.
rogare magistratus. I. 29, 6.
rogatio legis Mamil. quomodo impedita. I. 40, 2.
rotundus numerus in definiendis annis. I. 31, 2.
ruere, i. q. cadere. Fr. II, 59.
— i. q. confluere. Fr. III, 77, 7.
rumor c. genit. personae. I. 40, 4.
ruina restinguere incendium. C. 31, 9.
rursus per pleonasmum additum. C. 18, 6.
— i. q. contra. I. 103, 2.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

S.

saevitia. I. 45, 1.
Sallustii error in temporibus. C. 38, 3.
salubres. I. 17, 6.
salutare plebem. I. 4, 3.
sanctus vir. I. 85, 40.
sane, concedendi vi. C. 52, 12.
sarcinae ante pugnam deponebantur. I. 97, 4.
satelles, invidiosa vi dictum. Fr. I, 49, 2.
satisfactio, i. q. excusatio. C. 35, 2.
satura, per saturam. I. 29, 4.
scaevus, i. q. perversus. Fr. I, 49, 5.
scelus, i. q. scelestus. C. 14, 1.
schema καθ' ὅλον καὶ μέρος. Fr. II, 29, 3.
scindi, i. q. dirimi. Fr. IV, 34.
scilicet, ironice. C. 51, 10. I. 31, 19. Fr. I, 49, 17. 21.
— particulae vis. I. 4, 6.
— c. acc. c. inf. iunctum. I. 102, 9. Fr. I, 56, 5.
secessiones plebis. C. 33, 3. I. 31, 17.
secundum ea. I. 14, 3.
secundo mari. I. 19, 2.
sed in asyndeto omissum. C. 52, 12.
— restringit sententiam. I. 85, 15.
sellae locus qualis honori fuerit. I. 65, 2.
senatus post Caesarem corruptus. I. 4, 4.
senescere, i. q. debilitari. C. 20, 10. I. 35, 3.
seorsum ab alq., unabhängig von. I. 70, 2.
sequi rem, i. e. rei convenire et congruere. I. 2, 2.
sequi post aliq. rem. I. 55, 3.
— negotia, i. e. obire. Fr. V, 8.
servile imperium. Fr. I, 11.
servorum alimenta. Fr. I, 49, 11.
sestertii pretium. C. 30, 6.
sestertius quattuor asses habebat. C. 33, 3.
seu — seu. C. 49, 4.
si pro etiamsi. I. 85, 48.
sic respicit ad antecedentia. C. 7, 6.
— explicatur sequenti enunciatione. I. 14, 12.
sicuti, i. q. quasi. I. 60, 4.
signa, i. q. opera sculptilia. C. 11, 6. Fr. II, 29, 2.
signatores. C. 16, 1.
simul — et aequalitatem temporis denotat. I. 97, 4.
simulator, vi adiectivi. C. 5, 4.
simulatum testamentum, i. q. subditicium. Fr. IV, 20, 8.
sin refertur ad condicionalem sententiam. C. 51, 24. I. 35, 4.
sine c. subst. negativi attributi vim habet. I. 10, 1.
singularis in sententia generali. C. 29, 3. I. 95, 3. 100, 4.
— in proximo membro solutus in pluralem. C. 51, 42.
sinus urbis, i. q. senatus. C. 52, 35.
socii, qui ab alicuius partibus stant. I. 92, 2.
— diversi a nomine Latino. I. 39, 2.
— civitate prohibiti. Fr. I, 49, 12.
sociis Ital. utebantur nobiles ad rogationes quasdam impediendas. I. 42, 1.
sociorum auxilia in cohortes modo componebantur. I. 46, 7.
soleas festinare. Fr. Inc. 69.
solere vim saepe adverbii sustinet. C. 47, 1.
soleo perfectum etiam habet solui. Fr. II, 63.
solet, absolute. C. 29, 2. Fr. III, 52.
— personaliter positum. I. 96, 3.
sollertia. I. 7, 7.
solus, i. q. desertus. I. 14, 17. 103, 1. Fr. III, 81, 3.
sordidus, ordinär. I. 85, 39.
solvere rem, i. q. finire. Fr. I, 49, 15.
species, i. q. externa forma. I. 79, 2.
spectata res, der Augenschein. Fr. III, 77, 10.
spes, Aussichten. I. 10, 1.
— opes et spes. Fr. III, 1, 2.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

spolia alicuius, i. e. alicui erepta. Fr. I, 49, 7.
statuere, i. q. iudicare. I. 39, 5.
status dignitatis. C. 35, 3.
statio, i. q. milites qui in statione sunt. Fr. IV, 67.
studere c. acc. c. inf. constr. C. I, 1.
studio ferri. C. 3, 3.
subiectum tacite mutatum. C. 5, 4.
subigere i. e. eo redigere, ut. C. 10, 5.
substantiva adiective posita. C. 5, 4. I. 64, 1.
— eiusdem sensus cum verbo coniuncta. I. 79, 5.
subvortere i. e. perdere. C. 10, 4.
sumere bellum, proelium. Fr. III, 77, 10.
sunt qui c. indicat. C. 19, 4.
super, i. q. de. I. 71, 5.
— casu super. Fr. Inc. 28.
superare absolute. I. 70, 3.
— rem, i. q. redarguere. I. 85, 27.
supinum pendens ex hortor. Fr. III, 81, 16. cf. V, 18.
supplentur interdum sententiae ad nexum expediendum. C. 13, 5. 19, 2.
supplicia, i. q. supplicationes. C. 9, 2. I. 55, 2.
— i. q. preces. I. 46, 2.
— i. q. poenae. I. 85, 35.
supplicum cultus. I. 33, 1.
supra quam, i. q. magis quam. C. 5, 3.
supra repetere. C. 5, 9. I. 24, 5.
suspectus in aliq. rem. Fr. I, 53.
suspicere, i. q. suspectum habere. I. 70, 1.
suspicio, i. q. res, quae suspicionem praebet. Fr. IV, 57.
sustinet terra aliquos. I. 14, 2.
sustinere absolute. Fr. III, 35.
synesis in numero. C. 7, 4. 16, 1. I. 77, 1. 95, 1. 102, 6.
Syrtes unde dictae. I. 78, 2.

T.

tabes, de contagione dictum. Fr. I. 56, 9.
taeda, i. e. missile ex taeda. I. 57, 5.
talis, de praesente statu. I. 31, 4.
— i. q. tam egregius. I. 10, 8.
tam — quam. I. 31, 14. Fr. I, 49, 20.
tamen refertur ad supplendam sententiam. C. 19, 1. 39, 5. 57, 3.
— omissum post concessivam partic. I. 33, 2.
— refertur ad participium. Fr. I, 49, 19.
tantus in caussali sententia. I. 45, 1.
telum, translate. Fr. III, 81, 12.
temere. I. 54, 4. 82, 1.
temperare, absolute. I. 85, 9.
— victoriae. C. 11, 7.
tempestates, i. q. tempus. I. 73, 7.
tempus, dies, quomodo discernantur. C. 51, 25.
tempus, i. q. iustum tempus. I. 70, 5. 79, 7.
tempora varia coniuncta. C. 32, 2. 41, 5.
ex tempore. I. 70, 3.
in tempore. Fr. I, 22.
teneri aliqua re et in aliqua re. Fr. I, 49, 1.
tentare aliquid, praegnanti sensu dictum. I. 50, 1.
— aliquem. I. 90, 1.
terga sumere et reddere. Fr. Inc. 21.
terrarum nomina sine praepositione posita. I. 28, 7.
testamentum militare. Fr. III, 88.
testudo, quid. I. 94, 3.
tetrarchae. C. 20, 7.
thunni ex Ponto erumpentes. Fr. III, 52. 53.
timor et metus. I. 7, 5.
toga picta, palmata. Fr. II, 29, 4.
togati, i. q. cives rom. I. 21, 2.
tonitrua arte machinata. Fr. II, 29, 3.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

torrentur igni hastae. Fr. III, 77, 1.
trahere pecuniam. C. 20, 12.
— absolute, facere moram. I. 64, 5.
— alq. animo. I. 84, 4. 97, 2.
— consilium. I. 98, 3.
transenna. Fr. II, 29, 3.
transferri, i. q. transire. C. 2, 6.
transgredi mare. Fr. I, 84.
transvorsus, quid. I. 49, 1.
transvorsum agere. I. 6, 3.
transvorsa itinera. I. 45, 2.
tribunitia potestas a Pompeio restituta. Fr. IV, 56. 57. 58. 59.
tribuni militum, per quos creati. I. 63, 4.
triclinii partes. Fr. III, 3.
triumphandi ius, quibus erat. C. 30, 4.
tum in oratione obliqua. I. 81, 1.
— praegresso enunciato temporali positum. C. 51, 40.
ture supplicare. Fr. II, 29, 3.
tutus, partic. a. tuor ductum. I. 74, 3.
tutum, i. q. periculo carens. Fr. I, 49, 8.

U.

ubique. C. 21, 1.
ulcisci, passive. I. 31, 8.
ultro. I. 110, 2.
— i. q. adeo. Fr. III, 1, 9.
uni, plurali numero. C. 6, 2.
urbium nominibus appositio vel simpliciter vel per praepositionem addita. I. 75, 1.
usus, i. q. victus. C. 48, 2.
— i. q. vera utilitas. C. 51, 2. I. 84, 3.
— i. q. experimentum. I. 85, 12.
ut omissum post praecipiendi verba. C. 29, 2.
— comparativum simul caussale. C. 31, 7.
— comparativum duplici modo praedicatum definit. I. 107, 6.
— enunciatum, quod appositionis vim habet, adiungit. I. 25, 10.
utilia, i. e. quae bello opus sunt. Fr. II, 50, 6.
uxor, collective. I. 95, 3.

V.

vacuus, absolute dictum. I. 52, 6.
vadari reum. I. 35, 9.
vadus, prisce pro vadum. Fr. I, 75.
varius. C. 5, 4. I. 5, 1. Fr. IV, 20, 15.
vasa caelata. C. 11, 6.
vastare, i. q. corrumpere. C. 15, 4.
vastus, quid. C. 5, 5.
velitis, iubeatis, Quirites. I. 40, 3.
venenum malum. C. 11, 3.
venire, i. q. contingere. I. 4, 4.
verberari cives Rom. non licebat. I. 69, 4.
verba voluntatis c. acc. c. inf. constr. C. 1, 1.
— duo variae rectionis uni casui iuncta. I. 31, 18. 14, 16.
verbo, verbis, i. q. mündlich. C. 44, 6.
verbum simplex de conatu dictum. Fr. I, 47.
— supplendum ex sequentibus ad antegressa. C. 47, 2. I. 49, 2. 71, 2. 81, 2. 85, 12. 88, 4. 89, 4. 100, 2.
— idem varia potestate in eodem enunciato. I. 54, 2. Fr. II, 5. II, 29, 4. IV, 20, 15.
verba intransitiva cum substantivis eiusdem notionis coniuncta. I. 79, 5.
verba, i. q. res inanes. Fr. I, 56, 3.
vero ad vim vocabuli intendendam additur. C. 37, 4.
vertere animum alicuius. I. 93, 3.
vertit res in aliquid. Fr. Inc. 54.
verum enim vero. C. 2, 9.
verum, wohl aber. I. 10, 3.
— restringit. I. 94, 1.
verum, i. q. rectum. I. 16, 1.
vetus, de gravitate dictum. Fr. II, 29, 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

vetustas, i. q. veteres homines. C. 20, 2.
vexare rem, i. q. corrumpere. C. 5, 8.
victus et cultus. C. 37, 6. 48, 2.
videlicet, ironice. C. 52, 14.
videri, de sententia ferenda dictum. C. 48, 6.
— praegnanti sensu i. q. probari. I. 85, 2.
— in enunciatis interpositis. C. 43, 1.
vigiliae in castris. I. 99, 1.
villicus. I. 85, 39.
vincere rem alq. re. Fr. II, 50, 3.
vir, i. q. maritus. C. 24, 4.
— in laudem dicitur, non item homo. C. 48, 5.
— i. q. vir fortis. Fr. II, 73.
vis, quid. C. 31, 4.
— i. q. summa potestas. I. 3, 1.
— i. q. studium. I. 40, 3.
vitabundus. Fr. III, 20.
vitiosi magistratus. Fr. III, 89.
vocabulum, i. q. nomen. Fr. II, 4.
volens, i. q. benevolus. I. 103, 6.
— i. q. animo promptus. Fr. II, 57. III, 81, 23.
volenti est aliquid alicui., I. 84, 3.
volentia, i. q. grata, accepta. Fr. IV, 57.
voltus. I. 34, 1. 113, 3.
voluntatis verba c. ut constr. I. 85, 8.
vomendo fames quaesita. C. 13, 3.

W.

wirklich vox latine indicativo continetur. I. 105, 5.

Z.

Zeugma. C. 17, 2. I. 3, 1. 14, 4. 14, 23. 17, 3. 28, 7. 42, 4. 46, 8. 54, 3. 55, 1. 63, 6. 85, 28. 92, 2. 105, 3. 111, 1.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

INDEX

FRAGMENTORUM ALPHABETICUS.

A.

A Dario Artabazes. II, 53.
A Ti. Graccho seditiones. I, 15.
Ab urbe Teio. v. Anacreon lyricus.
Ac tum maxume. III, 88.
Ad Corycum. v. Iter vortit.
Ad Cyzicum perrexit. III, 15.
Ad hoc pauca. II, 64.
Ad hoc rumoribus. II, 36.
Ad Iovis mandem. Inc. 71.
Ad mutandum modo. Inc. 56.
Ad Olympum. I, 86.
Ad Siciliam vergens. IV, 35.
Adeo illis ingenita. V, 1.
Aenum et Maroneam. Inc. 38.
Agreste. I, 125.
Aliaque propter. Inc. 83.
Amisumque assideri. IV, 1.
Anacreon lyricus. III, 44.
Animi immodicus. I, 119.
Antequam egressus. II, 33.
Antonius triumviri. v. Qui orae.
Anxius animi. IV, 75.
Apertae portae. III, 74.
Apollinis filio. II, 8.
Apud Corduenos amomum. IV, 19.
Apud latera. Inc. 19.
Apud Lede oppidum. I, 88.
Apud Mutinam. I, 57.
Apud Praenestę. I, 33.
A quo Artabanes. v. A Dario.
Ardebat omnis. I, 74.
Argentum mutuum. II, 95.
Aristaeus post laniatum. II, 7.
At Cn. Lentulus. IV, 51.
At discordia. I, 11.
At illi quibus. II, 66.
At inde nulla. I, 105.
At Lucullum regis. III, 38.
At Lucullus audito. V, 12.
At Metellus in ulteriore. v. Sed Metellus.
At Metellus in ulteriorem. II, 39.
At Oppius postquam. III, 29.
At per omnem. I, 73.
At Sertorius. Inc. 2.
Atque ea cogentes. Inc. 60.
Atque edita undique. III, 18.
Atque eos a tergo. Inc. 30.
Atque eum Curio. III, 54.
Atque hiavit humus. IV, 52.
Atque ipse cultus. Inc. 45.
Atque omnis Italia. I, 18.
Audaciter. II, 102.
Avidior modo. IV, 45.
Avidis ita promptisque. II, 25.
Ἄξιλις πόλις Λιβύης. I, 70.

B.

Belli sane sciens. II, 92.
Bellum quibus posset. I, 27.

C.

C. Verres littora. IV, 32.
Cales civitas est. Inc. 3.
Camisos. IV, 10.
Canina facundia. II, 46.
Capys Campaniam. II, 11.
Carbo turpi. I, 35.
Cares insulani I, 85.
Castra sine. v. Ita castra sine.
Castella custodias. III, 42.
Castrisque collatis. III, 17.
Cato romani. I, 2.
Cavete ab imperatore. III, 2.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Celtiberi se regibus. II, 20.
Ceteri negotia. V, 8.
Charybdis mare vorticosum. IV, 38.
Charybdis quod. ibid.
Charybdis quae. ibid.
Circumventi a dextera. II, 70.
Citra Padum. I, 17.
Clausi lateribus. IV, 66.
Clementia et probitas. I, 49.
Collegam minorem. IV, 55.
Collegamque eius Octavium. III, 82.
Coniuratione claudit. III, 99.
Communem habitum. Inc. 44.
Consedit in valle. Inc. 8.
Consili aeger. IV, 76.
Contra ille calvi. III, 95.
Copiis integra. II, 100.
Coria recens detracta. IV, 24.
Cornua occanuerunt. Inc. 77.
Cosa. I, 59.
Cossinius in proxuma. III, 75.
Crassus obtrectans. IV, 63.
Crebritate fluctuum. III, 52.
Creta altior est. III, 61.
Creta medio. v. Longe a continenti.
Cui nisi pariter. I, 31.
Cui nomen oblivionis. I, 82.
Cuius advorsa voluntate. I, 30.
Cuius duas insulas. v. Traditur fugam.
Cultu corporis. IV, 5.
Cuncta potiundi. Inc. 84.
Cupientissumus legis. V, 15.
Curetes, quia principes. III, 61.
Curio Volcanaliorum. IV, 70.
Curionem quaesivit. I, 60.
Curribus falcatis. III, 12.
Curubis. I, 46.

D.

Daedalum ex Sicilia. II, 5.
Daedalus primum. II, 6.
Dardania a rege. III, 33.
De pecore. v. Coria recens.
De praefecto urbis. I, 48.
Dedecores inultique. III, 90.
Dein campi Themiscyrii. III, 46.
Dein Cotta in hunc. II, 50.
Dein lenita iam. III, 94.
Demissis partem. IV, 50.
Diei medio. II, 103.
Dissidere inter se. IV, 41.
Divorsa uti solet. III, 78.
Doctus militiam. I, 117.
Dolia quum sub. IV, 30.
Domitium proconsulem. I, 78.
Dubitavit aeie pars. I, 113.
Dubium an insula. II, 81.
Dubius consili. III, 98.
Duci probare. Inc. 86.
Dum inferior. Inc. 61.
Dum paullatim suis. III, 71.
Duos quam maxumos. III, 20.

E.

E muris canes. II, 67.
Ea continentia. v. Vir gravis.
Ea paucis, quibus. I, 108.
Eam deditionem. II, 84.
Earum aliae paullum. I, 66.
Egregius militiae. I, 118.
Eo redeunte domum. Inc. 64.
Eodem anno. II, 41.
Eodem tempore. v. Et eodem tempore.
Equi sine rectore. I, 104.
Equis et armis decoribus. III, 11.
Equis paria operimenta. IV, 18.
Equo atque armis. Inc. 50.
Ergo senati decreto. Inc. 58.
Et continetur gravis. Inc. 77.
Et Diponem validam. I, 81.
Et ei magna voce. I, 63.
Et forte in navigando. III, 87.
Et in proeliis. V, 5.
Et eodem tempore. III, 80.
Et Marius victus. I, 34.
Et Metello procul. I, 26.
Et mox Fufidius. I, 75.
Et numeri eorum. I, 77.
Et onere turrium. III, 24.
Et Perpernam forte. III, 5.
Et Poeni ferunt. II, 91.
Et relatus inconditae. I, 41.
Et stationes sub. I, 90.
Et uxori. v. Qui uxori eius.
Etruria omnis. I, 53.
Eum atque Metrophanem. III, 8.
Ex insolentia avidus. Inc. 43.
Ex parte cohortium. Inc. 9.
Ex quo tempore maiorum. I, 13.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Exaudirique sonus. III, 96.
Exercitum argento. Inc. 33.
Exercitum dimisit. IV, 53.
Exercitum maiorum. Inc. 17.
Exuant armis. III, 68.

F.

Fannio veritatem. I, 4.
Fecit ut nunciis. Inc. 63.
Fenoribus coopertus. Inc. 79.
Fessus in Pamphyliam. II, 39.
Festinantibus in summa. IV, 26.
Fine inguinum. III, 93.
Frugum pabulique. II, 93.
Fugam maturabat. I, 121.

G.

Gens raro egressa. I, 94.
Genua patrum. Inc. 57.
Genus armis ferox. II, 79.
Genus hominum vagum. II, 78.
Genus militum suetum. II, 77.
Germani intectum. III, 57.
Geryonis. II, 9.
Getae sunt. v. Mysii, quos.
Graviore bello. Inc. 16.

H.

Haec postquam Varro. II, 89.
Haud impigre. IV, 46.
Hi locorum pergnari. IV, 23.
Hi saltibus occupatis. II, 35.
Hi sunt, qui secundum. Inc. 53.
Hispaniam sibi. I, 65.
Hispanorum morem fuisse. II, 19.
Hostes oppressi. Inc. 18.
Hunc igitur. III, 4.

I.

Iam repente. Inc. 37.
Ibi Fimbriana. II, 58.
Ibi triennio. III, 66.
Ichnusa. II, 3.
Ictu eorum. II, 72.
Id bellum excitabat. I, 47.
Idem fecere Octavius. I, 96.
Igitur discubuere. III, 3.
Igitur introrsus. III, 43.
Igitur legiones. IV, 44.
Igitur venditis. I, 39.
Igni torrere. III, 77.
Ille Conisturgim. Inc. 36.
Ille festinat. II, 68.
Illi tertio mense. III, 9.
Illo profectus. I, 93.
Illum raptis forum. I, 83.
Imbecilla est fortitudo. Inc. 68.
Immane quantum. II, 70.
Impediebant iussa. Inc. 23.
Implicatae rates. IV, 31.
Imperi prolatandi. IV, 9.
Impotens et nimius. IV, 74.
In hunc modum. v. Dein Cotta.
In Hispaniam versus. Inc. 35.
In nuda iniecta. Inc. 25.
In ore gentibus. v. Ut in ore.
In peste describenda. III, 27.
In quis notissumus. IV, 49.
In quis longissumo. I, 3.
In secunda festinas. Inc. 10.
In Sicilia est Enceladus. v. Otus in Creta.
In silva Sila. IV, 29.
Inde ortus sermo. I, 29.
Ingens ipse. III, 10.
Incidere in colonos. III, 76.
Infrequentem stationem. IV, 67.
Insanum aliter. I, 43.
Insolens vera. IV, 7.
Insulas fortunatas. I, 68.
Inter arma civilia. Inc. 42.
Inter laeva moenium. II, 24.
Inter recens domitas. III, 31.
Introrsus prima. v. Igitur introrsus.
Ipse animi. II, 94.
Ipsum mare Ponticum. III, 51.
... is saevitia. Qua re. II, 49.
Ita castra sine. IV, 4.
Ita fiducia. II, 88.
Ita sperat illam. Inc. 27.
Italiae plana. IV, 33.
Italiae Siciliam. IV, 34.
Itaque Sertorius. I, 71.
Itaque Servilius. I, 84.
Iter vortit ad Corycum. I, 87.
Itineris eorum. v. Et numeri eorum.
Iussu Metelli. I, 76.

L.

L. Hostilius Dasianus. IV, 61.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Lata autem ideo. III, 50.
Legiones Valerianae. V, 14.
Lenaeus Sallustium. Inc. 41.
Lepidum poenitentem. I, 58.
Liberis eius avunculus. I, 102.
Libertatis insueti. I, 120.
Locum editiorem. I, 106.
Locum nullum. III, 69.
Longe a continenti. III, 60.
Luces. Inc. 76.
Lucullus pecuniam. V, 11.
Lusitaniae gravem. Inc. 34.
Luxo pede. V, 2.
Lyciae Pisidiaeque. II, 40.

M.

M. Antonius perdundae. III, 65.
M. Lepido cum omnibus. I, 61.
M. Lollius Palicanus. IV, 58.
Magna gloria tribunus. I, 62.
Magna vis hominum. I, 54.
Magnam exorsus. IV, 73.
Magnis operibus perfectis. I, 91.
Male iam assuetum. III, 83.
Manus ferreas. III, 22.
Marius, cui fracta. v. Ut in M. Mario.
Marius invita matre. I, 31.
Maturaverunt exercitum. I, 92.
Maurique, vanum genus. I, 60.
Maxume vellem. I, 56.
Maxumeque ferocia. v. Quis rebus Sulla.
Maxumis ducibus. Inc. 67.
Mesopotameni homines. IV, 13.
Militiae periti. I, 116.
Mithridates corpore. II, 56.
Mithridates et fratrem. II, 55.
Modestus ad omnia. II, 85.
Modico quoque. I, 64.
Moenibus deturbat. II, 101.
Morbi graves. III, 28.
More equestris proelii. Inc. 21.
More humanae. Inc. 59.
Mox tanta flagitia. I, 37.
Multique commeatus. II, 48.
Multisque suspicionibus. IV, 57.
Multitudini ostendens. IV, 59.
Multos tamen. Inc. 48.
Muros successerat. III, 92.
Murum ab angulo. II, 82.
Mysii quos. IV, 47.

N.

Nam a primordio. I, 8.
Nam procul. II, 80.
Nam qui enare. III, 25.
Nam si in Pompeio. V, 20.
Nam speciem. III, 49.
Nam Sullae dominationem. Inc. 46.
Nam Sullam consulem. II, 61.
Nam talia incepta. Inc. 54.
Nam tertia tunc. III, 14.
Namque his praeter. III, 89.
Namque omnium. III, 48.
Namque primum Iasonem. IV, 22.
Naphthas. IV, 14.
Narbone per concilium. II, 16.
Ne illa tauro. II, 14.
Ne inrumiendi. IV, 77.
Ne qua contumelia. Inc. 78.
Ne simplici quidem. III, 29.
Neque apud Sall. II, 51.
Neque detrusus. I, 107.
Neque est offensus. Inc. 47.
Neque inermis. II, 73.
Neque me divorsa. I, 7.
Neque se recipere. I, 103.
Neque iam sustineri. III, 35.
Neque subsidiis. II, 63.
Neque virgines. II, 18.
Neu quis miles. Inc. 15.
Nexuit catenae. I, 25.
Nihil esse de republica. I, 24.
Nihil ob tantam. I, 40.
Nihil socordia. Inc. 72.
Nisi qua flumen. II, 38.
Nisi quum ira. I, 101.
Nobis primae dissensiones. I, 9.
Noctu diuque. II, 62.
Nomenque Danubium. III, 55.
Non poeniturum. Inc. 73.
Non repugnantibus modo. Inc. 26.
Non tu scis. III, 37.
Nos in tanta. I, 6.
Nova aestas. v. Primo mense veris.
Nubes foedavere. Inc. 69.
Numeroque praestans. I, 109.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

O.

Obviam fuere. II, 96.
Obviam ire. I, 97.
Occupatusque collis. I, 79.
Occurrere duci. II, 21.
Octavium mitem. v. Collegamque eius.
Omnes, qui circum. II, 83.
Omnes, qui secundis rebus. IV, 20.
Omnes, quibus senecto. IV, 65.
Omnia sacrata corpora. II, 74.
Omnis Italia. IV, 34.
Omnium partium. I, 14.
Omnium fluminum. III, 56.
Orbe terrarum. II, 98.
Orion oritur. Inc. 65.
Ostia. Inc. 40.
Otus in Creta. III, 62.

P.

Pactione amisso. Inc. 49.
Parte consumpta. III, 7.
Parva legio flumen. II, 65.
Paucos saltum. I, 122.
Paullulum requietis. Inc. 7.
Pelorum promontorium. IV, 40.
Peractis septuaginta. V, 4.
Perculsis et animi. III, 91.
Perperna tam paucis. I, 44.
Perrexere in Hispaniam. II, 15.
Philippus, qui. I, 55.
Pluteos rescindit. IV, 16.
Pompeius cum alacribus. II, 17.
Pompeius devictis. IV, 54.
Pompeius oris improbi. v. Lenaeus.
Post defectionem. I, 19.
Post reditum eorum. III, 84.
Post ubi fiducia. II, 97.
Postquam egressus. III, 36.
Postquam remoto. I, 12.
Postremo ipsos. I, 23.
Pressi undique. Inc. 32.
Primam modo Iapydiam. II, 42.
Primo aërem. III, 27.
Primo incidit forte. II, 75.
Primo mense veris. Inc. 75.
Primos Cretenses. III, 63.
Primum Graecorum. III, 32.
Profectionem festinantes. I, 123.
Profectus quidam Ligus. Inc. 20.
Prohibet nocere. V, 3.
Proxumum Sallustius. III, 45.
Prudens omnium. I, 99.
Publiusque Lentulus. II, 47.
Pyrrhus interemptus. Inc. 51.

Q.

Qua tempestate. III, 53.
Quae caussa fuerat. Inc. 55.
Quae cis paucos. III, 70.
Quae pacta in conventione. Inc. 24.
Quae pecunia. II, 37.
Quaesere. I, 126.
Quam maxumis. IV, 11.
Quarum unam. III, 41.
Quasi par in oppido. III, 26.
Quem ex Mauretania. II, 31.
Quem trans stagnum. III, 19.
Qui nullo certo. III, 73.
Qui praegredicbantur. IV, 17.
Qui orae maritumae. III, 59.
Qui praetores facibus. IV, 2.
Qui proxumi loca. IV, 68.
Qui quidem mos. IV, 60.
Qui uxori eius. V, 9.
Quia corpore et lingua. II, 45.
Quibus de caussis. V, 16.
Quietam a bellis. I, 112.
Quin lenones. I, 50.
Quippe vasta Italia. I, 21.
Quirites! Multa mihi. v. Dein Cotta.
Quis a Sertorio. II, 22.
Quis in praesens. IV, 72.
Quis rebus Sulla. I, 22.
Quo cupidius in ore. Inc. 29.
Quo patefactum est. I, 42.
Quod ubi frustra. III, 85.
Quos advorsum multi. II, 57.
Quos inter maxume. I, 114.
Quum arae et alia. I, 28.
Quum interim lumine. IV, 43.
Quum murum hostium. I, 111.
Quum multa dissereret. II, 90.
Quum praedixero. II, 1.
Quum Sertorius. Inc. 1.

R.

Radicem montis. Inc. 6.
Rebus supra vota. Inc. 66.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Recens scripsit. I, 5.
Receptis plerisque signis. II, 23.
Regem avorsabantur. V, 7.
Regressi ad faciliores. Inc. 22.
Religione Volcanaliorum. IV, 71.
Repente incautos. Inc. 12.
Repulsus a Lete. I, 89.
Res populi romani. I, 1.
Res romana plurumum. I, 10.
Revorsi postero die. IV, 27.
Rumore primo. I, 115.
Ruuntque pars magna. II, 59.
Rursus iumenta nacti. IV, 25.

S.

Saepe celebritatem. V, 17.
Saguntini fide. II, 27.
Saguntium. II, 28.
Sallustius auctor. IV, 12.
Sallustius duces laudat. III, 16.
Sallustius Scyllam saxum. IV, 37.
Sallustius vanos Mauros. Inc. 39.
Sallustius ait. v. Hispanorum morem.
Σαλούστιος μὲν οὖν φησι. V, 10.
Σαλουστίου δὲ θαυμάζω. III, 30.
Sanctus alia. Inc. 76.
Sanctus aliter. I, 100.
Sane bonus ea. V, 19.
Sapor iuxta. IV, 42.
Sardes Hercule. II, 4.
Sardinia in Africo. II, 2.
Saxaque ingentia. III, 23.
Scalas pares. IV, 15.
Scythae nomades. III, 47.
Se eius opera. III, 40.
Se regibus. v. Celtiberi se regibus.
Sed ipsi ferunt. II, 13.
Sed Metellus in volnere. II, 26.
Sed Metellus in ulteriore. II, 30.
Sed Mithridates extrema. II, 54.
Sed Pompeius a prima. III, 6.
Sed ubi ille. V, 13.
Sed ubi tempore. Inc. 11.
Senecta iam aetate. Inc. 80.
Sertorius portis. I, 80.
Serum enim bellum. III, 13.
Sestertium tricies. IV, 62.
Si advorsus vos. III, 1.
Si nihil ante. IV, 56.
Si Quirites parum. III, 81.
Sic vero quasi I, 95.
Simul eos et cunctos. IV, 3.
Simul immanis. III, 72.
Simulans sibi alvum. I, 45.
Sin vis obsistat. III, 67.
Soleas festinare. Inc. 70.
Solis viis. I, 124.
Sorte ductos. IV, 28.
Speciem captae urbis. Inc. 4.
Staphylus primus. Inc. 52.
Stobos. II, 43.
Stolide castra. IV, 69.
Suos equites. II, 71.
Suspectusque fuit. IV, 64.
Σύλλας οὔτε νέος ὤν. I, 35.

T.

Tantum antiquitatis. I, 16.
Tarrhos. II, 12.
Tartessum Hispaniae. v. Ut alii tradiderunt.
Tenuit Lucullus. IV, 6.
Tergis vinciebant. Inc. 14.
Terror hostibus. II, 69.
Tetrarchas regesque. IV, 8.
Titurium legatum. II, 34.
Togam paludamento. Inc. 31.
Tota autem insula. III, 34.
Traditur fugam. I, 67.
Transgressos omnis. I, 72.
Triplici fluctu. IV, 39.
Troiano tempore. II, 10.
Tum vero Bithyni. IV, 21.
Tum vero Etrusci. I, 20.
Turbinum motus. V, 6.
Turmam equitum. II, 60.
Tyrannumque et Cinnam. I, 50.

U.

Ubi eum tota. v. Se eius opera.
Ubi multa nefanda. Inc. 28.
Ubi se laniata. v. Charybdis mare.
Unde pons. III, 21.
Unus constitit. III, 79.
Ut actione desisteret. II, 44.
Ut alii tradiderunt. II, 32.
Ut in M. Mario. I, 38.
Ut in ore gentibus. I, 98.
Ut res magis. Inc. 5.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ut Sullani fugam. I, 36.
Ut sustinere corpora. III, 86.
Ut tanta repente. Inc. 62.
Uti Lepidus et Catulus. I, 52.

V.

Vacuam istam. I, 110.
Venti per cava. II, 52.
Vespera. II, 99.
Vestes de pellibus. III, 58.
Vices. Inc. 82.
Victoriam incruento. v. Sall. duces laudat.
Video indigentiam. V, 18.
Vir gravis et. II, 86.
Virgilius in peste. III, 27.
Virtuti satis. Inc. 13.
Visuros. Inc. 85.
Vizo. IV, 48.
Volgus amat fieri. Inc. 74.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Lipsiae, Typis B. G. Teubneri.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

In der **Hahn'schen Verlags-Buchhandlung in Leipzig** sind ferner erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

HERODOTI HALICARNASSENSIS MUSAE.

Textum ad Gaisfordii editionem recognovit, perpetua tum **Fr. Creuzeri** tum sua annotatione instruxit, commentationem de Vita et Scriptis Herodoti, tabulas geographicas, imagines ligno incisas indicesque adjecit

J. C. F. Baehr.

Editio altera emendatior et auctior.

Volumen primum. 8. maj. 57 Bogen. Velinpapier. 1856. geh.
Preis 4 Thlr.

(Das Ganze wird wieder in 4 starken Bänden, circa 200 Bogen umfassend, erscheinen und mit zahlreichen Holzschnitten und Charten ausgestattet.)

Allen Freunden und Kennern des classischen Alterthums, der Geschichte, Geographie und Kunst wird gerade jetzt eine ganz neue Bearbeitung dieser schon längst mit ungetheiltem Beifalle im In- und Auslande aufgenommenen grössten und reichhaltigsten Ausgabe des Herodot durch den rühmlichst bekannten Herrn **Geh. Hofrath Dr. Baehr in Heidelberg** um so willkommener und unentbehrlicher sein, nachdem seither durch wissenschaftliche Forschungen und Ergebnisse, besonders aber durch die neuen Entdeckungen und überraschenden Aufschlüsse berühmter Reisender, wie **Layard, Rawlinson** u. a. so ausserordentlich viel für das bessere Verständniss des Herodot und für die volle Bestätigung mancher seiner bis dahin mitunter bezweifelten Angaben geschehen ist. Es wird dadurch der Darstellung dieses grossen Classikers ein ganz neues Licht zugewendet.

Dem hochverdienten Herrn Herausgeber ist nicht leicht etwas aus der gesammten Literatur Europa's entgangen, was irgend zu diesem Zwecke, sowie zu einer genauen Revision des Textes dienen konnte. Um so mehr hat die Verlagshandlung eine vorzügliche Sorgfalt der würdigen Ausstattung dieser neuen Ausgabe gewidmet, welcher durch die Beigabe von Holzschnitten und Charten ein noch erhöheter Werth verliehen wird. Sämmtliche Charten werden mit dem 4. Bande ausgegeben. Das Ganze wird so rasch als möglich vollendet werden.

Q. Horatius Flaccus.

Recensuit, codicum selectorum varias scripturas addidit

Franciscus Pauly,

Phil. Dr.

gr. 8. 1855. f. Velinpapier. geh. Preis 2 Thlr.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Ausführliches Lehrbuch

der

hebräischen Sprache des alten Bundes

von

Heinrich Ewald.

Sechste Ausgabe. 50 Bogen. gr. 8. 1855. geh. 3⅓ Thlr.

Hebräische Sprachlehre

für Anfänger

von

Heinrich Ewald.

Zweite Ausgabe. 13½ Bogen. gr. 8. 1855. geh. ⅔ Thlr.

Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch

aus den Quellen zusammengetragen und mit besonderer Bezugnahme auf Synonymik und Antiquitäten mit Berücksichtigung der besten Hülfsmittel ausgearbeitet

von

Dr. Karl Ernst Georges.

Zwei Bände. **Eilfte**, fast gänzlich umgearbeitete Auflage.

gr. Lex.-8. **1855.** Preis 3 Thlr.

Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch

aus den Quellen zusammengetragen und mit besonderer Bezugnahme auf Synonymik und Antiquitäten mit Berücksichtigung der besten Hülfsmittel ausgearbeitet

von

Dr. Karl Ernst Georges.

Zwei Bände. **Zehnte**, vielfach verbesserte und vermehrte Auflage.

gr. Lex.-8. **1853.** Preis 3⅓ Thlr.

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ΠΟΛΙΤΙΣΜΟΥ ΚΑΙ ΠΙΣΤ

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας

ΔΗΜΟΣ ΒΕΡΟΙΑΣ

Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας



Δημόσια Κεντρική Βιβλιοθήκη Βέροιας